Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
7.
10 L
34

Digitized by Google

Digitized by Google

04

Digitized by Google

BREVIS
CHRONOLOGIA
RELIGIONIS PERFECTÆ
SUPERADDITÆ VULGARI

Digitized by Google

Digitized by Google

BREVIS
CHRONOLOGIA
RELIGIONIS PERFECTÆ
SUPERADDITÆ VULGARI

A P. Magiſtrò Thoma Waldenſi, Martino V. præcipiente, ac approbante, contra Witcleff, ejuſq; Aſſeclas vindicatæ in omni ſtatu, ac Lege, Naturæ ſcilicet, Scriptæ, & Gratiæ in Hereticorum confuſionem, & Eccleſiæ Catholicæ Gloriam.

A MAGNO PROPHETA ELIA DEO INSPIRANTE,

Cum tribus Votis eſſentialibus quoad Subſtantiam, & Eſſentiam in Lege Scripta, modo poſſibili incœptæ, per Christum, in Christo, & ſub Christo.

In omnimoda Perfectione cum ſollemnitate, & Poteſtate Clavium

A CHRISTO DOMINO IN LEGE GRATIÆ,

Tempore Apoſtolorum, & non trecentis annis poſt ejus Paſſionem, & Aſcenſionem in Cœlum, uti garriunt Witcleffiſtæ, Inſtitutæ juxtà Waldenſem.

A Carmelitis

Per Succeſſionem hæreditariam ininterruptam ELIÆ, Eliſei &c., ac per Spiritualem ab eiſdem Generationem, & non tantum per imitationem, uſque ad præſens tempus profeſſa juxta ejuſdem Waldenſis mentem SS. PP. Auctoritatibus innixam.

Ope totius Carmelitici Inſtituti.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

INNOCENTIO
DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XII.

OBLATA

Vt diſcordiarum, & diſſidiorum fomes in eadem Gente, ac Familia, quæ unius Religionis nomen præfert, & ſpeciali titulo, jure, ac bona fide poſſidet, perpetuò opprimatur, ac extinguatur ſilentio.

Paxque Chriſti in Sæculum Sæculi firmetur in omni Religione perfecta, pariterque Hæreticis aditus præcludatur, Ex Viris Catholicis Argumenta deſumendi contra Sanctam Sedem Catholicam Romanam à qua omnis Religio Perfecta eſt Approbata medio ſuo Capite Viſibili. Et quidquid dixerit Sacræ Romanæ Eccleſiæ Correctioni libenter, & humiliter ſubiicit.

LUGDUNI M. DC. XCVI.

In Officina Typographica Joannis-Baptistæ de Ville.

CUM PERMISSU.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

I. GRAVITER perturbata humillima Carmelitarum Religio circa ejus à Protoparente ELIA originem, hæreditariamvè Succeſſionem à quibuſdam hujus ſeculi neotericis Scriptoribus, qui vel ejus antiquitatis monumenta non inſpexere, vel quatenùs inſpecta minùs benevolè neglexere, omni qua fas eſt humilitate, penitùs abdicatis quibuſcumque objurgationum, & mordacitatis ſpeciebus, jus ſuum tot ſeculorum ſpatio neutiquam oppugnatum, ſed pacificè eidem approbatum, immò à quamplurimis, eiſque eximiis Scriptoribus collaudatum, ſuſtinere, æquè ac defendere firmiter intendit, perſpicaciori Sedis Apoſtolicæ judicio cuncta in hoc ſimplici Epitome compendioſè exponenda, religioſa promptitudine, ac humilitate ſubiiciendo.

II. Præſumit hic Sacer Ordo, Carmeliticus nuncupatus à Carmeli Monte, in quo Sanctus Propheta Elias divina inſpiratione ſuffultus, verum quo ad eſſentiam, & ſubſtantiam, inſtituit Statum Monaſticum, cujus in lege ſcripta Chriſtus, & Deipara in nubecula parva, quaſi veſtigium hominis præſeferente, & de mari aſcendente præfigurati, veræ cauſæ exemplares, finales, ideales, & meritoriæ extitere, ſuum à tali Propheta ſumpſiſſe exordium, ac per hæreditariam ſucceſſionem ininterruptam, uſque ad præſentem continuare lucem, quod neutiquam iniqui Witcleff, ejuſque Aſſeclarum arridebat auribus, perfectorum Religiones ſupra communem, & vulgarem Chriſti injurioſè, & ſacrilegè, novitates, hyppocriſes, nouaſque ſectas inutiles, ac infructuoſas, aliiſque contumelioſis verbis, & opprobriis appellantes; necnon nonnullorum Recenſiorum hujus Seculi Scriptorum, quibus diſſonum videtur verum in lege ſcripta extitiſſe, quo ad eſſentialia, & ſubſtantialia, Monachatus ſtatum. Quocirca ſemel evicto ſimilem Statum, in illa lege fuiſſe poſſibilem nedùm ſpeculativè, ſed etiam practicè, immò & exiſtentem; tale equidem denegandum non eſſet Carmelitarum Ordini à Magno Propheta Elia exordium ininterruptaque ſucceſſio.

III. Vt igitur in lege Moſaica, ſeù ſcripta oſtendere valeamus, quo ad eſſentialia, & ſubſtantialia extitiſſe veri Monachatus ſtatum, tot Sapientiſſimorum Scriptorum id aſſeretium veneratis auctoritatibus, unius Thomæ Waldenſis Carmelitæ antiquiſſimi, doctiſſimique Viri, ac in Scripturis, & Hiſtoriis verſatiſſimi, qui floruit circa annum 1424. doctrinis in Sanctis Patribus fundatis utemur, eaſq; prout opus fuerit verbatim adducemus. Et ut cuilibet innoteſcat quanta fuerit, ac ſit tam eximii Doctoris in Eccleſia Dei auctoritas, nobis licitum ſit Epiſtolam in forma Brevis ipſi à Martino V. (à quo ad convellendas iniqui Witcleff, ejuſque ſequacium diſſeminatas in Anglia hæreſes deputatus fuerat) ſcriptam, hic ad litteram apponere, ut plenam ejuſdem dictis quiſque valeat adhibere fidem. Sedis enim Apoſtolicę vigili oculo, ac cenſura ſubjectis duobus Voluminibus ab eo editis, ſcilicet *Doctrinalis Fidei, & de Sacramentis*, ſic illi ſcribere dignatus eſt Sanctus Pontifex.

IV. *Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Placuit primo nobis opus, quod edideras contra Huſſitas hæreticos, te fuimus hortati, ut id quod reſtabat in materia de Sacramentis ſimili perfice-*

Digitized by Google

res ſtudio, & diligentia; quod te feciſſe gaudemus, & tuum ſtudium utile, ac ſalutare Eccleſiæ commendamus. Recepimus enim nuper de manu dilecti filii Joannis Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Magiſtri in Sacra Pagina latoris præſentium Volumen ſecundum de Sacramentis, quod per ſollemnes Viros videri, & examinari fecimus, ſicut primum, quod paritèr fuit ab omnibus commendatum. Ex quo commendamus ut Volumen tertium de Sacramentalibus, cum id perfeceris nobis mittas. Cæterum ut damnatas concluſiones Vvitcleff ſecurius valeas confutare, mittimus tibi bullam de damnatione librorum dicti Hæretici. Et cupientes quantum poſſumus erga te propitiare Dei gratiam, pro cujus gratia laboras, benedictionem noſtram dedimus tibi, & omnibus Fratribus tuæ Provinciæ. Datum Romæ apud Sanctos Apoſtolos ſub annulo Piſcatoris 8. die Auguſti, Pontificatus noſtri Anno X.

V. His igitur percelebris Doctor, non tam à primariis Angliæ, quam à cunctis Terrarum Orbis Doctoribus collaudatus, ad quos benevolos remittimus Lectores, ut ejuſdem auctoritatem, doctrinam, ac ſapientiam neutiquam deſpiciant, & de quo Poſſevinus in ſuo apparatu ſcribit: *Suo tempore hereſum, & deindè exortarum evaſor fuit, à Martino V. Pontifice Maximo commendatus; à noſtri Ævi ſcriptoribus, præſertim à Joanne Cochleo, atque Stanislao Hoſio Cardinali celebratus, qui mortuus eſt non ſine opinione Sanctitatis*. Hìc, inquam, acutiſſimus hereticorum Pugil, dilaniatam ab hereſiarca Witcleff, ejuſque ſequacibus Eccleſiam, diruptis deplorans lacrymis, ejuſdemque queſtus: *ſepè expugnaverūt me à juventute mea dicat nunc Iſrael, ſepè expugnaverunt me à juventute mea, etenim non potuerunt mihi*; non tàm Catholico, quàm Religioſo commiſerans affectu, Sacra Religioſorum Inſtituta novas non eſſe Sectas, ut impiè blaſphemabat, tàm Scripturæ textibus, quàm Sanctorum Patrum auctoritatibus oſtendere ſtuduit, & quidem laudabilitèr, cum hereſum expugnationes potentèr evincat, æquè ac opprimat ſapientia Religioni eſſentialitèr conjuncta, ut teſtatur Lactantius: *Non poteſt*, inquit, *Religio à Sapientia ſeparari, ſed nec Sapientia à Religione ſecerni, quia idem Deus eſt, qui intelligi debet, quod eſt Sapientiæ, & honorari quod eſt Religionis.*

Pſal. 148.

Lib. 4. de divin. inſtit.

VI. Et ut cōfutet falſiſſima Witcleff, ejuſq; ſequacium dogmata circa diverſa Religioſorum Inſtituta peculiaremque perfectorum ſupra communem, ac vulgarem Religionem, eorumdem argumenticula proponit, quorum primum eſt: *Nulla Religio approbatur Sacris Dei legibus, niſi Religio fundata à Chriſto optimo patrono: Sed nulla fuit ab ipſo fundata, niſi una; quæ eſt Religio vulgaris Chriſtiana: ergò talis perfectrix Religio, quæ dicitur iſtam tranſcendere, vel ab iſta differre, non eſt Religio Sacris legibus approbata*. Secundum eſt: *Nulla talis perfectionis Religio eſt amplioris perfectionis, quam ſit Religio Chriſti vulgaris: ſed majoritas meriti correſpondet perfectioni in eo, quod ſit medium ſubſtantiale ſic merendi: Ergo nulla talis perfectrix Religio tranſcendit vulgi meritum*. Tertium tandem eſt: *Omnis Religio onuſta talibus ſignis, & ritibus, quibus jam gravatur particularis Religio, quam appellamus perfectricem, eſt ex ipſis indiſpoſita ad beatitudinem: Sed nulla eſt privata Religio talibus ſignis libera, quin ſignum habeat diſtinctivum à quacumque non tali: ergo omnis Religio particularis ex ipſis ſignis,* &

& ritibus eſt fœda, & inepta fundari ſacris legibus.

VII. Hujuſmodi Wiceleffiſtarum, ut diluat argumenticulorũ fundamenta, funditusq; evertat Sapientiſſimus Waldenſis, etiam in legis naturæ Statu peculiarem Perfectorum Religionem ſupra communem, & vulgarem extitiſſe oſtendit. Nam graves Catholicæ veritatis Inveſtigatores, & tractatores præcipuè, aſſerunt ex Sancto Seth Patriarcha, tertio Protoplaſti filio exordium ſumpſiſſe, cum de illo Gen: 4. dicatur: *Iſte cæpit invocare nomen Domini*, ideſt *Deum deprecari* ſecundum Gloſſam, & non ſimplici vulgi cultu, cum etiam Abel prius Deum coleret, eumque acceptabiliter deprecaretur; ſed aliquo ſpeciali cultu antecedenter à Patribus neutiquam exhibito, maximè cum tam notanter de eo dicat ſcriptura, *quod ipſe cæpit invocare nomen Domini*. Quo circa de ejus filio Enoch dicit Andreas, & cum eo Nicolaus de Lyra: *Quod inſtructus à Patre ſuo tunc ſingulariter juſto, tantum proficit in divino cultu, quod adinvenit quædam verba devota ad depræcandum Deum, quæ eſt eminenter pars Religionis peculiaris*. De hac familia Seth dicit pariter Gloſſa: *quod Filij Seth Religioſi intelliguntur filij Dei jure hæreditario*. Ex quo clarè conſtat ipſos tunc temporis fuiſſe Religioſos peculiares, ſaltem in comparatione ad vulgum, ut expreſsè diſputat Divus Auguſtinus inquiens: *Numquid non ſperavit Abel invocare nomen Domini, cujus ſacrificium tam acceptum commemoratur? Numquid ipſe Seth ſolus cæpit invocare nomen Domini Dei, de quo dictum eſt ſuſcitavit enim mihi Deus Semen pro Abel? Cur ergo huic propriè tribuitur, quod piorum omnium intelligitur eſſe commune? niſi quia oportebat in eo, qui de parte generationum in meliorem partem, hoc eſt Supernæ Ciuitatis ſeparaturum primus cõmentator exortus præſignrari hominem, ideſt hominum Societatem, quæ non ſecundum hominem in re terrena fælicitatis, ſed ſecundum Deum vivit in ſpe fælicitatis æternæ*. Undè nec Civitates cum eis tunc colebant, aut cum eis Domos habitabant; ſed ſingulariter, & ſeorſim vel manſere in ſylvis, vel in agris, diſiunctis à vulgo viventibus, ſolitariè decantantes Deo, figurantes, & primitię exiſtentes, Religionis hodiernę peculiaris. Quapropter Venerabilis Beda exponens illud Geneſis: *Ædificavit Cain Civitatem*, ſic ait: *Neq; enim Abel, ſiue Seth, qui pro eo natus eſt Ciuitates, ſiue Domos ædificaſſe leguntur, quia nimirum eos deſignabant, immò eorũ, erant primitiæ, qui ſuo gaudent cantare Creatori, quod incola ego ſum apud te, & peregrinus, ſicut omnes Patres mei, quibus apertè conuenit hoc, quod promiſimus Domino promiſſum. Deus ergo, & non homo in medio tui Sanctus, quia cum à mundanæ conſortio Ciuitatis ſe reddant extraneos ea inhabitatione ſui Conditoris exiſtunt digniores*. Ergo cum ſic vivere ſit ſpeciale Religioſorum perfectorum munus, & non quid vulgo commune, & univerſale; jam habemus etiam in Legis naturę Statu peculiarem extitiſſe perfectorum Religionem.

ſup. Gen. 4. — *de Civit. Dei lib. 15. c. 18.* — *to. 1. lib. vnico ſup. Gen.*

VIII. His ſucceſſit Enoch ſextus à Seth, & ſeptimus ab Adam, qui ſingulari Religione ſuffultus etiam inter Fratres, & propoſiti ſui Patres nomen ſpeciale meruit, adeò ut de eo diceret ſcriptura: *Ambulauit Enoch cum Deo, & non apparuit amplius, quia tulit eum Deus*. Ambulavit cum Deo, ideſt tota mentis intentione ferebatur in Deum, Religioſos noſtros figuràs, & Patronus eorum exiſtens; Vndè Beda dicit: *Ambulauit cum Deo, qui dicitur dedicatio trecentis annis, quia nimirum uitam, & conuerſationem expreſſit, immò ipſe egit eorum, qui in fide dominicæ paſſionis gaudium perpetuæ ſalutis expectant, abnegantes ſeipſos, tollenteſque Crucem ſuam quotidiè, qualiter agunt religioſi Viri, & ſequentes Dominum*. Quia, & ſi Fides, & Gratia pro illo tempore non ita, ut poſt Chriſti adventum, abbundaret, *eadem tamen fide antiqui crediderunt Chriſtum uenturum, qua Chriſtiani eum veniſſe credunt*: ut Auguſtinus ait contra Fauſtum, *licèt ſub alijs ſignis, & Sacramentis*; & infrà fuſius conſtabit ex

Gen. 6. — *ſup. Gen. 6.*

Digitized by Google

Divo Thoma, aliiſque Sanctis Patribus: ergo ſcripturarum ignarus, veritatiſque immemor falſo clamat Witcleff perfectorum Religionem à communi, & vulgari diſtinctam, omni divinarum ſcripturarum vacare fundamento.

IX. At ſcripturę campum non deſerentes, adeamus pro modico antiquiſſimos ipſiusmet Gentilitatis Philoſophos, non ut illos tamquam Patres imitemur, ſed illis tamquam legis naturę teſtibus utamur, quibus Witcleff nobis oppoſitum confundere valeamus. Audiamus quid de illis ſcribat Divus Hieronymus: *Antiſthenes*, inquit, *cum docuiſſet glorioſe Rethoricam audiſſetque Socratem, dixiſſe fertur ad Diſcipulos ſuos: Abite, & Magiſtrũ quærite, ego jam reperi. Statimquè venditis quæ habebat, & publicè diſtributis, nihil ſibi pluſquam palliolum reſervavit, paupertatiſque, & laboris ejus Xenophon teſtis eſt in Sympoſio, & innumerabiles libri ejus, quorum alios philoſophico, alios rhetorico genere ſcripſit. Hujus Diogenes ille famoſiſſimus ſectator fuit, potentior Rege Alexandro, & naturæ humanæ victor. Nam cum Antiſthenes neminem diſcipulorum reciperet, & perſeverantem Diogenem removere non poſſet, clava minatus eſt, ut abiret; cui ille ſubijciens Caput dixit, nullus tàm durus baculus eſt, qui me à tuo poſſit obſequio ſeparare, &c.* ſuperius verò cap. 4. de Pythagoricis dicit: *Quod frequentiam hominum declinantes, in ſolitudine, & deſertis locis habitare aſſueverunt. Platonici quoque Stoici in templorum locis, & porticibus diverſabantur, ut admoniti auguſtioris habitaculi Sanctitate, nihil aliud quam de virtutibus cogitarent.* Poſtea etiam cap. 6. inducit idem Hieronymus Echatonem Stoicum virum eloquentiſſimum narrantem de vita antiquorum Ægypti Sacerdotum: *Qui omnibus mundi negotijs, curiſque poſtpoſitis ſemper in Templo fuerunt, & rerum naturas, & cauſas, ac rationes Syderum contemplati ſunt. Numquam*(nota) *Mulieribus ſe miſcuerunt. Numquam Cognatos, & propinquos, nec liberos quidem viderunt, & ex eo tempore quo cœpiſſent divino cultui deſervire, carnibus, & vino ſemper abſtinuerunt, &c.* En exemplum luminis naturæ Scintilla à Gentilibus præmiſſum, & à Rechabitis poſtea ex Ionadab præcepto fidei luminis ſuffultis obſervatum: *Quid igitur* (concludit Waldenſis) *eis defuit niſi ſola fides Chriſti, ut fuiſſent jàm vocati Monachi, vel Fratres eximij, aut alio nomine Religioſi Chriſtiani?* Recognoſcat ergo Witcleff, quod qui lumine fidei ſunt ſuffulti ſimilibus gaudere valent nominibus in Religione peculiari ſupra popularem, & vulgi communem. Et immediatè ſupra ſcribit Waldenſis: *Ecce quot Religionis inſignia, quot propoſita vitæ rigidæ, quam Religioſi noſtri perfecti conantur potius habere, quam habeant.* Concludamus igitur cum Divi Hieronymi queſtu contra Jovinianum, ſic dicentis: *Unius Philoſophi, ideſt Diogenis exemplum poſui, ut formoſuli veſtri, & troſulli, quorum verba in pugnis ſunt, & ſyllogiſmi in calicibus, qui paupertatem Apoſtolorum, & Crucis duritiam, aut neſciunt, aut contemnunt, mirentur ſaltem Gentilium parcitatem.* Quod ſi parcitas illa Gentilium foret plus ſuperſtitioſa, quam Religioſa, certè à nullo Chriſtiano foret imitanda. Quis igitur hìc non intuetur perfectricis Religionis figuram, aut etiam primitias? At redeamus ad Scripturas, ne replicare audeat Witcleff perfectorum Religionem, Scripturarum fundamentis deſtitutam eſſe; & videamus an paritèr in Lege Moſaica digito Dei ſcripta ultra vulgarem, & communem Populi Religionem, perfectorum extiterit Religio, incrementaque ſuſceperit, ut facilius evinci valeat Wittcleffiſtarum contumacia, aſſerentium hujuſmodi Religionis inſtituta, diſtincta ſignis, & ritibus ſolum trecentis annis poſt Chriſti Aſcenſionem primordia ſumpſiſſe, & ab hominibus facta eſſe, non à Chriſto.

Lib. 2. cont. Jovin. c. 5.

doctr. fid. lib. 3. ar. 1. c. 1.

lib. 3. cap. 7.

X. Pla-

X. Placuit divinæ ſapientiæ, quæ novit peculiarem ſibi eligere Populum de Hur Caldeorum, etiam Religionis munus peculiare de Gentilitatis gremio ſolvere, & electæ ſuæ Judaicæ genti illud adiungens, authenticam facere in Synagogæ laudibus Religionem, juxta illud Heſter: *Judæis nova lux oriri viſa eſt*. Et indè: *in tantum, ut plures alterius gentis, & Secta eorum Religioni, & ceremoniis jungerentur*. Inter hos autem Judæos Samuelem Prophetam præ cæteris comperimus fuiſſe Monachum clauſtralem. Nam cum primum unxiſſet Saul in Regem Iſrael, remiſit eum Deus ad Vrbem, & dixit: *Ibi cum ingreſſus fueris Vrbem, obvium habebis gregem Prophetarum deſcendentium de excelſo, & ante eos Pſalterium, & Tympanum, & Tibiam, & Citharam, ipſoſquè prophetantes: & inſiliet in te Spiritus Domini*. Vbi Magiſter Hiſtoriarũ, & Doctor de Lyra: *Hic nota* (inquit) *quia Samuel primus inſtituit Conventus Religioſorũ jugiter pſallentium Domino, & dicebatur Conventus eorum Cuneus, quaſi conveneus, & dicebantur prophetare, ideſt jugiter Deum laudare, & fortè quandoque aliqui ex ipſis prophetabant*. *Horum autem Prophetarum manſiones* (inquit Waldenſis) *variæ erant, quidam enim habebant Conventum in Galgala, ſicut Samuel: alij morabantur in Najoth in Ramatha; & alij alia loca colebant, in quibus dicti Prophetæ in circuitu Terræ Sanctæ Religioni vacabant, ut conſtat ex Regibus.* cap.8. 1.Reg.10.15. 1.Reg.c.19.

XI. Nec ex eo quod Scriptura eos Monachos, aut Religioſos non appellet, inferri poteſt, quod veri Religioſi non fuerint; nam dicit Waldenſis: nec etiam Scriptura dicit, quod in Deo ſint tres Perſonæ, non tres Eſſentiæ: ergo per hoc Deus non eſt unus in Eſſentia, & trinus in Perſonis? Vnde benè Auguſtinus: *Propterea* (inquit) *licuit loquendi, & diſputandi neceſſitate tres Perſonas dicere, non quia Scriptura dicit, ſed quia Scriptura non contradicit. Ergo* (ſubjungit Waldenſis) *cum Eccleſia dicere licet, perfectos Religioſos à S. Samuele tempore legis ſcriptæ primordia ſumpſiſſe, illoſque tunc Monachos in parte fuiſſe, quod nunc Fratres, & Monachi jam ſunt in toto; non quia Scriptura id dicit, ſed quia Scriptura non contradicit. Non contradicit* (ſubdit) *nominis appellationi, ſed dicit rem ſignificatam per nomen, adeoque quamvis novum ſit Religioſi vocabulum, hoc tamen Religionis realitati non derogat, cum ipſius nominis appellationem ſatis diù præceſſerit*. Audiamus noviter Auguſtinum hæc omnia approbantem: *Audite* (inquit) *Apoſtolum talia prævidentem, & ea omnia evitanda ſalubriter admonentem. Profanas, inquit, verborum novitates devita. Non ait tantum verborum novitates, ſed addidit profanas; ſunt enim doctrinæ Religionis congruentes verborum novitates, ſicut ipſum nomen Chriſtianorum, quando dici cœperat, ſicut ſcriptum eſt; in Antiochia enim Chriſtianum poſt Aſcenſionem Domini appellati ſunt diſcipuli Chriſtiani, ſicut legitur in Actibus Apoſtolorum; & Xendochia, & Monaſteria poſtea ſunt appellata novis nominibus, res tamen ipſæ, & ante nomina ſua Religionis veritate firmantur, qua etiam contra improbos defendantur*: ut infra cum eodem Auguſtino magis conſtabit. 7. de Trinit. cap.4. tom. 9. ſup. Joan. hom.97 verſus finem 2. ad Timot. 2.

XII. Iſti Monachi, ſeu Prophetarum Filii perſeverarunt à Samuelis tempore uſq; ad Eliæ adventum, in cujus diebus cogente Achab omnem populum ad Idolorum cultum, penè periit tota Filiorum Prophetarum Religio; quouſq; Elias coram multitudine exclamans dixit: *Ego remanſi Propheta Domini ſolus, Prophetæ autẽ Baal quadringenti, & quinquaginta viri ſunt. Prophetæ Lucorum quadringenti & quinquaginta*. Quocirca zelans Filiorũ Prophetarum multiplicare Religionem, falſoſque, ac idolatras Prophetas Baal, univerſum Iſraelis Populum ad Idolorum cultum ſubvertentes, deſtruere, 3.Reg.18.nu. 19.& 22.

acce-

Digitized by Google

ꝫu.28. accedens ad populum ait: *Uſquequò claudicatis in duas partes, ſi Dominus eſt Deus ſequimini eum, ſi autem Baal ſequimini illum. Optima propoſitio. Facite vos primi*. Et cum Elias illudiſſet illos dicens: *Clamate voce majori, Deus enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diverſorio, aut in itinere, aut certè dormit. Ædificato ſibi altari duodecim lapidibus conſtructo juxta numerum Tribuum filiorum Jacob, terque quatuor hydriis aqua, Sacrificio aſperſo, oravit Elias dicens: Exaudi me Domine, exaudi me, ut diſcat Populus iſte, quia tu es Dominus Deus; & cecidit ignis Domini, & voravit holocauſtum, & ligna, & lapides, pulverem quoque, & aquam, qua erat in aquaductu lambens. Quod cum vidiſſet omnis Populus cecidit in faciem ſuam, & ait: Dominus ipſe eſt Deus, Dominus ipſe eſt Deus*. En admirabilis de Baalitis Eliæ triumphus, illataque ipſis ab Eliæ Zelo propter idolatriam mortis pœna: *Nam apprehenſis omnibus Prophetis, itant nec unus quidem ex eis effugeret, eos ad Torrentem Ciſon ducens, interfecit*.

XIII. Egregia hac de Pſeudo-Prophetis Baal reportata victoria, ſumptove de impijs Sacrificulis ſupplicio, ſciens Elias Deum jam placatum eſſe, tandiuque deſideratam pluviam emiſſurum eſſe, ait ad Achab, qui teſtis fuerat necis Impiorum in torrente factæ, *aſcende* in Carmelum ſcilicet, vel alium locum aptum ad quieſcendum, *comede, & bibe*, lætus, & ſecurus, *quia ſonus multæ pluviæ eſt*. Quo faciente, Elias *aſcendit in verticem Carmeli*; (deſcenderat enim priùs ad Torrentem) *& pronus in terram poſuit faciem ſuam inter genua*, in ſignum humillimæ, & ferventiſſimæ orationis, *& dixit ad Puerum ſuum: aſcende, & proſpice contra mare* (eſt enim Carmelus ſupra mediterraneum mare) *qui cum aſcendiſſet, & contemplatus eſſet, ait non eſt quidquam, & rurſum ait illi, revertere ſeptem vicibus*; in quo ſeptenario numero, ſeptiformem Sancti Spiritus gratiam, quæ danda erat Eccleſiæ, deſignatam fuiſſe affirmat Auguſtinus; & Novarinus aſſerit, quod Septenarius ille numerus *Sanctum Spiritum deſignat*. Et inde ſubiungit, *nec niſi ſeptiformis Spiritus gratia ornatam oſtendi Virginem decebat*. Undè Philo ſcribit: *Septenarius numerus quamdam putabatur ſpeciem virginitatis habere; ipſoque oportuit Ordine Virginum Reginam typicè adumbrari. In ſeptima autem vice ecce Nubecula*

3.Reg. 18. n. 44. *parva, quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari*. In qua viſione repræſentatam prævidit Puram, Sanctam, & Immaculatam Deiparæ Virginis Conceptionem, ut teſtatur graviſſimus, & antiquiſſimus Doctor Jo: Jeroſolymitanus Patriarcha 44. qui floruit circa annum 400. his verbis:

de inſtit. Monac. c. 39. ad Capraſium Mon. de bono perſever. interpr. Aymerico Patriar. Antioc. in Bibl. Patrum. *Per illam Nubeculam revelavit Deus Eliæ, quod quædam Infantula, ſcilicet B. Maria per illam Nubeculam ſignificata, & inſtar illius Nubeculæ per humilitatem parva naſceretur de humana natura peccatrice, deſignata per mare; quæ Infantula jam in ſuo Ortu eſſet munda ab omni peccatorum ſorde quemadmodum nubecula illa de mari amaro orta ſine tamen aliqua amaritudine. Licèt namque Nubecula illa eſſet originaliter ejuſdem naturæ cum mari, alterius tamen fuit qualitatis, alteriuſque proprietatis. Mare quippè ponderoſum eſt, & amarum, ſed nubecula illa levis fuit, & dulcis. Sic quamvis in quolibet alio homine natura humana inſtar maris ſit in ſua origine, ita amaritudine peccatorum, & pondere vitiorum preſſa, ut fateri cogatur: Iniquitates meæ ſupergreſſæ*

Pſal. 37. *ſunt ſuper caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me; Beata tamen Maria de hoc mari, ideſt natura humana aliter fuit orta. Quoniam in ſuo Ortu non fuit onerata amaritudine delictorum, ſed inſtar illius nubeculæ fuit levis per immunitatem peccatorum, & dulcis per plenitudinem chariſmatum.*

XIV. Revelatis, ut traditum tenemus (nota ly traditum tenemus; nam hæc eſt Ordinis Carmelitarum traditio; & ſingulares Deiparæ Virginis apparı-

paritiones per traditionem legimus in officiis, & ſuorum Filiorum veneratione conceſſum fuiſſe Sacris Sancti Patriarchæ Dominici, Sanctiſſimæ Trinitatis, & Redemptionis Captivorum Ordinibus) revelatis (inquam) pariter in hujus nubeculæ viſione magno Prophetæ Eliæ Immaculata Virginis Mariæ Conceptione, ejuſdem Ortus tempore, perpetuaque ipſius Virginitate, necnon altiſſimo Verbi Divini Incarnationis Myſterio, quæ omnia (ut teſtatur relatus Joannes) dignatus fuit Elias non palam, ſed ſecreto omnibus ſuis conſortibus aperire, ipſam Deiparam, ac Chriſtum ex ea naſciturum, tamquam ſui Carmelitici inſtituti cauſas exemplares, finales ideales, ac meritorias habuit. Ipſa namque Beatiſſima Virgo Sanctiſſimo Eliæ tamquam doctrix data fuit, ut vitam ſuam ad ejus exemplar inſtruere valeret. Etenim ut dulci modulamine exclamat mellifluus Bernardus: *Origo fontium, & fluminum mare, virtutum auctrix, & Scientiarum Scietia Sanctarum Maria eſt*. Nec tali Magiſtra carens quidquam addiſcere potuiſſet; Unde alloquens Deiparam Germanus Conſtantinopolitanus, ſic ait: *Niſi tu praires, nemo Spiritualis evaderet, nemo in Spiritu Deum adoraret.* Et infra: *Nemo Dei cognitione repletus eſt niſi per te ò Sanctiſſima*. Ad hoc ergo Speculum Coelibem vitam, Caſtitatiſque colendi normam compoſuit Propheta Elias; *Quoniam* (ut aſſerit Idelphonſus Toletanus Antiſtes) *Virginitas, & vita B. Mariæ ſpeculum, & ſpecies fuit totius Caſtitatis, & integritas virtutum, decus pudicitiæ; & magiſterium valdè eximium probitatis. In qua (rogo) videant Virgines quid corrigere, quid tenere debeant honeſtatis*. Prævidit utique magnus Propheta, ac in nubecula Chriſti reſplendeſcentem agnovit puritatem, ut quam lepidè ſcribit Joannes Jeroſolymitanus: *Ecce (inquit) nubecula parva quaſi veſtigium hominis aſcendit in Carmelum, quia Maria in hoc ſuo Spirituali aſcenſu non fœminam quam imitaretur, ſed hominem divinum habuit exemplum*. Quocirca Auguſtinus Joannis coævus, *ne fortè* (inquit) *aliquis dubitet nubem illam veſtigium hominis habuiſſe, dixit, illius utiquè hominis, qui dixit: quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Chariſſimi namque Filij Virgo in nubecula adumbrata ferebat imaginem, cujus ut nitentis criſtalli ſpeculum jam exiſtens, expreſſit ſimilitudinem. Vnde Gregorius Niſſenus fatur: *Ei quæ pulchra facta eſt rectè dicit Verbum. A mali quidem ſocietate recedens mihi appropinquaſti, appropinquans autem primariæ, & exemplari pulchritudini, ipſa quoq; pulchra facta eſt, veluti quoddam ſpeculum confirmatum meo charactèri. Homo revera ſpeculo eſt ſimilis, formas ſuſcipiens ex ſimulacris inſtitutorum, & liberarum electionum*. Graficè ſanè Gregorius Niſſenus magnum Prophetam Eliam monaſtici inſtituti Protoparentem quaſi deſcribens rem attigit. Elias namquè qui à D. Jacobo in ſua Epiſtola dicitur quod *erat homo ſimilis nobis paſſibilis*, veluti ſpeculum oppoſitum ſpeculo Mariæ, in qua Verbum Caro repræſentatur, formam Caſtitatis, ac Religioſæ converſationis *ex ſimulacris inſtitutorum* (Chriſto Domino ſcilicèt, & Maria primis iſtius vitæ exemplaribus præviſæ) ſuſcipiens, *liberarum electionum*, votorum nempè trium, quæ liberè debent emitti, primus fuit Cultor, primuſque qui in Chriſti, ac Matris Virginis laudem, ipſorumque nomine religioſæ jecit fundamenta obſervantiæ, verique Monachatus quò ad ſubſtantiã, & eſſentiam talis, licet non cum ſolemnitate, perfectione, ac poteſtate clavium, ſicut in lege gratiæ, executor, ac fundator extitit prior. Unde de ipſo Sanctus Methodius Martyr, ac Tyrij Epiſcopus, ſic omnia confirmat, inquiens: *Puritatis etiam tuæ* (loquitur de Deipara) *Elias Propheta præſcius, atque imitator in Spiritu cum eſſet, vitæ illius igniferæ ſibi coronam colligavit, in hucuſque diem divino ſuffragio morte Superior declaratus*. At, ubi vitæ illius coronam ſibi colligaſſet, niſi prior ad puritatis futuræ Virginis Matris exemplar, clauſtralium virtutum in uno texu-

ſerm. 1. ſup. ſalve Reg.

ſer. 2. in Mariæ dormit.

ſerm. 3. de aſſumpt.

de inſtit. Monac. c. 41.

ſerm. 201. de tempore.

hom. 4 in Cãt.

c. 5. n. 17.

hom. de S. Simeone, & Anna, ſeu de Feſto Purificat. quæ extat in Bibl. Patrum Colonienſi.

xuiſſet diademate, alioſque in Religionis collegio cinxiſſet? Et pergit Methodius: *Te quoque ejuſdem Succeſſor Eliſeus à Sapiente Magiſtro his ſacris initiatus, tamquam jam exiſtentem, quæ tamen non exiſtebas præfigurant, ſupra naturam ſignis quibuſdam rerum earum, quæ poſtea futuræ eſſent veris indicibus auxilium, medicinamque indigentibus attulit.* Ex quo conſtat non ſolum Eliam à Virgineo Prototypo Religioſi Status notitiam delibaſſe, ſed etiam chariſſimo Eliſeo Succeſſori, alijſque Diſcipulis ſecretò ſuggeriſſe, quod eſt quod dicit Joannes Jeroſolymitanus per ly *traditum tenemus*. Unde ſimile eloquium circa Carmelitarum traditionem benevolè recipere, ac intelligere quiſquè debet ęquè ac quæcumque alia relatarum Religionum peculiaris traditio, ſine controverſia accipitur. Non enim intendunt Carmelitæ, quod Deipara Virgo ejus immaculatam Conceptionem Ortum, Puritatem, ac Verbi Divini Incarnationem Eliſeo, cæteriſque Prophetarum Filijs peculiariter revelaverit: Sed quod his omnibus in Nubecula parva quaſi veſtigium hominis præſeferente, & de mari aſcendente, prævisis ab Elia, illa diſcipulo ſuo Eliſeo ſecretò communicaverit, & iſte ejus diſcipulis, & ſic per ſucceſſivam traditionem omnibus hujus ſacri inſtituti Religioſis; eo prorſus modo, quo in præfatis Ordinibus ſingularia aliqua in Deiparæ apparitione fuere revelata eorum primis Inſtitutoribus, & deindè ab iſtis ſignificata, & communicata ſuis immediatis ſucceſſoribus, & ab his per ſucceſſivam traditionem cœteris ejuſdem Inſtituti alumnis, à quibus omnibus ſine aliqua fictione fuere acceptata, & venerata.

XV. Quod vero Elias in Nubecula parva quaſi veſtigium hominis præſeferente altiſſimum Incarnationis myſterium præcognoviſſet, aſſirmat percelebris ille Theologus Judocus Clichtoveus, inquiens: *Vidit Nubeculam albam continentem in ſe ſpeciem, & effigiem hominis, quo quidem indicio ſentiunt omnes Eliam divinæ Incarnationis prænoviſſe Myſterium*. Immò etiam aſſerit, prævidiſſe Virginis naſcituræ puritatem, ſubiungēs: *Et per Nubeculæ candorem Sacratiſſimæ Virginis Mariæ candidiſſimam puritatem; per hominis autem veſtigium nubis ambitu, & continentia compræhenſum, Filium Dei ſuſcepta carne humana in caſtiſſimæ Virginis utero degentem intellexiſſe.* Hanc pariter Virginis Puritatem fuiſſe ab Elia in nubecula præcognitam affirmat eximius Scriptor Ferdinandus Quirinus de Salazar, ait enim: *Nubecula illa parva, quaſi veſtigium hominis, orante in Carmelo Elia, de mari aſcendere viſa eſt, non magis pluviæ, quam Mariæ puritatem prænuncians, atque præſagiens. Oriebatur ſcilicet* (immaculatam hic Virginis Conceptionem adducit) *nubecula illa dulcis ab initio; & Maria (quæ nubes a Hieronymo, & alijs ſepè Patribus appellatur) dulcis ab ipſo naturæ exortu, ſine ulla peccati amaritudine extitit. Aſcendebat illa levis, & hæc nullo nuquam criminis pondere gravata ſuper omnes homines altius ferebatur*. Tandem prævisam hanc B. Virginis Mariæ puritatem fuiſſe ab Elia ſui monaſtici inſtituti Profeſſoribus manifeſtatam, & indè in ejuſdem Virginis Puritatis honorem, Sacram in Carmelo Ædem extructam eſſe affirmans, concludit: *Vnum illud addam, quod ille quoque addit* (ſcilicet Joannes Jeroſolymitanus) *eam de B. Mariæ puritate præſagam, & propheticam cognitionem ab Elia Eliſeo, & alijs ſuis Diſcipulis manifeſtatam, ab illo porrò ſequentibus perpetua ſucceſſione per manus traditam fuiſſe, donec orta jam Maria, & viſionem reipſa comprobante Ædes Sacra in Carmelo extructa fuit, ejuſdem puritatis præclarum monumentum.* De qua Æde ſeu Oratorio fuſius infra redibit ſermo. Deniquè quod Virgineæ ad exemplum Puritatis magnus Propheta Elias obedientiam, ac paupertatem, una cum caſtitate primus ipſe ſervaverit, alijſque perſuaſerit ad imitationem, & honorem ejuſdem Virginis Deum parituræ, teſtatur Arnoldus Boſtius his verbis: *Anhela*

ſerm. cum dixerint vobis.

Argum. 9. c. 39. n. 11.

lib. de Patron. B. Virg. Mariæ c. 2.

Digitized by Google

hela trahens in longinquum ſuſpiria, totum ſe tranſfudit in amorem tam ſuperexaltandæ Virginis, cui & annulum aureæ ſuæ fidei, veluti Sponſæ ſuæ, amantium more delegavit, & ad exemplum ejus quaſi ad ſigilli ſpiritualis imaginem, Eliſeum, Micheam Moraſtitem, Abdiam, Jonam, ac cæteros quos advocaverat (quorum & virtutibus tamquam quibuſdam ſtellis Canonicæ micant hiſtoriæ) ſecum tamquam Mariæ Præcurſores, continentiam Virginitatis edocebat. lib. de Patro. B.V.Mar.c.2

XVI Prævisis igitur, ut diximus, in Nubecula parva Deiparæ Virginis puritate, & Verbi Divini Incarnatione; Chriſtum, ejuſq; Matrem tamquam cauſas exemplares, ideales, finales, moraliterq; meritorias ſibi proponens magnus Propheta Elias, zelans multiplicare Filiorum Prophetarum Cuneum, verum quo ad eſſentiam, & ſubſtantiam perfectorum Monachatum, diſtinctum ne dum à communi, & vulgari, ſed etiam à peculiari legis naturæ, & ſcriptæ Religione, inſtituere decrevit. Maxima enim extat differentia inter peculiarem Religionem ſupra communem, & vulgarem, inſtitutam temporibus Seth, Enoch, ac Samuelis; & eam quam in lege ſcripta peculiariter inſtituere intenderat, & inſtituit magnus Propheta Elias, quæ differentia benè cognita fuit à ſapientiſſimo Waldenſi: *Duo enim* (inquit Doctor) *Sunt principia Religionis peculiaris. Horum unum aliquid ponit, quia eſt quid poſitivum, quod eſt contemplatio divinorum. Alterum eſt principium prohibitivum, quod Divus Dioniſius vocat abrenunciationem omnibus diviſibilibus, ideſt omnibus tranſitoriis*. Per hæc verba: *Eorum qui perficiuntur univerſorum, altior eſt Ordo Monachorum Sãctus, ornatus omni quidem mundatione per totalem virtutem, & perfectam propriarum actionum Caſtitatem. Omnis autèm ſanctæ operationis, quam eſt fas illi contemplari intellectuali contemplatione, & communione, & Hierarcharum perfectionis virtutibus traditus, & divinis ipſorum illuminationibus, & hierarchicis traditionibus edoctus, inſpectans Sacrarum perfectionum, quæ ad ipſam pertinent Sanctificationes, & à Sancta ipſorum ſcientia proportionaliter ad perfectiſſimam perfectionẽ auctus*. Ex quibus verbis explicat Waldenſis principium prohibitivum ſic: *Principium prohibitivum continet eſſentialitèr tria Vota in omni Religioſo moderno, ſcilicèt Obedientiam, quæ removet contumaciam à voluntate; Paupertatem, quæ tollit cupiditatem ab extrinſeca facultate, & Continentiam, quæ tollit laſciviam naſcituram in carne. Quæ quamvis ſint jam eſſentialiter requiſitæ in omni Religione perfecta, non ſic tamen antiquitùs, dùm Religio infans erat, ſed alii quædam, alii unum, alii univerſa ſervabant magnis de cauſis. Religioſi tamen dicebantur omnes, quia ſinglaritèr præ aliis ſuis Concivibus, vel toto medio, vel aliquo equivalenti, divino cultui ſe dederunt*. Undè quandò Elias intuitu Chriſti, & Deiparæ zelavit Prophetarum Religionẽ multiplicare, Monaſticum perfectorum Inſtitutum cum tribus Votis eſſentialibus quo ad ſubſtantiam, & eſſentiam inchoavit.

tom.1. doctr. Fid.lib.3. ar. 1.cap.1.

ibid. ca.1. & 11.

XVII Et nè audientium auribus, aut legentium oculis diſſonum videatur, quod magnus Propheta Elias intuitu Virginitatis futuræ Deiparæ per Nubeculam de mari aſcendentẽ ſignificatæ, ſuum inchoaverit Inſtitutum, eidemq; parituræ Virgini dedicaverit, hinc Summi Pontifices Innocentius VIII Julius II. Gregorius XIII. & in ſpecie Sixtus IV. in ſuo Diplomate Ordini Carmelitico conceſſo, Priore Generali exiſtente, P. M. Criſtophoro Martignone de Brixia, de quo ipſemet Pontifex in ſua Epiſtola de anno 1472. Eminentiſs. Cardinali Guillelmo de Eſtouteville Roanenſi Archiepi-

 ſco-

In Papiro Ordinis fol. 57.

ſcopo, necnon Oſtiæ Epiſcopo, & Ordinis Protectori directa, ſcribit: *Dilectum Filium Chriſtophorum Martignonum Artium, & Theologiæ Magiſtrum Ordinis in Romana Curia Procuratorem nobis, ac tibi* (loquitur cum præfato Cardinali) *ob ſingularem doctrinam, Religionis zelum, & alias multiplices virtutes, quibus præditus eſſe dignoſcitur, acceptum*: Et qui ab eodem Pontifice ob ejus ſingulares virtutes, & vitæ integritatem miſſus fuit tanquam Legatus Apoſtolicus ad Federicum II. Imperatorem. In ſuo, inquam, Diplomate hæc habet: *Dum attenta meditatione penſamus* (nota ly penſamus, nam proprium indicat Pontificis motum, ſpontaneamque deliberationem, & non Carmelitarum, aut eorundem Fautorum, & Protectorum inſtantias, ut aliqui falſo putant) *Quod Virgo venuſtiſſima, & omnium virtutum floribus inſignita, Virgo Dei Genitrix glorioſiſſima, cujus pulchritudinem Sol, & Luna mirantur, cujuſque præcibus juvatur Populus Chriſtianus, & quæ florem pratioſiſſimū, immarceſcibilem, & æternum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ineffabili Sancti Spiritus cooperante virtute genuit, produxitque Sacrum Ordinem B. Mariæ de Monte Carmelo à Sede Apoſtolica, pluribuſque Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris approbatum, quem ejuſdem Beatiſſimæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ ſpeciali titulo voluit inſigniri, &c.* Et infra: *Et inter cæteros Regularium Ordinum Profeſſores in firmamento Catholicæ Fidei militantes, tamquam Religionis Speculum, & exemplar ſpeciali charitate fulgentes, Sanctorumque Prophetarum Eliæ, & Eliſei, & aliorum Patrum, qui Montem Sanctum Carmeli juxta Eliæ Fontem inhabitarunt, ſucceſſionem hæreditariam tenentes; fructus quoque uberes, quos dictus Sacer Ordo in Agro militantis Eccleſiæ in propagatione Religionis, & Fidei Orthodoxæ hactenùs produxit utilitèr, & producit, ac in futurum producturum fore indubitantèr ſperamus, paterna charitate intuemur, dignum potiùs, quinimmò & debitum reputamus, nos ad illa noſtros debere dirigere cogitatus*. Volunt enim iſte, & cœteri Pontifices ſuprarelati in ſuis reſpectivè Bullis conſimilia quo ad ſubſtantiam verba tenentibus, quod Carmelitarum Ordinem Virgo Mater produxit ut Cauſa exemplaris, & finalis in deſtinatione divinæ Majeſtatis.

XVIII Sic graviſſimus ille Theologus, & hæreſis Witcleffianæ expugnator acutiſſimus Thomas Waldenſis relationem illam inſtituti S. Prophetæ Eliæ ad Matrem Dei pro ſigno diſtinctivo agnoſcit ab aliis in Eccleſia Dei Ordinibus; Vbi de illo Vitcleff dicit: *Audire inſtat Carmelitam dicere, Ego ſum Eliæ intuitu Prophetico Matris Dei*, videlicèt ut hoc ipſum ille carpat. Abſit igitur, ut docendo ab Elia cæpiſſe Ordinem Monaſticum, immò etiam ejus ſtatum, quem omninò agnoſcimus, præjudicium aliquod fiat æconomiæ Chriſti Domini, aut privilegio ipſius adventus. Ipſe enim idem Thomas noſter, dum eidem Ordini hæreſiarca Witcleff antiquitatem ſuam, & inſtitutionem negabat, non dubitavit totó capite illo 89. ipſum refutare, ad quod etiam pertinent, quæ ſunt in libro tertio Doctrinalis Fidei, cap. 4. 5. 24. & 28. Nihilominus tomo illo tertio de Sacramentalibus Vir iſte minimè obliviosus ex profeſſo definit cōtra eundem Witcleff: *Quod Religioſi Ordinis perfectorum non ſunt factitij à puro homine, ſed à Chriſto homine inſtituti*. Et verè etiam Carmelitarum Ordinem, etſi inſtitutum à Sancto Propheta Elia eſſe tamen à Deo Homine, ſive Chriſto, tanquam ex ipſius gratia, ſine qua nihil habet rationem perfecti boni, & à Deo inſpirante, & tamquam à prima Cauſa efficiente, Elianique inſtituti perfectore. Et nemo Scriptorum Ordinis negat Ordinem propheticum magnam conſecutum eſſe ſui perfectionem in Adventu Chriſti, tamquam à Cauſa efficiente, & inſtituente.

XIX.

Digitized by Google

XIX Et quod Deipara ad Eliæ exemplum (quod eſt intelligendum in executione) perpetuam Deo voveret caſtitatem, oſtendit Waldenſis contra Witcleffiſtas, ſequentia de libro Joannis referens verba, in quo libro ſecũdum veritatem hiſtoriæ, ingentem invenit conformitatem Eliæ Prophetæ cum Virgine Deipara; *quia Virgo primus Elias inter Mares, Virgo prima Maria inter Fœminas, quam contemplatus eſt.* Nam Carmelus Eliæ(nota ly Eliæ ad differentiam duorum aliorum Carmeli Mõtium, qui tàm in Scriptura, quam penès alios Auctores leguntur) idem ſonat ac Agnus Circumciſionis, ſeù ſcientia circumciſionis: *Nemo autẽ* (inquit Joannes) *unquam ad hanc aſcendit Circumciſionis ſcientiam priuſquam Elias, & Puer ejus, ideſt Cœtus Filiorum Prophetarum Diſcipulorum ejus: Ipſi namque primi Virorum ſeipſos per Virginitatem perpetuam ſpontè dedicantes* (nota ly ſponte dedicantes, quod idem eſt ac voventes, quia dedicare aliquid Deo eſt per Votum illi promittere, ut infrà clarè patebit) *Caſtraverunt prorsùs ab omnibus venereis voluptatibus ſuas mentes, & propterea appellati ſunt Carmelitæ, quod eſt interpretatum ſcientes circumciſionem: quia hoc quod circumciſio indicat ſciverunt perfectè adimplere, &c.* & infra: *Ad montem quoque Carmeli, ideſt ad hanc altam circumciſionis ſcientiam, Nubecula illa, ſcilicèt Beata Maria ideo quaſi veſtigium hominis aſcendebat, quia non fœmina, ſed homo ideſt Elias exemplum aſcendendi ei præbebat, quem ipſa imitari ſatagebat. Nam ſicut Elias prius præputium impudicitiæ ſcivit à ſua carne, & mente prorſùs circumcidere, dum primus inter homines ſtuduit Deo Virginitatem perpetuam ſponte inchoare, ita poſtea B. Dei Genitrix præputium impudicitiæ ſcivit exemplo Eliæ à ſe penitus circumcidere, dum quaſi veſtigium hominis illius, elegit prima fœminarum propter Deum in virginitate perpetua vivere.* 3. *de Sacramentali tit.* 4. *c.* 89. *de Inſtit. Monach. ad Caſsianum c.* 41.

XX Nec per hoc quod propheticus Ordo futuræ Virginis memoriæ dicatus tot annorũ Centuriis ante ejus Nativitatem, volũtariam Deo voverit Virginitatem, aliquod inferri videtur Deiparæ Virginis privilegiis præjudicium. Primò, quia fuit à Carmelitano Cœtu prius venerata quam nata, ut teſtatur Euſebius Cæſarienſis affirmans: *Ab Eſſenis, quos Alexandriæ Sanctus Marcus reperit, Mariam non dum natam cognitam fuiſſe, ac ſingulari veneratione cultam.* Secundò, quia inquit Mantuanus, hoc nullum afferre poteſt Virgini Mariæ præjudicium, cum Deipara ſe Deo dicaverit in caſtitate, tàm mentis, quàm corporis, & ſit prima dignitate, & excellentia. Quod etiam affirmat eximius Ordinis Carmelitarum Analiſta Joannes Baptiſta Lezzana; de quo eruditus Divi Jacobi Eques Hyſpalenſis Canonicus D. Nicolaus Antonius in Romana Curia Catholici Regis Agens Generalis in ejus Bibliotheca Hyſpana ſcribit: *Inter tot enim Eccleſiaſticæ hujus Supremæ Curiæ Sydera* (loquitur de Romana Curia) *ſivè doctrinæ, ſivè prudentiæ, ſivè morum integritatis fulgore clarum, conſpicuumque verſari, præcipuoque apud omnes Ordines loco haberi, maximè Virum intra Clauſtra degentem, remotumque ab Aulæ ambitu, & jactatione, res quidem eſt paucis hominibus, iiſque illuſtrioris cujuſdam virtutis commendatione ornatis conceſſa, &c.* & infra: *In hoc certè homine ſapientia, & pietas doctrinæque excellentia, & modeſtiæ, ac prudentiæ dotes ſic æqualitèr, maximeque floruerunt, ut neutra harum virtutum alteri concedente ad firmandum omnes, veluti data opera, Virum undique clariſſimum conſpiraverint, &c.* Et in fine: *Nullus* (inquit) *qui Lezzanæ meminit abſque præcipuæ laudis conſignatione meminit.* Affirmat, inquam: *Beatiſſimam Virginem primam dignitate, eminentia, intentionis, & perfectionis ordine in hujuſmodi prærogativa extitiſſe. Quemadmodum enim licet innocentia Abel, obedientia Iſaac, patientia Job, & aliæ Patrum priſcorum eximiæ virtutes tempore priores* *lib.* 2. *Eccleſ. hiſt. c.* 17. *lib.* 1. *Parthenicæ Marianæ.* *tom.* 1. *annal. ad ann.* 4042

Chriſto fuerint; præſtantia tamen, excellentia, ordine intentionis, & dignitate, chariſmatibus ſimilibus ejuſdem Chriſti cedunt; Sic pariter de Virginitate Eliæ cum Sanctiſſimæ Deiparæ Virginitate cenſendum; ita ut ille prior tempore fuerit, hæc verò prior in intentione, dignitate, & excellentia. Vndè licèt aliquo modo, ſpectata ſcilicèt temporis diuturnitate, Beatiſſimam Virginem ad Eliæ exemplum eam obſervaſſe, & voviſſe dici poſſit (quo ſenſu Joannes relatus loquitur) ſimplicitèr tamen, & abſolutè loquendo potius è contra affirmare debemus, Virginitatem videlicet Sanctiſſimæ Virginis, exemplarem cauſam, & veluti finalem virginitatis Eliæ, & aliorum Prophetarum fuiſſe. Hoc idem videtur affirmare graviſſimum clariſſimi Theologi Dominici Soti teſtimonium; loquens enim de Voto Virginitatis Deiparæ Virginis expreſsè aſſerit ipſam in virginitate colenda exemplum habuiſſe in ſua Gente, ſic ſcribens: *Veritas hæc preterea multis Prophetarum exemplis comprobatur: Iſaias namque, Eliſeus, & Hyeremias, ut Hieronymus Auctor eſt, complureſque alii à re uxoria ſe prorſus abdicarunt, circumeuntes (ut ait Paulus ad Hebręos 11.) in melotis, & pellibus caprinis, in ſolitudinibus aberrantes, & in Speluncis, & Cavernis terræ. & Joſephus lib. 18. antiquit: & Solinus in Polyſthoria cap. 48. referunt ante Chriſti adventum Eſſenorum Collegium in deſerto Judeæ more noſtrorum Anachoretarum Sanctiſſimam deguiſſe vitam, ab uxoribus prorſus, & ab omni conſpectu fæmineo ſemotiſſimã, quorum Inſtitutum ſecutus Joannes Baptiſta. Vndè quamvis nullam aliam habuiſſet Beata Virgo revelationem, exemplum in ſua Gente haberet Virginitatis colende.* Quibus verbis comprobatur Deiparæ Matris Virginitatem exemplum habuiſſe (temporis videlicèt prioritate) in Prophetis, & Eſſenis. Quocirca Sapientiſſimus Pater Suarez ad ſimilia Argumenta, & objectiones, quas aliqui neoterici uti Sherlogus contra Deiparæ Caſtitatis votum proponunt, injuriarum memor, reſpondet: *Ad has obiectiones* (inquit) *nihil habeo, quod reſpondeam, niſi hanc rem eſſe incertam, & non admodum ad Deiparæ laudes pertinere. Quod enim ipſa perpetuum Votum virginitatis emiſerit ad perfectionem ejus pertinet; quod autem ante ipſam nullus* (nota ly nullus) *hoc fecerit, ad ejus commendationem non admodum refert.* Et poſtea ſubdit: *Deindè etiam dici poteſt prima, quæ præpoſita eſt tamquam dux, & exemplar hujuſmodi voti, & hunc exiſtimo eſſe ſenſum Sanctorum Patrum.* Et tandem ſubjungit: *Hunc principatum Mariæ in Virginitate ſalvanda ſufficienter ſalvari in eminentia, & ſpeciali prærogativa, qua in ipſa eluxit hæc virtus.* Hoc idem concluſione ſecunda magis firmat ſequentibus verbis: *Secundo (quo ad dignitatem pertinet, etiam & perfectionem) dicendum eſt abſque ulla dubitatione in virginitatis perfectione inter omnes puras creaturas Deiparam primatum tenuiſſe. Hæc Concluſio conſtat ex communi doctrina Patrum, & ex omnibus dictis.*

in 4. diſt. 3. q. 2. art. 1.

lib. 5. con. Jovin.

to. 2. p. 3. diſp. 3. ſect. 6.

XXI. Et quia in Virginitate Deiparæ Deo per votum ad Eliæ exemplum (temporis ſcilicet prioritate) dicata inſiſtimus, neceſſarium ducimus tranſeuntèr aliqua brevitèr hic addere circa ejus cum Sanctiſſimo, ac puriſſimo Sponſo deſponſationem, ut quiſquè dignoſcere valeat ſe Joſepho deſponſando neutiquam à Virginitatis receſſiſſe voto. Beatiſſimam enim Virginem Mariam perennem Deo voviſse continentiam, docet Divus Auguſtinus inquiens: *Materna propinquitas nihil Marię profuiſſet, niſi feliciùs Chriſtum corde, quam carne geſtaſſet. Ipſa quoquè virginitas ejus ideo gratior, & acceptior, quia non eam conceptus viro violaturo, quã conſervare ipſe præripuit, ſed priuſquam conciperetur, jam Deo dicatam, de qua naſceretur, elegit. Hoc indicant verba, quæ ſibi factum annuncianti Angelo, Maria reddidit. Quomodo* (inquit) *fiet iſtud quoniam virum non cognoſco? Quod profecto non diceret, niſi Deo Virginem ſe ante voviſſet*

to. 6. de bono Virginali in princ.

Luc. 1.

viſſet; ſed quia hoc Iſraelitarum mores adhuc recuſabant, deſponſata eſt Viro juſto non violenter ablaturo, ſed potius contra violentias cuſtodituro, quod ipſa jam voverat. Et ſequitur: *Virginitatem jam Deo dicavit, cum adhuc quid eſſet conceptura neſciret*. Quibus verbis addit ſapientiſſimus Waldenſis: ***Et ne Votum iſtud*** *intelligeretur* ***non illo Sanctiſſimo modo vovendi promiſſivè***, *ſed abuſivè modo nudi deſiderij, ideo aliquando uſus eſt Auguſtinus verbo dicavit, in eodem ſenſu: Si uterque terminus ſubvertatur, nimia videtur injuria, & tamen ne ipſum vovendi vocabulum in hac æquivocatione lateret per adulterantes Verbum Dei, decretum Eccleſiæ docet iſtud* ***votum*** *Virginis fuiſſe non ſolum promiſſum, ſed prius corde, ac demum ore profeſſum; Immò ab utroque conjuge Joſepho, & Maria initum*. Vnde Gratianus ſub ejuſdem Auguſtini auctoritate, inquit: *Sicut Auguſtinus ait Beata Maria propoſuit ſe obſervaturam votum Virginitatis in corde, ſed ipſum non expreſſit ore; ſubjecit ſe divinæ diſpoſitioni, dum propoſuit ſe perſeveraturam Virginem, niſi Deus alitèr revelaret. Committens ergo Virginitatem ſuam divinæ diſpoſitioni conſenſit in carnalem copulam, non illam appetendo, ſed divinæ inſpirationi in utroque obediendo. Poſtea vero Filium genuit, quem corde conceperat; Virginitatiſquè votum ſimul cum Viro labiis expreſſit, & uterque in Virginitate permanſit*. Et tunc addit Waldenſis: ***Ad verum conjugium individuam dicens pertinere Vitæ conſuetudinem***. Tandem ſubinſert decretum: *Ad individuam itaque conſuetudinem pertinet abſquè legitimi Viri conſenſu orationi aliquando non poſſe vacare, nec cotinentiam profiteri. Quia ergo iſte conſenſus fuit inter eos, patet illos fuiſſe conjuges*. Ex quo conſtat tam Mariam, quam Joſeph ſanctam continentiam fuiſse etiam oretenùs profeſsos; ſecundum quod poſtea inolevit in primitivis Eccleſiæ temporibus continentiam debere voveri, & prævaricatores ejus damnatos eſse ab Apoſtolo. Et Sapientiſſimus Cajetanus explicans queſtione 29. Angelici Præceptoris mentem circa votum conditionatum Deiparæ Virginis, inquit: *Rationale ſiquidem eſt, ut quod conceperat virginitatis votum divina inſpiratione ante deſponſationem, nonniſi divino juſſu conceperit quoque ſolvendum.*

tom.1.Doctr. Fid.ar.2.cap. 22.

in decret. ca. 27.queſt.2.

1.adTimoth. 5.

XXII. Audiat nunc omnis Curioſus, & Deiparæ V. M. devotus, quod non admodum referat ad ejuſdem Virginis puritatem Eliæ exemplum á Joanne Jeroſolimitano relatum, audiat, inquam, S. Joannem Damaſcenum quoſdam redarguentem, qui Caſtitatis Votum non noverant in veteri lege, & Carnalium voluptatum amatores Virginitatis Gemmam obſcurare *contendebant*, quod ut fœliciter aſſequerentur Hieronymi, & Auguſtini dictum citabant, quo dicitur: *Maledictus omnis homo qui non ſuſcitat Semen ſuum in Iſrael. Nos autem* (inquit Damaſcenus) *reſpondemus Deo Verbo ex Virgine incarnato frati, quod Virginitas deſuper eſt, & à principio inſita naturæ hominum*. Et poſt plura: *An non denique lex ingens votum caſtitatis nuncupavit? Oportet igitur ſpiritualius accipere legis præceptum; nam eſt Semen ſpirituale*: (nota hæc ultima verba). Non obſtat igitur, nec Deiparæ Virginitati officit exemplum Caſtitatis, & continentiæ Eliæ à Joanne adductum. Et ſi Carnalium auribus durum, & diſſonum adhuc videtur, quod in lege ſcripta licitum fuiſſet Caſtitatem ſervare, eamquè Deo vovere, iraſcantur contra Hieronymum dicentem: *Eliſeus licet Corporis haberet calvitium, tamen quia Nazareus Domini erat, cincinnis capitis fruebatur*; Sed nullus Nazaræus conſtituitur ſine Caſtitatis Voto: Ergo ſi Eliſeus fuit Nazaræus Caſtitatem cum voto perpetuò Deo dicavit. Quod Nazaræus idem ſit ac Caſtus teſtatur Divus Jo-

lib.4. Orthodoxæ Fidei c. 25.

Quodlib.2.in Ezech.

tom.2.hom.4 in Vig.Epiph.

Digitized by Google

Joannes Chriſoſtomus inquiens, *Nazaræi ſecundum legem nuncupabantur, qui Caſtitatem Deo inſigni Voto mancipabant*. Et ideò idem Chriſoſtomus loquens de Chriſto ait: *Quia ergo totius ſanctitatis, & pudicitiæ Auctor, & Princeps Dominus Chriſtus eſt, non immeritò Nazarens dictus eſt*. Et Eminentiſſimus Ugo loquens de Nazaræis aſſerit:

ſup.c.6.Num.

In voto eorum multi erant articuli Religionis, &c. Amplexibus Mulierum non vacabant. Et Divus Auguſtinus, & Epiphanius, ut refert Cornelius à Lapide ſic ajunt:

ſuper cap. 4. Thren. verſ.7

Nazarei ideſt ſeparati, conſecrati, ac coronati erant qui ſe Deo vovebant, à vino, & ſicera abſtinebant. Et Claudius Eſpinſeus Pariſienſis, ità ſcribit:

lib.1. de continen. cap. 1. Pag.9.

In legibus naturæ, & ſcriptæ (loquitur de Nazaræis) *licèt ea fructificare, & multiplicare juberent, laudabilem tamen Deoque acceptam, nedùm licitam fuiſſe Virginitatem exemplo fuerunt Cælibes, & perpetuò Virgines Melchiſedech* (quiſquis hic fuerit) *Joſuè, Jephte filia, Elias, Eliſeus, Hjeremias, Daniel cum tribus Concaptivis, Eſdras, Razias, & pleriquè alii in Judaiſmo Prophetæ beatiſſimi, Spirituales Eunuchi, Nazaræi quoque, Caſtitatis Deo magno inſignique Voto conſecrata, ac mancipata*. Et ecce Eliam, Eliſeum, & alios voto Caſtitatis inſigni Deo conſecratos, ac mancipatos, ſicut, & paritèr Prophetarum Filios. Undè Adrianus Adrianius Eliam, & Jeremiam perpetuos vocat Nazaræos, ideſt:

primapar. c. 4. de divina inſpirat.

Quod ſpeciali ſpiritu Dei fuit Elias, & Hjeremias inſpiratus à Deo. Et eſt idem, quod dicit Divus Thomas nempè, *quod videbatur lege prohibitum votum caſtitatis, niſi ex ſpeciali inſtinctu Dei oriretur, ut de Elia, & Jeremia, quorum conjugia non leguntur*. Nequit ergo aſſirmari, quod Caſtitatis votum fuiſſet in lege ſcripta prohibitum, cum tot Sanctorum Patrum auctoritatibus contrarium conſtet, & Chriſtus dicatur per antonomaſiam Nazaræus, quod idem eſt, ac Deo per Caſtitatis votum dicatus; Undè ſi Chriſtus fuit in lege antiqua Princeps, & Auctor in genere cauſæ exemplaris, finalis, & effectivæ moralis ſecundum aliquos cujuſcumque perfectionis, ſicuti in lege evangelica eſt Princeps, & Auctor in genere cauſæ principalis effectivæ, neutiquam diſſonum eſſe debet affirmare, quod in lege ſcripta ad Eliæ exēplum Prophetarum Filii Religionis Vota emiſerint, continentiamvè, ac caſtitatem Deo conſecraverint, & dicaverint. Non inquam diſſonum eſſe debet, nam ubi ex Numerorum 6. legitur: *Vir, aut Mulier cum fecerint Votum, ut Sanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare* juxtà correctionem Sixtinam legi debet: *Vir, aut Mulier quicumque magnè voverit votum purificandi puritatem Domino*, ideſt votū Caſtitatis quod per excellentiam dicitur Puritas; ut benè notat Græcus Doctor Auguſtinus Eugubinus inquiens: *Votum purificandi puritatem Domino, idem ſonat, ac Caſtitatem vovere Domino, quia in lingua Græca, qua Septuaginta utuntur, Agnos, Caſtum, purumque ſignificat*.

in recognit. vet. teſt. ad Hebraic. ver. ſup. num.6.

XXIII Quod ſi ad huc aliquibus diſſonum videtur in lege veteri extitiſſe Caſtitatis Votum, audire non dedignentur Magnum Baſilium idipſum affirmantem, ut colligere eſt ex ejuſdem verbis, ait enim:

hom.8.

Quilibet cordatus forſan advocabit aliquem Piorū, qui precibus ut Elias Thesbites fecit, calamitatis hujus moleſtiam tollat, qui ſit homo inops, pallidus, ſine Calceis, ſine Cubili, ſine Domo, tantum melota contentus, precibus, ac ſupplicationibus pro cibo, continentia verò pro contubernali utens. Quis hic nō videt Magnum Prophetam Eliam continentiam, ſive Caſtitatem ſibi feciſſe concubernium? Quis hic non videt Magnum Doctorem Baſilium cōtinentiam, & Caſtitatem pro Eliæ conjuge aſſignaſſe? Quis hic non videt Magnum Prophetam Eliam ſibi pro contubernalium lege Caſtitatem duxiſſe? Quis igitur dicere audebit in lege Moſaica Caſtitatis votum fuiſſe lege prohibitum? Audiat quiſque Sanctiſſimum Athanaſium ità Virginitatem magnificantem: O *Virginitas* (exclamat) *opulentia indeficiens,* intui-

lib. extremò de Virg.

Digitized by Google

Corona immarceſcibilis, Templum Dei, Domicilium Spiritus Sancti, Margarita ſpecioſa, vulgo inconſpicua, gaudium Prophetarum (nota ly Prophetarum) *gloriatio Apoſtolorum* (nota ly Apoſtolorum) *Angelorum vita, Sanctorumq; Corona*. Et concedere non dedignetur Caſtitatis, & Virginitatis Votum in lege Scripta verè extitiſſe, cum Divus Athanaſius collaudet, ac commendet Virginitatem in vita Prophetica, Apoſtolica, & Angelica, de qua ejuſque Profeſſoribus, inquit Joannes Evangeliſta, *Hi ſunt qui cum Mulieribus non ſunt coinquinati, Virgines enim ſunt, & ſequuntur Agnum quocumque jerit*. Duce, Anteſignana, & Corifea Virgine Deipara omnium Virginum Principiſſa, Primiceria, ac Regina. Quid mirum igitur, quod dicat Methodius Magnum Prophetam Eliam ex Nubeculæ viſione igniferam ſibi colligaſſe Coronam, & quod illius intuitu primus omnium temporis primitate, & ſpontè perpetua Virginitate dicaverit? *Apoc.14.*

XXIV Sed quia ut aſſentire quiſq; valeat verum quo ad eſſentialia, & ſubſtantialia extitiſſe in lege Scripta Monachatus Statum, eumq; exordium ſumpſiſſe in vera obſervantia trium votorum, quæ ſunt de eſſentia, & ſubſiſtentia perfectæ Religionis, neceſſe eſt, ut afferamus Sanctorum Patrum, & Doctorum authoritates, quæ enarrata vota in lege Scripta extitiſſe indicent. Divus enim Iſidorus inquirens originem Virginitatis Sacræ, quæ votum inducit, ait: *Quæ ſit Sacræ Virginitatis integritas, vel à quo tanti ſancti Propoſiti* (nota ly Sancti Propoſiti, quod votum denotat) *Studium ſit exortum, breviter intimato. Quantum enim ad vetus teſtamentum attinet, Elias, Jeremias, & Daniel Caſtitatis, & Continentiæ bono primi ſtuduiſſe noſcuntur*. Et Sanctus Anſelmus, ſeu Aldelmus, ſic canit. *lib.2. de offic. cap.18.* *lib.1. de laud. Virgin.*

Elias vates, quem terna volumina Regum
Inſignem memorant virtutum ternia fratum:
Virgo Sacer (nota ly Sacer) *fuerat fama per ſæcula notus, &c.*
Quod Daniel ſemper Virgo (nota ly ſemper) *floreſceret almus,*
Qui nobis normam ſacratæ (nota ly ſacratæ) *Virginitatis*
Imbuit, & Speculum vitæ monſtravit Alumnum.

Et ibidem cap.10. loquens de Elia ait: *Gratiſſimum ſpontaneæ Virginitatis* (nota ly Spontaneæ) *munus Patri Spirituum ultroneus obtuliſſe memoratur*. Quis quæſo ex his Sanctorum Patrum auctoritatibus non colligit in Elia, verè fuiſſe Caſtitatis Votum?

XXV Sed ad alias procedamus, ne auctoritatum inopia legentium minuatur credulitas. Quam plurima Sanctorum Patrum, & Interpretum teſtimonia innuunt in lege ſcripta fuiſse Spadones, Eunuchos, &c. inter quos Eliam commemorant. Quod verbis Spadonis, & Eunuchi intelligantur qui votum Caſtitats emittunt, affirmat Sapientiſſimus Suarez, inquiens: *Obſervandum eſt accommodatiſſimum obſignandi verbum, quod optimè ſignificat ſpecialem carnis dedicationem, & conſecrationem per votum*. Et ſup. ait: *Non dicitur autem ſe caſtrare ille, qui tantum abſtinet à venereis, vel matrimonio, ſi ſemper ad id retinet poteſtatem; ſed ille qui quantum moralitèr poteſt, fit impotens ad humanam generationem. Significavit ergo Chriſtus eſſe poſſe, & futuros fuiſſe aliquos Spirituales Eunuchos, qui non corporali gladio, ſed voluntate; non corporali Sectione, ſed promiſſione, & voto, ſe caſtrarent, ideſt moralitèr impotentes redderent ad uſum conjugalem*. Idem ſentit Bellarminus, inquiens: *Ipſa enim Eunuchorum appellatio precipuè indicat votum; non enim eſt Eunuchus, qui ſolum continet, ſed qui non poteſt non continere*. Item Baſilius de Leon iliis verbis: *Non pauci Patres illud Iſajæ 56. Hæc dicit Dominus Eunuchis, de his qui ſervabant Virginitatem interpretantur, ut Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius, Rupertus, Baſilius, & Gregorius* *lib.9. de Voto Caſtit. c.1. nn. 16. tom.3. de Relig.* *lib.2. de Monachis c. 23.* *lib. 1. de Matrim. c.11. n.2*

Ma-

Digitized by Google

ib. de Monagam. c. 8.

Magnus. Explicata igitur hujus nominis Eunuchi, ſeu Spadonis appellatione, ac in Scripturis Significatione, veniamus ad auctoritates.

Hæres 58.

XXVI Tertullianus affirmat Magnum Prophetam Eliam fuiſse Spadonem, inquiens: *In revelatione gloriæ ſuæ de tot Sanctis, & Prophetis Moyſem, & Eliam ſecum mauult, alterum monogamum, alterum Spadonem*. S. Epiphanius Eliam cum cœteris Eunuchum vocat illis verbis: *Sunt Eunuchi, &c. Quinam autem hi fuerunt Apoſtoli, & monaſticam vitam degentes, & deinde Virgines; Joannes quidem, & Jacobus filii Zebedei, qui*

in quæſt. ſup. Script. q,6.

manſerunt in Virginitate, velut etiam Elias in veteri teſtamento reperitur. Sanctus Anaſtaſius Sinaita ait: *Eunuchi qui ſe caſtraverunt propter Regnum Cœlorum, hi ſunt præclari Apoſtoli, atque deinceps fuerunt Virgines, & Monachi, &c. & quotquot millia monaſticam vitam agentia, ſicut Elias, & Daniel in veteri teſtamento, & alii multi*. Sanctus Ephrem

Tom. 4. Ann. 3123. nu. 21.

Syrus relatus à Saliano inter alios Eliam, & Eliſeum vocat Eunuchos, ſic ſcribens: *Sanctus Ephrem Syrus, Eliam, & Eliſeum, & Joannem, & Apoſtolum Paulum in eorum numero recenſet, qui ſe caſtraverunt*

to. 1. de cœlib. fol. 31.

propter Regnum Cœlorum. Rupertus Arboricenſis, ſic apertè loquitur: *Non enim in ſuis Eunuchis caruit veterum Patrum priſca ætas, plurimum alioquin conjugio, & proli ſuſcipiendæ intenta. Joſue enim, &c. Huic Cathalogo inſcribendi ſunt Elias, & Eliſeus, etiam ſi rumpantur ilia ſtupido Joviniano. Joannes etiam Baptiſta in ſua virginitate perduravit, quem Chriſtus Dominus veniſſe aſſerit in ſpiritu, & virtute Eliæ*,

In demonſtr. tract. 10. conſil. Evang. c. 5.

& cum Joannes Baptiſta fuerit Eliæ vivum *quoddam ſimulacrum*. Franciſcus Somnius inquit: *Dicens autem Salvator, non omnes capiunt, ſermone particulari innuit aliquos capere, ſicut benè apprehenderat verbum iſtud Elias, Eliſeus, Joſue, Jo: Bapt. Virgo Maria*. Quis igitur his Sanctorũ Patrum, & Interpretũ fretus auctoritatibus adhuc affirmare dubitabit verũ in lege ſcripta extitiſse Virginitatis Votum? Maximè cum Sanctus Aldelmus ſupracitatus eodem loco, ac capite dicat: *Ea tempeſtate etiam tres Pueri avita ab Hebræorũ ſtyrpe progeniti, & in tranſmigratione Babiloniæ ad Chaldeos adducti nequaquam carnali copulæ voluptatibus operam dediſſe leguntur, ſed* (nota) *in arctæ ſpontaneæ Virginitatis propoſito permanſiſſe memorantur; Quamvis importuna Judęorum garrulitas frivola falſitatis deliramenta confingat, aſſerens, nequaquam eoſdem puberes, aut præfatum Collegam externæ peregrinationis participem, ſpadones extitiſſe, qui ſecundo Eunuchorum gradui Evangelica veritatis adſtipulatione deputatur*. Ceſset igitur aliquorum dubium, qui neutiquam ſibi ſuadere poſsunt laudabile, ac licitum fuiſse in lege veteri virginitatis votum, illudque fore contra præceptum quatenus fuiſset emiſsum: Nam Divus Auguſtinus reſpondens Hæretico Adimano cap.3. dicit: *Etiam in veteri teſtamento habent quanta promittantur Spadonibus, ne in novo ſolũ arbitrentur eſſe laudatos* (nota ly laudatos) *à Domino ubi dicit eſſe quoſdam qui ſe caſtraverunt propter Regnum Cœlorum; nam & Iſajas ita dicit. Hæc dicit Dominus Spadonibus, &c.* Et Sapientiſſimus Suarez aſſerit: *Spadonibus, ideſt Vir-*

Tom. 2. in 3. d. p. 6. ſect. 1.

ginibus Caſtitate, & alia divina præcepta cuſtodientibus promittit Deus nomen æternum, & locum inſignem in domo ſua, ut Auguſtinus, & Hieronymus exponunt, & Cyrillus in Iſajam tom. 3. Non enim Deus laudaſset, nec nomen æternum, & locum inſignem in domo ſua promiſiſset veteris teſtamenti Spadonibus, & Eunuchis, ſi in lege ſcripta fuiſset prohibitum, & illicitum Caſtitatis votum.

XXVII Pro confirmatione Voti perpetui in lege Scripta, & expreſsè in Elia, Eliſeo, Filiiſq; Prophetarum addere nobis liceat quamplurima Doctorum, Sacrorum Interpretum teſtimonia, ut tot Sapientiſſimorum Virorum auctoritatibus abdicetur, quatenus adhùc extaret, quæcumque dubii ſpecies circa Caſtitatis votum in lege veteri. Doctiſſimus enim Waldenſis plu-

Digitized by Google

pluries à nobis ſupracitatus, loquendo de Deipara ait: *Quæ Virgo fœmina prima Propheta, ſcilicet Eliæ in Virginitatis perpetuæ voto ſucceſſit*. Intellige quo ad tempus; nam in genere cauſæ exemplaris, finalis, moraliterq; meritoriæ non ſucceſſit, ſed præceſſit, & eſt, ſemperque fuit prima in intentione; & executive in dignitate, & excellentia virginitatis, & puritatis, ut ſupra diximus, & latius infra. Hoc idem aſſerit Trithemius ſcribens: *Fratres autem Carmelitæ S. Principis Eliæ exemplo inſtructi ad perpetuam Caſtitatem Voto Religionis ſe obligant*. Pariter hoc ipſum teſtatur Ludovicus Clictoveus, aſſerens: *Virginitatis perpetuò ſervandæ votum ab Elia originem habet*. Hoc idem fatetur Joannes Suarez Conimbricenſis Epiſcopus, qui Deiparam Virginem Angelo nuncianti reſpondentem introducens, ſic ſcribit: *Etſi ſim deſponſata, votum habeo Virginitatis; habebat enim exemplum in Elia, & Eliſeo*. Nota quod ſubdit: *licebat igitur prout ex præcedentibus liquet vota emittere, & Caſtitatem ſervare, quod ſemper* (nota) *laudabile fuit*. Clarius Carthagena id adſtruit ſequentibus verbis: *Elias tria vota ſubſtantialia Religionis emiſit*. Et Thomas Ferrarius à Societate Jeſu ſcribit: *Elias ad honorem Beatæ Virginis emiſit votum in Carmelo Virginitatis perpetuæ*. Ægidius Camartus ſic pariter habet: *Elias omnium Monachorum Parens fuit, quia tria eſſentialia vota Religionis* (nota) *primus ipſe opere complevit*. Hoc pariter confirmat Doctiſſimus Salianus inquiẽs. *Eliam tamquam à Cathedra Moyſis loquentem audiatis, & in ejus manibus vota veſtra offeretis*. Similiter Franciſcus Saguẽſis hoc ipſum teſtatur ſcribens: *Præclariſſimam de hac re habemus documentum, & maxime in Elia, & Eliſeo, qui tribus votis Religionis ſe Deo conſecraverunt*. Et demum Suarez, quem neutiquam nobis oppoſitum arbitramur, inquit: *Ante legem novam in uſu fuiſſe tria vota, in quibus ſubſtantia religioſi ſtatus conſiſtit veroſimile videtur*. Quomodo igitur tot Sanctorum Patrum auctoritatibus, ſapientiſſimorum virorum teſtimoniis poterit Doctor cordatus adhuc ambigere an in lege ſcripta verum extiterit Virginitatis votum, ac ſtatum monaſticum quo ad eſſentiam, & ſubſtantiam ejuſdem à magno Propheta Elia exordium ſumpſerit? Et audebit ſacrilegus Witcleff Sacra Religioſorum inſtituta novas appellare Sectas, eaque tanquam inutilia, & infructuoſa temere damnare?

lib. de Sacramental. tit. 9. c. 89. — *de laud. Carmelit. c. 2.* — *to. 2. hom. 3.* — *in Matth. ca. 2. tit. 1.* — *Tom. 4. lib. 2. obiect. 7.* — *in hiſt. Imag. del Monte de la* Guardia *c. 1. de reb. Elia c. 6. ſect. 8.* — *to. 4. Annal. ad ann. 3139. nu. 13.* — *De Virt. Moral. lib. 4. cap. 3. nu. 7.* — *tom. 3. de Relig. l. 3. col. 2.*

XXVIII Audimus Sherlogum nobis reſpondentem: Ergo B. Virgo non fuit prima, quæ ſuam Deo perpetuò dicavit puritatem, ſi tot Sanctorum Patrũ auctoritatibus evincitur Eliam, & Eliſeum, Filioſq; Prophetarum, qui tot annorum centuriis Deiparam præceſſere, tale in lege ſcripta emiſiſſent virginitatis votum; cum tamen dicat Origenes: *Arbitror rationi cõſentaneum eſſe virilis quidem puritatis in caſtitate primitias fuiſſe Jeſum, muliebris vero Mariam; non enim plauſibile eſt alii præter hanc virginitatis primitias adſcribere*. Et Divus Ambroſius aſſerat: *Egregia igitur Maria, quæ ſignum Sacræ Virginitatis extulit, & intemeratæ integritatis primũ Chriſto vexillum levavit*. Inſuper Divus Bernardus ſcribat: *Novum quidem Canticum illud, quod ſolis dabitur in Regno Dei cantare Virginibus, ipſam Virginum Reginã cum cæteris, immò primam inter cæteras eſſe cantaturam, nemo eſt qui ambigat*. Et Richardus à S. Laurentio affirmet: *Prima igitur Mariæ prerogativa ſecundum Divum Bernardum eſt, quod ipſa fuit Virginitatis primiceria. Bartholomeus enim Apoſtolus dicit manifeſtè, quod prima vovit virginitatem, & ideo prima, quia ante illam nulla.*

in c. 13. Matth. — *de inſtit. Virg. c. 5.* — *hom. 2. ſuper Miſſus eſt.* — *de laud. B. M. lib. 3. §. duodecim privilegia.*

XXIX At huic Doctori, qui relatas, aliaſq; quamplurimas ſudavit aggregare SS. Patrum, aliorumvè Doctorum ſententias, reſpondere nobis liceat dictos Sanctos Patres, alioſque quoſcumque idem aſſerentes, non loqui de prioritate temporis, ſed de prioritate dignitatis, ſeu cauſalitatis. Quocir-

Digitized by Google

circa perpendenda ipſi proponimus quatuor principia in quacumque doctrina certa, & admiſſa. Primum deſumitur ex Divo Thoma, & eſt: *Quod quanto aliqua cauſa eſt ſuperior, tanto ad plura ſe extendit in cauſando; & quanto aliquid invenitur melius, tanto ad remotiora bonitatem diffundit*. Secundum pariter deſumimus ex Angelico Præceptore, & ex Philoſophis, & eſt, quod cauſæ, quæ operantur moventes noſtram voluntatem præcognitæ, & propoſitæ ab intellectu, ut ſunt cauſæ finalis, & exemplaris, non eſſe neceſſe, quod ſecundum realem exiſtentiam ſui eſſe præcedant tempore ſuos effectus; immò poſſunt exiſtere multo tempore poſt ipſos; ſufficit enim ad voluntatem movendam, quod exiſtant in intellectu illas proponente: Unde ait Angelicus: *Non eſt neceſſe quod cauſa cauſatum præcedat tempore. Nihilprohibet id quod eſt poſterius tempore, ante quam ſit, movere*. Tertium eſt quod prioritas alicujus rei poteſt eſſe aut prioritas temporis, aut prioritas dignitatis, ſeu cauſalitatis. Prioritas temporis ex ſe ſola non arguit majorem excellentiam reſpectu illius, quod eſt etiam tempore poſterius. Prior enim fuit in tempore Synagoga quam noſtra Eccleſia, & tamen hæc ipſius temporis prioritas non arguit majorem perfectionem in Synagoga. E contra prioritas dignitatis ſeu cauſalitatis, quamvis non ſit prima in tempore ſemper ex ſe dicit maximam excellentiam. Et hæc eſt quam Apoſtolus tribuit Chriſto etiam in quantum erat homo, illum vocans *primogenitum omnis creaturæ*; quem locum explicans Hieronymus ait: *Primogenitum non tempore ſed honore*. Et hæc eſt prioritas, quæ tribuitur Regibus, & Principibus, aut Prælatis, quando dicuntur, quod ſunt primi. Ex hoc principio tam claro, & manifeſto ſequitur, quod ſi ad hoc ut alicui tribueremus, aut concederemus, quod fuerit primus in tempore, in illo negari deberetur, aut minui prioritas excellentiæ, aut cauſalitatis; non illi tribueretur, ſed ab illo auferretur excellentia, & quod in tantum poterit aliqua excellentia eſſe prima in tempore, in quantum habuerit adjunctam prioritatem dignitatis, aut cauſalitatis, vel ſaltem non diminueretur, & in hoc ſenſu celebrantur primi rerum inventores. Ultimum paritèr certum, & infallibile inter Sanctos Patres, & Eccleſiæ Doctores eſt, quod Virgo Deipara ſit formalitèr aut virtualitèr cauſa exemplaris, & finalis totius virginitatis, & puritatis tam præteritæ, quam præſentis, & futuræ. Hæc eſt excellentia, quam debemus indubitantèr omnes aſſeverare in Deipara Virgine, tam ob ejus ſupremam dignitatem, & prærogativam Maternitatis Dei, quam ob quampluriмas ſententias Sanctorum Patrum, & Eccleſiæ Doctorum, qui hanc excellentiam variis encomiis, ac laudibus ei tribuunt.

1. parte queſt. 65. ar. 3.

XXX. Perpendat relatus Sherlogus hujuſmodi Principia, & facile dignoſcet nullum vel minimũ inferri Deiparæ Virgini præjudicium, ex eo quod dixerimus, in lege ſcripta verum extitiſſe virginitatis votum, monaſticumque Statum quo ad eſſentialia, & ſubſtantialia à magno Propheta Elia ſumpſiſſe exordium. Nam quamvis ex relatis ab ipſo auctoritatibus inferatur Deiparam Virginem fuiſſe primam primitate dignitatis, excellentiæ, & in plenitudine perfectionis infra Chriſtum in emiſſione puritatis, & continentiæ voti; non indè infertur fuiſse primam quæ illud emiſerit primitate, & prioritate temporis. Immò quod non fuerit prima primitate temporis maximam arguit in ipſamet Virgine perfectionem, cum in genere cauſæ exemplaris, finalis, idealis, ac meritoriæ ſe extenderit, uti Chriſtus reſpectu Sanctorum Patrum tam in lege naturæ, quam ſcripta, ad quæcumque vota antecedentèr ad ipſam in tempore ab Elia, Eliſeo, Filiiſque Prophetarum emiſsa. Vndè concludit Divus Thomas: *In quantum unumquodque bonitatem diffundit in alia, ſit altior cauſa.*

Quodlib. 3. q. 3. ar. 6. & q. 3. de Poten. art. 3.

XXXI. Ad ſui igitur inſtitutum Zelans Magnus Propheta Elias Propheta-

rum

rum multiplicare Religionem, ſecundum illud Eccleſiaſtici: *Prophetas fa-* *cap.48.*
cis Succeſſores poſt te, qui raptus eſt in turbine ignis, ad ſuam vocavit
ſequelam Eliſeum; *Nam profectus inde Elias reperit Eliſeum filium Sa-* *3.reg.19.verſ.*
phat, arantẽ in duodecim jugis boum, & ipſe in duodecim jugis boum arã- *19. 20.& 21.*
tibus unus erat; cumque veniſſet Elias ad eum miſit pallium ſuum ſuper
illum. Qui ſtatim relictis bobus cucurrit poſt Eliam, & ait: Oſculer, Oro,
Patrem meum, & Matrem meam, ſic ſequar te. Dixitq; ei, vade, & re-
vertere, quod enim meum erat feci tibi. Nota ex Scripturæ textu Eli-
ſei obedientiam, ejuſque ad Eliam ſubiectionem; in ſignum enim reli-
gioſæ obedientiæ veniam deoſculandi Patrem, & Matrem ab ipſo petiit.
Reverſus autem ab eo, tulit par boum, & mactavit illud, & in aratro
boum coxit carnes, & dedit Populo, & comederunt; Conſurgenſque abiit,
& ſecutus eſt Eliam, & miniſtrabat ei. Quem textum ſatis perlucidè *in 3. Reg.19.*
ponderans Abulenſis, Eliſei Sequelam, ejuſdemque modum admirando
dicit: *Iſtud exemplum ſecutus eſt Beatus Matthæus, qui à Chriſto voca-* *Matth.9.*
tus reliquit omnia, quæ habebat; & tamen in ipſa die vocationis ſuæ
invitavit Chriſtum, & Diſcipulos, & multos de Publicanis, quos in ſæ-
culo amicos habuerat. Et paritèr notat Eliſei Sequelam in eo, quod non
curavit amplius arare; nec ſecularibus ſe miſcere negotijs, inquiens: *Sic* *queſt.23.*
enim quando Chriſtus vocabat diſcipulos ſuos, relinquebant omnia, & ſe-
quebantur eum. Sic etiam quando Chriſtus vocavit Petrum, & Andream
fratres, relictis retibus ſecuti ſunt eum: ſic etiam Jacobus, & Joannes
Zebedei filii relinquentes Patrem, & navem, vocantem Chriſtum ſecuti *Matth.4.*
ſunt. Et ecce exemplum datum Apoſtolis ab Abulenſi, non ut ex illo
inducas quod excellentia Apoſtolorum non ſit prima dignitate, & per-
fectione Eliſei, ſed quod hujus exemplum fuit prius in tempore, relata
prioritate Deiparę Virginis. Paritèr Cornelius à Lapide, & Cajetanus pre-
fatum ponderantes ſcripturæ textum, inquiunt: *Celebravit enim convi-*
vium, quo ſuis vale dixit, ut oſtenderet ſe boves, aratrum, agrum, om-
niaque relinquere, ac lætum ſequi Eliam. Indeque rationem reddendo
ſubjungit: *Vt liber, & expeditus tranſiret totus ad Dominum; idcirco*
aratrum, & boves conſumpſit, qua in re (nota) *exemplum dedit Reli-*
gioſis, ut idem faciant. Hoc exemplum docent Sacri Interpretes quod ſe-
quantur Religioſi; Vnde credunt Eliſeum in ſequela Eliæ verum eſſe
cum tribus votis Religioſum. Dicant modò quid in hac re ſentiant Pur-
purati Hieronymus, & Ugo Cardinales. Audiamus Hieronymum: *Boves* *to. 1. in Epiſ.*
(inquit) *& juga prioris operis vertit in vota*. Audiamus pariter, & Ugo- *28.*
nem: *Eliſeus* (ſcribit) *in aratro coxit carnes, mactavit Boves, ideſt Re-* *ſup.c.9.Luc.*
ligionis fecit votum. Quid clarius? At ut majori claritate recognoſcere
quis valeat Eliſei vocationem, Elianique inſtituti ſequelam; Videamus quid
ſubjungat doctiſſimus Sanchez: *Dum pallium* (ait Sanchez) *injecit, ad* *in 3.Reg.c.19.*
ſuum inſtitutum vocat. Vnctio igitur fecit Prophetam, pallium autem
contubernalem, & Monachum. In quibus verbis excelſam, illumina-
tãvè Eliæ vitam cum Sanctis Cyrillo, & Baſilio recognoſcere non de-
dignetur benevolus Lector, & cum eiſdem Sanctis fateatur quod Eliſei
contubernium fuit cũ Elia ejus Magiſtro caſtitatẽ in uxorem ducere, con-
tinentiamque deſponſare. Et ut etiam claritate majori inſpicere quis queat
vocatum ab Elia Eliſeum, vere factum fuiſſe Religioſum, audiat itidem re- *ad eundem lo-*
latum Cornelium à Lapide de Eliſei vocatione ab Elia ſic loquentem: *cum.*
Miſit pallium ſuum ſuper illum, hac ergò cæremonia inſtitutus eſt Eliſe-
us Propheta, Socius, & Succeſſor Eliæ, eiuſque Cor omnino à Deo im-
mutatum eſt, atque ex laico factus eſt Religioſus, ex Agricola Prophe-
ta, ex idiota theodidactos. Vnde ſtatim relictis bobus &c. ſecutus eſt Eliam.

XXXII. Adeamus nunc Salvianum, & quid de Eliſei paupertate dicat at-
tendamus: *Acceptum* (inquit) *munus Eliſeus in communem impendit uti-* *ad ann.1344.*
litatem; erat enim eis menſa communis, ut religioſis Viris, nec Eliſeus *nu.8.*

 ſibi

ſup.c.4.reg.q. 19. ſibi proprium habere voluit, paupertatis ſtudio repugnante. Nec audire dedignemur Theodoretum ſic de Eliſei paupertate loquentem: *Quod autem vita Prophetarum nullas habuerit poſſeſſiones docet hiſtoria; Nam qui erat eorum primus (ſcilicet Eliſeus) nunc quidem eos excipit convivium olerum agreſtium: nunc autem panes Ordeaceos viginti appoſuit centum viris, eoſque ab aliis oblatos. Eis autem tantam benedictionem impertiit, ut illos centum ſatiaret, & ſupereſſent permulti.* Et Divus Hieronymus ait: *Filii Prophetarum, quos Monachos in veteri teſtamento legimus, ædificabant ſibi Caſulas propè fluenta Jordanis, & turbis Urbiū derelictis polenta, & herbis agreſtibus victitabant.* Quæ verba infrà ſæpè ſæpius adducemus à Patribus repetita. Et ut clarius quis recognoſcere valeat religioſam Eliſei paupertatem, audiat quæſo Caſſianum ejuſdem Eliſei exemplo Proprietarios reprehendentem Monachos. *Nam Gietzi ea* (inquit) *quæ nec anteà quidem poſſederat, volens acquirere, non modo gratiam prophetiæ non meruit poſſidere, quam per ſucceſſionem velut hæreditariam à ſuo habuit Magiſtro ſuſcipere, verum etiam æterna lepra S. Eliſei maledictione perfunditur*. Et Joannes de Carthagena eruditiſſimus Scriptor hanc religioſam ponderans Eliſei paupertatem ſic ait: *Eliſeus ita virtutem coluit (ideſt paupertatem religioſam) ut famulum Gietzi divitiarum Naaman læproſi cupiditate poſſeſſum, propter proprietatis culpam, læpra miraculosè punivit.* Ubi expreſsè ſupponit præfuiſſe paupertatis votum, ſine quo proprietatis culpa locum non haberet. Igitur geſta, quæ ex Scriptura referuntur Eliſei, & Filiorum Prophetarum non obſcurè manifeſtant ipſos fuiſſe pauperes ex voto. Nam gravitas pœnæ indicat gravitatem culpæ commiſſæ, & iſta oritur ex majori obligatione, quam quis habet de non committenda tali culpa. Undè ſi in Gietzi ſicuti, & tempore Apoſtolorum in Anania, & Saphyra fuit graviſſimè punita avaritiæ culpa, ſignum eſt, quod in ipſis extabat major obligatio ſe abſtinendi ab eadem: Sed iſta nequit eſſe niſi votum paupertatis: Ergo verò in ipſis fuit votum paupertatis. Subſumpta conſtat ex Bellarmino lib. 2. de Monachis cap. 20. & ex Sapientiſſimo Suarez dicente: *Quod autem hoc genus paupertatis voto firmaretur ex caſu Ananiæ, & Saphyræ Actorum 5. colligitur, nam graviſſima pœna, & modo miraculoſo puniti ſunt, eo quod de pretio proprii Agri, quem vendiderant, clam ſibi reſervarunt.* Tunc ſic, ſed Eliſeus graviter, & miraculosè punivit avaritiam Gietzi læpra perpetua ipſi, ſuiſquè ſucceſſoribus inflicta; Ergo Gietzi paupertatis votum emiſerat: Ergo in lege veteri Eliſeus, & Prophetarum filii paupertatem obſervabant ex Voto.

Epiſt.4.adRuſticum.

lib. 7. de Spiritu Philarg. cap. 14.

tom.4.lib.17. hom.1.

tom. 3. de Relig.lib.8.cap. 2.nu.17.

XXXIII. Accedente jam tempore quo magnus Propheta Elias transferendus erat in Paradiſum, ſive Cœlum, converſus ad Eliſeum dixit: *Poſtula quod vis, ut faciam tibi, antequam tollar à te.* Cui Eliſeus reſpondit: *Obſecro ut fiat in me duplex ſpiritus tuus. Rem difficilem* (ait Elias) *poſtulaſti, attamen* (adjecit) ſi forſitan Eliſeus dignus eſſet arcanum, ac admirabilem modum illum videndi, quo eum Deus in Cœlum ſublevaret, adjecit inquam: *Si videris me quando tollar à te, erit tibi quod petiſti.* Impletoque tempore, quo jam Elias ab hoc mortali ſepararetur cōſortio ad ſuperiora transferendus, ad locum videlicet ipſi à Deo diſpoſitū juxta illùd Eccleſiaſtici: *Receptus eſt in turbine ignis in curru equorum igneorum*, deſcendens ipſe, & Eliſeus de Monte Carmeli venerunt ambo in Galgala, deindè in Bethel, & indè in Jerico, & alibi, ubi erant Religioſorum, & Filiorum Prophetarum Collegia, præviſoque à Prophetarum Filiis Eliæ raptu dixerunt ad Eliſeum: *Numquid noſti, quia hodiè Dominus tollet Dominum tuum à te? Qui reſpondit: Et ego novi, Silete.* Viſitatis ab Elia, & Eliſeo Filiorum Prophetarum Collegiis, loquens Elias ad Eliſeum dixit: *Sede hic, quia Dominus miſit me uſque ad Jordanem.*

3.reg.19.

4.reg.2.

cap.48.

4.reg.2.nu.3. & 5.

Qui

Digitized by Google

Qui ait: vivit Dominus, & vivit anima tua, quia non derelinquam te. Quocirca *ierunt ambo pariter, & quinquaginta Viri de Filiis Prophetarum ſecuti ſunt eos, qui & ſteterunt è contra, longè*, quando Elias, & Eliſeus *tranſierunt ambo per ſiccum. Cumque pergerent, & incedentes ſermocinarentur, ecce Currus igneus, & equi ignei diviſerunt utrumque, & aſcendit Elias per turbinem in Cœlum. Eliſeus autem videbat, & clamabat Pater mi, Pater mi Currus Iſrael, & auriga ejus, & non vidit eum amplius. Apprehenditque veſtimenta ſua, & ſcidit illa in duas partes. Et levavit pallium Eliæ, quod ceciderat ei.* *ibid. nu. 6.* *nu. 7.* *nu. 8.* *nu. 11. & 12.*

XXXIV. Accepto ab Eliſeo Eliæ pallio percuſſit aquas Jordanis, quæ neutiquam diviſæ ſunt, quod videns Eliſeus dixit: *Ubi eſt Deus Eliæ etiam nunc?* Et denuo percuſſis aquis, diviſæ ſunt huc, atque illuc, & tranſiit Eliſeus. Quo viſo à Filiis Prophetarum qui erant è contra cognoverunt Eliæ Spiritum requieviſſe ſuper Eliſeum: *Et venientes in occurſum ejus, adoraverunt eum proni in terram.* Et ſic eum in Patrem, eorumq; Magiſtrum receperunt, ut notat Lyranus, aliique Interpretes ipſi adhærentes, inquiens: *Adoraverunt eum adoratione Duliæ tamquam ſuperiorem ſuum, eo quod eſſet ſubſtitutus loco Eliæ, ſub cujus regimine vixerunt.* In quo humilitatis actu præficiendi ſibi Superiorem, ac illi obedientiam præſtandi praxim, & exemplum ſibi ipſis, & ſucceſſoribus præſtitere, juxta illud: *Et Prophetas facis Succeſſores poſt te*: licet ſolus Eliſeus fuerit ſucceſſor in prophetia, & alii cum ipſo in Spiritu, & in virtute Eliæ, prophetantes ſcilicet, ideſt laudes Deo canentes. *nu. 14.* *nu. 15.* *in Comment. ſup. cap. 2. lib. 4. Reg.* *Eccleſ. 48.*

XXXV. Sumpta ſui officii, ſupremæque Prælaturæ poſſeſſione, abſdubio Eliſeus à tanto Magiſtro inſtructus, revelationem ſibi ab Elia Deiparæ Matris in Nubeculæ viſione factam, cunctis Prophetarum Filiis ſecretò communicavit in Collegiorum viſitatione, quam poſt Eliæ raptum adimplere non omiſit, ad ea ſigillatim accedens, non tam ut Prophetarum Filiis de abſentia Eliæ gravatis conſolationem, ac ſolamen præſtaret, quam ut coram illis ſigna, ac prodigia operaretur, tum ne invacuum divinam videretur recepiſſe gratiam, tùm ut ipſis ſe Eliæ gerere vices oſtenderet, tū etiam ut eos in Monaſticæ vitæ conſolidaret perſeverantia. Hinc cum eſſet Eliſeus in Jerico apud Monachos Prophetarum Filios, ad eorum præſentiam, & petitionem mortiferas, & amaras Civitatis aquas, ſanas ac dulces effecit, juxtà illud: *Ecce habitatio Civitatis hujus optima eſt, ſicut tu ipſe Domine perſpicis: Sed aquæ peſſimæ ſunt, & terra ſterilis. At ille ait: afferte mihi vas novum, & mittite in illud ſal, quod cum attuliſſent, egreſſus ad fontem aquarum, miſit in illum, & ait; hæc dicit Dominus Sanavi aquas has, & non erit ultra in eis mors, neque ſterilitas. Sanatæ ſunt ergo aquæ uſque in diem hanc juxta verbum Eliſei, quod locutum eſt.* Inde ex Jerico aſcendens Eliſeus ad viſitandum Prophetarū Filios in Bethel commorantes, idolatræ illius Civitatis viri illum utpotè veri Dei cultorem tanquam exoſum habebant. Quocirca in ejus contemptum, & deriſum parvos eorum Pueros provocantes, ut illum illuderent ſuaſere dicentes: *Aſcende calve, aſcende calve.* Quos inſpiciens *maledixit eis in nomine Domini: Egreſſique ſunt duo Urſi de ſaltu, & laceraverunt ex eis quadragintaduos Pueros.* Inde pergens ad Montem Carmeli, in eoque viſitatis Prophetarum Filiis, ad quos brevi temporis ſpatio divertere duxit, Samariam petiit, ubi ſubditos viſitavit, & mulierem viduam ære alieno gravatam propter alimoniam, quam fecerat Abdias centum Eliæ diſcipulis, quos abſconſos in ſpeluncis ſervaverat, à debito relevavit, victumque ipſi, ſuiſque filiis miniſtravit, miraculosè ſuperabundanter multiplicando parum olei in domo prædictæ Viduæ inventi, quod ipſa vendens, & Creditori ſatisfecit, & reliquo pretio victum ſibi, filiiſque ſuis comparavit. *4. reg. cap. 2. nu. 19.* *ibid. nu. 23.* *nu. 24.*

XXXVI.

Digitized by Google

XXXVI. Rediens indè Eliſeus in Montē Carmeli, tranſiit per Civitatem Sunam, in qua Mulier quædam magna, ad quam Eliſeus in ſuo tranſitu divertere conſueverat, eum in ipſius domo honeſtè hoſpitari voluit, Cœnaculumquè ipſi ſuppeditando, decenter ei de ſuis facultatibus miniſtravit; quę cum careret Filio, ex eo quod ineptum haberet ad generandum Virum, ei in dictæ hoſpitalitatis remuneratione promiſit Eliſeus, quod de Viro ſuo Filium conciperet, atquè viveret. Et cum, juxta verba Eliſei, ita eveniſſet, contigit temporis decurſu, quod poſtquam Puer decreverat, ex hac vita deceſſerit. Quocirca indicavit Mulier Viro ſuo ſe velle Carmelum aſcendere ad Eliſeum; cui Vir inſcius mortis Filii dixit: *Quam*
4.reg.4. *ob cauſam vadis ad eum? Hodiè non ſunt calendæ, neque Sabbathum*, quaſi diceret ſi hodiè feſtum eſſet, ad eum aſcendēdi cauſam haberes. Conſueverāt ſiquidem devotæ perſonæ ſecùm victualia ferentes, diebus feſtivis Eliſeum, cæteroſque Montis Carmeli Monachos viſitare, non tam deſiderio moti ab eo benedictionem recipiendi, quam præcipuè devotione ducti (nota) audiendi ab Eliſeo, aliiſque Prophetarum Filiis Verbum Dei. Ex quo quiſque recognoſcere valet quodnam fuerit Filiorum Eliæ, & Eliſei monaſticæ vitæ exercitium, & munus: *Cumq; Mulier veniſſet ad*
ibid.nu.28. *Virum Dei in Montem apprehendit pedes ejus, & dixit illi, numquid petivi Filium à Domino meo? Numquid non dixi tibi ne illudas me?* Illuſam ſe credebat Mulier, ex eo quod ita citò Filium perdidiſſet; videnſq; Eliſeus illam maxima in amaritudine poſitam, miſit cum baculo ſuo ejus ſervum Gietzi, qui eos præcedens baculum ſupra puerum apponendo reſuſcitaret, & cum poſuiſſet baculum ſuper faciem Pueri nec eſſet in eo vox, neque ſenſus: *Reverſus eſt in occurſum ejus, & nunciavit ei*
nu.32. *dicens: Non ſurrexit Puer*. Quo audito *ingreſſus Eliſeus clauſit Oſtium*
nu.33. & 34. *ſuper ſe, & ſuper Puerum, & oravit ad Dominum. Et aſcendit, & incubuit ſuper Puerum, poſuitque os ſuum ſuper os ejus, & oculos ſuos ſuper oculus ejus, & manus ſuas ſuper manus ejus: & incurvavit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro Pueri, &c. & oſcitavit puer ſepties, ape-*
n.36. *ruitque oculos*. Et vocatā Sunamitide matre, *ingreſſa ad eum*, dixit
n.37. Eliſeus *tolle filium tuum*. Quæ corruens *ad pedes ejus adoravit ſuper terram*, gratiās reddens Deo, & Eliſeo. His aliiſque quamplurimis, eiſque mirabilibus ſignis, & miraculis manifeſtavit Eliſeus Religioſis Viris Prophetarum filiis, duplicem in eo requieviſſe Eliæ Spiritum; adeoque omnes monachi loco Eliæ in præcipuum ipſorum Patrem, & Magiſtrum amplectebantur, & reverebantur.

XXXVII. Viſis, & cognitis à Populo Iſraelitico tot Eliſei Prophetæ miraculis, & ſignis, adeò crevit Filiorum Prophetarum Religio, quam Elias
4.Reg.6. multiplicare cæperat, ut accedentes ad Eliſeum, ipſi dicerent: *Ecce locus in quo habitamus coram te, anguſtus eſt nobis; eamus uſque ad Jordanem, & tollant ſinguli de Sylva materias ſingulas, ut ædificemus nobis ibi locum ad habitandum. Qui dixit ite, & ait unus ex illis: veni ergo & Tu cum ſervis tuis. Reſpondit, ego veniam; & abiit cum eis*. Quis hic vitæ monaſticæ, religioſæque vitæ ſigna non recognoſcit, dum Prophetarum Filii Eliæ loco ſuperioritati ſe ſubmittunt Eliſei? Nam ſi non eſſent ejus Filii obedientiæ voti vinculo obſtricti, ad quid ſimilem ei preſtitiſſent inſtantiam. Ad quid Eliſeus eorum viſitaſſet Collegia? Ad quid eis reſpondiſſet tamquam ipſorum Superior, *ite*? Ex præſenti igitur Prophetarum Cœtus dilatatione ſatis liquidum ex Scriptura afferendi fundamentum habemus cum Sanctis Patribus, magnum Prophetam Eliam, & Eliſeum primos extitiſſe monaſticæ vitæ, & veri Monachatus cum tribus Votis eſſentialibus, Obedientiæ ſcilicet, Paupertatis, & Caſtitatis, Principes, Duces, & Inſtitutores. De Caſtitate quampluřima jam ſupra adduximus Sanctorum Patrum, & Interpretum teſtimonia; illamque nunc
cap.56. n.4. ſimiliter oſtendimus ex illo Iſaiæ: *Non dicat Eunuchus: Ecce Ego lignum*

ari-

aridum; quia hæc dicit Dominus Eunuchis, qui cuſtodierint Sabbatha mea, & elegerint, quæ Ego volui, & tenuerint fœdus meum: dabo eis in Domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à Filiis, & Filiabus: Nomen ſempiternum dabo eis quod non peribit. In quo textu nō de corporalibus, ſed de ſpiritualibus Eunuchis loquitur Propheta, de quibus in Evangelio dicitur; *Sunt Eunuchi qui ſeipſos caſtraverunt propter Regnum Cælorum.* Sed in Evangelio Eunuchi tales ſunt in ſpiritu per votum, quia vi illius ſiunt impotentes: Ergo Eunuchi, quibus Dominus in Eccleſia, & in Cœlo promittit nomen glorioſius, ſunt Eunuchi ſpirituales, & non corporales. Conſequentiam concedunt Sancti Patres, Divus Hieronymus, & Divus Cyrillus Alexandrinus Ordinis Carmelitarum jubar. Divus Auguſtinus lib. de S. Virginit. cap. 24. & lib. 4. contra Fauſtum cap. ultimo. D. Baſilius lib. de vera Virginitate. D. Ambroſius in Exaltatione Virginis. D. Gregorius 3. par. Paſtorali c. 29. Rupertus latè. Forelius, Oleaſter, Lyranus, Sanchez, Bellarminus lib. 2. de Monachis cap. 9. Medina de Continentia lib. 3. cap. 32. & alii. Nec valet aliquorum effugium, aſſerentium Prophetæ ſenſum intelligi debere de Eunuchis ſpiritualibus relatis ad legem gratiæ, non vero ad legem veterem, quia in lege veteri ſenſus pro Eunuchis ſpiritualibus non eſt hæreticus, cum ex ipſo textu dicatur: *Dabo eis in Domo mea, & in Muris meis locum, & nomen melius à Filiis Prophetarum, & nomen Sempiternum dabo eis.* Quod quidem præmium relati Sancti Patres intelligunt pro utriuſque Teſtamenti Spiritualibus Eunuchis. Unde D. Auguſtinus reſpondens hæretico Adimano cap. 3. dicit: *Etiam in veteri teſtamento habent quanta promittantur Spadonibus, ne in novo ſolum arbitrentur eſſe laudatos à Domino, ubi dicit eſſe quoſdam, qui ſe caſtraverunt propter Regnum Cælorum.* Non igitur Iſaias intelligi debet de Eunuchis ſpiritualibus relatis ad legem gratiç, ſed etiam ad legem ſcriptam. — *Matt. 10.*

XXXVIII. Secundo conſtat ex Sap. cap. 3. n. 14. *Fœlix Spado qui non operatus eſt per manus ſuas iniquitatem, nec cogitavit adverſus Deum nequiſſimè: dabitur enim illi Fidei donum electum* (notaly fidei donum electum) *& Sors in templo Dei acceptiſſima*: Sed Spado, ut diximus de Eunucho juxta Dioniſium, Caſtrum, Alquoth, Lorinum, Cornelium, Menochium, Tirinum, & alios, intelligitur de Spadone ſpirituali: ergò ex Scriptura conſtat in lege veteri fuiſſe Spadones, & Eunuchos Spirituales, quod idem eſt ac Caſtos ex voto, & non ſolum relatè ad legem Evangelicam; cum Scriptura, & Sancti Patres potiùs dicant, quam contradicant, nec in Scriptura reperiatur, quod primam fidem irritam feciſſent, pro ut in Actis Apoſtolorum legitur de Anania, & Saphyra, qui ex eo quod primam fidem (ideſt votum) irritam fecerunt, fuere condemnati. Quo circa D. Hieronymus inquit: *Ananias, & Saphyra diſpenſatores timidi, immò corde duplici, & ideò condemnati, quia poſt votum obtulerunt quaſi ſua, & non ejus cui ſemel ea voverant, partemque ſibi jam alienæ ſubſtantiæ reſervarunt, metuentes famem, quam vera fides non timet.* Unde D: Auguſtinus explicans illud pſalmi: *Vovete, & reddite Domino Deo veſtro.* Quod, Pſalmiſta annunciavit in tempore legis veteris, & vovendi materia, ſicut & gratia, ſeu auxilium Dei non erant contra legem; ait: *Melius eſt autem non vovere, quam vovere, & non reddere; ſed debet eſſe impiger animus, ut & voveat, & reddat: ne cum ſe minus idoneum putat ad reddendum, piger ſit ad vovendum. Planè numquam redderet, ſi de ſuo ſe putaverit redditurum.* Cum igitur Elias, & Eliſeus à Sanctis Patribus, ut ſupra vidimus, ſicut & pariter filii Prophetarum vocati ſint Spadones, & Eunuchi, conſimiliaque nomina Caſtum, ſeu purum ex voto ſignificent; inde ſequitur Sanctos Patres, & Scripturam loqui de Spirituali Spadonatu, ſeu Caſtitate, non ſolum relatè ad legem Evange-

Epiſt. ad Demetriadem Virg. quæ incipit, inter omnes.

132.

Digitized by Google

licam ; verum etiam relatè ad legem ſcriptam. Nam ut rectè probat Angelicus Præceptor: *Non alitèr homo poteſt totam vitam ſuam Deo exhibere, niſi per voti obligationem*. Vnde Suarez hoc idem explicans, & benè, ait: *Cum hoc ſit de re valdè difficili, & de non neceſſaria, ſed voluntaria, niſi aliquo morali vinculo firmata ſit facile fluctuabit*. Igitur ne Virginitas perpetua Eliæ, & Eliſei, ac Filiorum Prophetarum fluctuaret, debebant juxta Angelicum Præceptorem, & Sapientiſſimum Suarez, tam in paupertate, quam in obedientia, & caſtitate aliquo morali vinculo ſe ligare, & adſtringi; ſed juxta Waldenſem: *Fratres namque primi Virorum ſeipſos Domino per virginitatem perpetuam ſpontè dedicantes, caſtraverunt prorſus venereis voluptatibus ſuas mentes, duce Deipara*: Ergò juxta Waldenſem votum caſtitatis perpetuæ in lege antiqua fuit in Elia, Eliſeo, & Prophetarum Filiis; adeoque Spadonatus nomen, ſicut & paritèr Eunuchi adductum ex ſcriptura, intelligi debet de Spadone, & Eunucho ſpirituali, idest de Caſto per votum, non ſolum relatè ad legem evangelicam, verum etiam relatè ad legem ſcriptam.

2,2.queſt.186 ar.6.ad 2.

tom.3. de Rel. lib.2.c.3.n.2.

tom.3. de Sacramẽtal. tit. 9.cap.89.

XXXIX. Hinc de Enuchis ab Iſaia relatis loquens Salianus digniſſimus Societatis Jeſu filius, docet: *Videtur Dominus non de re tantum futura, ſed jam uſitata* (nota ly uſitata) *nam octingentis, & amplius annis dixerat Iſaias cap. 56. non dicat Enuchus, &c.* Ergò ſi Elias, & Eliſeus nongentis, & triginta plus annis (nota ly nongentis, quod eſt tempus deſignatum quo Elias incępit ſuam multiplicare Religionem, cum ante Chriſti Adventum nongentis, & plus annis, ſe ſuamq; Religionem Deo dicaverit) ſe Deo ſpontè per Virginitatem perpetuam conſecrarunt, & juxta Salianum jam erat, *res uſitata*; malè adſtruunt aliqui, quod erat in lege antiqua prohibitum Caſtitatem vovere. Quocirca ſcribit citatus Salianus: *In manibus Eliſei* (nota ly in manibus Eliſei quo enim motivo, hoc indicet Salianus, judicet prudens Judex) *vota veſtra offeretis Deo, quam ergò acccepiſtis caſtè, ac religioſè* (nota ly caſtè, ac religioſè) *vitam agere, conſtantèr uſque ad mortem ducere perſeverabitis*. Quæ omnia infra magis confirmabuntur, cum Præſule Ruberto Arboricenſi, Doctori Parienſi, & D: Bernardo à Sapientiſſimo Suarez citato, dum erit ſermo de Joanne Baptiſta, qui venit in Spiritu, & virtute Eliæ, & in Corporis Caſtitate.

tom. 3. anno mundi 331 in ſcol.1.

anno 339.n.2.

tom.1.de tut-do Sacræ Cælibatu pag.nobis 31.

XXXX. Nunc confirmare non omittimus in lege ſcripta extitiſſe Caſtitatis Votum Veſtalium Virginum exemplo, de quibus teſtatur purpuratus Hieronymus: *Quod perpetua Sacerdotis virginitate marceſcunt*. Et Auguſtinus loquendo de eis ſcribit: *Quod Virgines ſunt moniales, & Veſtales virgines fuerunt. Inter illas Virgines multum diſtat, niſi cui voveatur, ac reddatur, quia Moniales Deo vero Jeſu Chriſto ſunt Virgines, veſtales vero vovebant ſuam Virginitatem Deo falſo*. Si igitur Virgines veſtales falſis Diis, ac Dęmonibus in Populo Gentili ſine fidei lumine ſuam Voto conſacrabant Virginitatem; veriſimile ne eſt, quod divina fide illuſtrati cœleſtibus inſpirationibus illuminati, ſacræ Scripturæ lectionibus eruditi, multis ſuffulti revelationibus, Patrumvè, ac Prophetarum prædicationibus inſtructi, ſuam Deo virginitatem perpetuò dicare non valuerint, & quod Idolatræ dedicaverint, & vovere potuerint? Reſpõdeant D. Auguſtinus, cæteriquè ſuprarelati, ac etiam Philoſophi legis naturæ omni prorſus fidei divinæ lumine deſtituti. Repatriet ergò motivum illud ſæpè repetitum, ſæpiuſque à nobis erutum, in lege ſcripta videlicèt nullum extitiſſe Virginitatis Votum, utpotè illicitum, & lege prohibitum, cum ſufficienter oſtenſum ſit ex Scripturæ, & Sanctorum Patrum auctoritatibus verè fuiſſe in Elia, Eliſeo, ac Prophetarum Filiis.

Epiſt. ad Giegugiem.

tom.8.lib. 20. Con. Fauſtum Manich.c.11.

XXXXI. Quod autem Elias in lege ſcripta veri Status Monaſtici notabili-

Digitized by Google

biliter multiplicati juxta illud Sapientiæ Eliam alloquentis : *Prophetas facis Succeſſores poſt te* ; Princeps , & Auctor fuerit , oſtendit Hieronymus his verbis : *Habet unumquodque propoſitum Principes ſuos . Romani Duces imitentur Camillos , Fabritios , &c. Philoſophi proponant ſibi Pithagoram , Ariſtotelem , &c. Poetæ Homerum , Virgilium , &c. Oratores Demonſtenem , Tullium , &c. & ut ad noſtra veniamus Epiſcopi , & Preſbiteri habeant ad exemplum Apoſtolos , & Apoſtolicos Viros , quorum honorem poſſidentes , habere nitantur & meritum . Nos autem habeamus Propoſiti noſtri Principes Paulos ; Antonios , Julianos , Hilariones , Macarios ; & ut ad auctoritatem Scripturarum redeam , noſter Princeps eſt Elias , Præpoſitus noſter Eliſeus , noſtri Duces Filii Prophetarum , qui habitabant in agris , & in ſolitudine , & faciebant ſibi Tabernacula prope fluenta Jordanis* . Hoc idem aſſerit D. Iſidorus : *Unde autem* (inquit) *ad Monachos ſtudium defluxerit Paupertatis ; vel quis hujus converſationis extitit Auctor , cujus habitum imitamur . Quantum , inquam, attinet ad auctoritatem veterum Scripturarum , hujus propoſiti Princeps Elias , & diſcipulus ejus Eliſeus fuerunt , ſive Filii Prophetarum , qui habitabant in ſolitudine , Urbibuſque relictis faciebant ſibi Caſulas propè fluenta Jordanis* . Et D. Paulinus quam lepidè ſcribit : *Victor nobis , & opus Propoſiti tui , & Secretum Tabernaculi nunciavit ; quia veterum Sanctorum ſtrenuus æmulator ſupra torrentem ſibi gratiſſimum , ſic illi quondam Filii Prophetarum Eliſeo Duce ; ſuper Jordanem pacificam manſionem , & ſpiritualia caſtra poſuiſſes* . Audiamus quid dicant Chriſoſtomus, Theodoretus , & Athanaſius . Primus enim ſic ait : *Nec enim , qui accuſat Paulus , nec Petrus , nec Jacobus , aut Joannes , ſed qui apud illos potiſſimum præ omnibus erat in pretio , & admiratione , Prophetarũ caput , Dei amicus* . Theodoretus vero Syri Epiſcopus ſic inquit : *Erat enim Propheta , & Summus Prophetarum , & divino zelo inflammatus* : & alibi ſic ſcribit : *Poſt Eliæ autem illius magni aſſumptionem , perſuaſerunt hæredes gratiæ ſimul congregati , ut mitteret aliquos ad quærendum communem Magiſtrum* . Et tandem Athanaſius , Eliam , & Eliſeum in uno complectens contextu , ſic loquitur : *Secum reputaſſe ex Inſtituto magni Prophetæ Eliæ debere ſe exemplum capere , & ad illud ſpeculum vitam ſuã componere* . Et poſtea proſequitur : *Periculis ereptus eſt , ut Eliſeum pro ſe ungeret , & ſeſe formam , exemplumque colendi Numinis Filiis Prophetarum exhibere pro ſe , ut & ipſe* (intelligit Eliſeum) *ſeſe formam exemplumque colendi Numinis Filiis Prophetarum exhiberet , ſed hæc optima Dei ſerviendi , & exemplum , & authoritas eſt vita Magiſtri* . Ergo ex his D. Athanaſii verbis conſtat in tempore Antonii , quando ſuam inſtituit Religionem , præextitiſſe inſtitutum Eliæ , quia alias quomodo ab ipſo exemplum capere potuiſſet ?

tom. 1. in Ep. exhortatoria ad Paulinum de Inſtit. monac. cap. 13.

lib. 2. de offic. cap. 15.

in Epiſt. ad Sebaſtianum Monac. & Eremi. Cultorem.

ſup. cap. 11. Epiſt. ad Romanos.

queſt. 49. in 3. lib. Reg.

queſt. 6. lib. 4.

in uita S. Antonii.

XXXXII. Accedat ad prædictorum confirmationem Auctor vitæ S. Pacomii , Dioniſius ſcilicet cognomento Exiguus . *Erat* (inquit) *per idem tẽpus B. Antonii vita cunctis admirãda , præclara propoſita in magni Eliæ, atque Eliſei , necnon & S. Joannis Baptiſtæ æmulator exiſtens , ſecreta interioris eremi , & ſtudio ſectatus eſt ſingulari , vitamque Cœleſtium in terris geſſit amore virtutis* . Et confirmet monaſticam Eliſei vitam ſic ab Antonio deſcriptam ejus diſcipulus Macarius , qui quodam ſermone ad Monachos , cujus initium eſt , *Fratres chariſſimi quamquam , & notitiam Scripturarum &c.* In quo ſic habet : *Nos etenim duos Viros magnificos exordium monaſtici hominis pertuliſſe credimus , quorum unus igneis equis in Cœlum legitur raptus , alter verò ante prophetaſſe quam natus ſit , quorum exemplo fratres Chariſſimi in Ordine Monaſtico , quem ſectare cœpiſtis , debetis ſollicitè curare , ut ab eorum recto tramite , ideſt monaſtica vita , nullatenus recedatis* . Quid clarius ? Accedat etiam antiquus

Pan-

Digitized by Google

Pannutius in vita Anachoretæ S. Honufrii, ſic de Elia, ejuſque monaſtico Inſtituto, clarè ſcribens: *Profectò vitam Patris noſtri Eliæ* (nota ly Patris noſtri) *venerandos fratres meos audivi frequenter laudare, qui ſe in Eremo in tanta abſtinentia ſtuduit affligere, ut maximam virtutem à Deo promeruiſſet accipere, & igneo curru tranſvectus, Spiritus Sancti dona* (nota ly Spiritus Sancti dona) *quæ habuerat, diſcipulo impartiri, & adhuc longevus ſenio mortis pœnam non videre* (nota ly mortis pœnam non videre.)

XXXXIII. Ex Sanctorum Dionifii, Macarii, & Pannutii de Eliani Inſtituti principatu aſſerta, non tam pro Vita ſolitaria, & eremitica, ut aliqui autumant, ſed etiam pro monaſtica, & religioſa quoad ſubſtantiam, & eſſentiam ejuſdem confirment irrefragabilia nonnullorum Sanctorum Patrum teſtimonia: & primo loco Magnus Baſilius, qui eremiticam extollens vitam, ſic eam laudibus commendat: *O Eremus mors vitiorum, ac proculdubio fomes, & vita virtutum! Te lex attollit, Te prophetia miratur, & quicumque ad perfectionem pervenerunt, tuum cognoverunt præconium. Per te Elias novit Domini pertranſeuntis excurſum. Per te Eliſeus duplicem Miniſtri ſortitus eſt Spiritum.* Et homilia in Gordium Martyrem referens qua ratione iſte amplexus ſit vitam eremiticam ait: *Eum ſecutum fuiſſe Eliæ Prophetæ exemplum, qui dum Sidoniorum conſpiceret impietatem quotidiè invaleſcentem, in Montis Horeb Speluncam ſeceſſit, & ſeſe ab omni humana converſatione, ut Deum quæreret, & videret abdicavit.* Inde Petrus Damianus ſcribit: *Hujus itaque Vitæ normam, ut anteriora prætercam in veteri teſtamento Elias capit, Eliſeus vero aucto diſcipulorum Collegio dilatavit.* Et loquens de vita monaſtica ſui temporis, quam ipſe profitebatur aſſerit: *Ei formam dediſſe Eliam, quam ſecutus eſt Eliſeus, quamquè Sanctus Antonius, & ejus diſcipuli imitati ſunt in lege gratiæ.* In quibus verbis notandum eſt ly ei formam dediſſe: nam non ſolum qvo ad ſolitudines, quoad aſperitates, quo ad mortificationes, verum etiam quo ad vitam monaſticam, quam quidem concomitanter intelligendum eſt ly *ei formam dediſſe*, alias male de ſemetipſo præfatus Cardinalis teſtimonium perhiberet, quod vitam monaſticam ſui temporis profeſſus ſit, juxta formam, quam ipſi dederat Elias; cum exemplar ad hoc ut moveat, debeat continere formaliter id ad quod movet, ut docet Angelicus Præceptor, & infra conſtabit. Divus vero Antonius loquendo de Monachis legis evangelicæ ſic ſcribit: *Hi traxerunt initium ab Elia, vel à Joanne Baptiſta.* Et indè ſubjungit: *De his dicitur, qui verè, & purè ſolitariam vitam eligunt, & digni ſunt convenienti bono.* Et quia inter alia etiam D. Baſilius teſtimonium de Eliæ principatu afferre non dubitavimus, audiamus nunc, quid in ejuſdem Baſilii laudem ſcribat Gregorius Nanziazenus: *Sollicitudinem* (inquit) *cum Elia, & Joanne, qui admodum Philoſophi fuerunt, mirè amplectabatur.* Et in Apologetico: Cœleſtem (nominat) Eliæ vivendi rationem, qui hoc Philoſophiæ genus profitebatur. Audiamus pariter Gregorium Niſſenum relati S. Baſilii fratrem, quid de eo in ſua Oratione dicat: *An etiam audebimus ad ſublimem Eliæ ſermonem aſcendere, & oſtendere noſtrum Doctorem ſua vita inſtituto* (nota ly inſtituto) *illius gratiæ aſſimilari?* Sed Inſtitutum Baſilii vere, & propriè Religioſum, non tantum quo ad conditiones, ſed etiam quo ad ſubſtantiam, & eſſentiam ſtatus monaſtici cum votis: Ergo inſtitutū Eliæ conſimile Baſilii Inſtituto non erat monaſticum? Inferat Theologus benevolus, ac ſapiens. Si Divus Gregorius Niſſenus, & Nanzianzenus aliiq; Sancti Patres relatis Auctoritatibus, magni Prophetæ Eliæ magnificantes Inſtitutum, omnes unanimiter adſtruunt monaſticam Religioſorum Vitā ab Elia, & Eliſeo exordium ducere, quis unquam dicet, quod iſtorum vita fuerit tantum monaſtici Inſtituti umbra, aut figura? Quomodo ſalvari po-

In lib. de ſolit. vita laudib.

Opuſc. 15. c. 2.

Cap. 1. §. 4.

Cap. 6. q. unica.

In Orat. fun. D. Baſilii.

Digitized by Google

ri poterit D. Hieronymi intentum; de quo Suarez ſcribit: *Nemo audebit dicere non eſſe Religioſum, cum ipſe dicat pluribus in locis preſertim* tom. 3. de re-
Epiſt. 13. ad Paulinum, Nos autem habeamus propoſiti noſtri Duces Eliã lig. cap. 7. nu.
ſcilicet, & Eliſeum? 27.

XXXXIV. Inſuper ſi ex Sacris Scripturis Sanctorumvè Patrum auctoritatibus, non à Samuele licet ab aliquibus Clauſtralis, & Monachus dicatur non in perpetuum, ſed pro aliquo tempore; ſed ab Elia initium deſumit juxta illud: *Princeps noſter Elias, Præpoſitus noſter Eliſeus, noſtri Duces Filii Prophetarum*; Quomodo in Paulo, Antonio, Hilarione, & Macario vita monaſtica vera erit, & realis: & in Elia nentiquam realis, & virtuoſa, ſed tantum figuralis? Audiat benevolus Lector, veritatis, & realitatis, & neutiquam figurarum amator Gregorium Niſſenum, & ex ejuſdem verbis recognoſcat, quod tàm in lege ſcripta, quàm in lege naturæ, & Evangelica eadem eſt quo ad ſubſtantiam, & ipſiſſima quo ad eſſentiam Gratia; & fides in Chriſto, licet ſub diverſis Ritibus, Legibus, & Statibus. In Oratione enim magni Baſilii ejus fratris, ipſius laudes, & memoriam commendans, ſic ſcribit: *Prætermittatur ea Oratio, qua explicetur, qui Sancti quos ſanctos tempore anteceſſerint.* (intendit nãque ſanctorum tempora exprimere, ut noſcatur, quod gratia Dei eadem eſt in omni tempore) *temporis enim* (inquit Gregorius) *natura in præterito, & futuro, quo ad virtutem, & vitium attinet* (nota) *eodem modo ſeſe habet, cum neque hoc, neque contrarium ſit. In libero enim arbitrio* (nota) *atque Propoſito voluntatis, non in tempore, bonum conſiſtit, ac fides cum fide, cum oratione oratio conſeratur. Nam ſi quis juſtus æſtimator fuerit in conſerendis inter ſe miraculis, reperiet unam in ambobus gratiam, quæ ex eodem Spiritu juxta convenientiam, atq; proportionem fidei exiſteret in utroque. Quod ſi tempore Paulus præcedit, & multis ætatibus poſt Baſilius exhibitus, ac deſignatus eſt, divinæ adminiſtrationis, quam hominum gratia ſuſcepit, Opus dicis, non aſſers probationem circa virtutem diminutionis. Nam, & Moyſes multis temporibus poſterior Abrahamo, & Samuel Moyſe, & hoc Elias, & illo magnus Joannes* (ad quid ponit poſt Eliam Joannẽ Baptiſtam, in cujus Spiritu, & virtute venit, niſi ut indicaret Eliæ medicinam uſque ad Joannẽ continuaſſe?) *& poſt Joannem Paulus, & poſt hunc Baſilius. Quemadmodum igitur in præcedentibus nihil tempus poſterius quod attinet ad gloriam, quæ cum Deo conjuncta eſt ſanctis incommodavit; ità etiam nunc in diſceptatione virtutis ætatis commodum ſilentio prætermittatur. Nam id ut (modo) dicebamus providentiæ divinæ, qua conſulitur hominibus continet demonſtrationem. Ille enim, qui (ut inquit Propheta) res omnes nobis antequam exiſtant, & malitiam Diaboli ſimul cum ætatibus hominum extendi, atque traduci, & ad finem pergere animadvertit, convenientem, & accomodatum ad cujuſcumq; ætatis morbum medicum parat, ne curationis expertem ſinat eſſe morbum hominum, qui ſi deſit, à quo ſanetur, ſubigere ſolet, & in poteſtatem ſuam redigere Genus humanum.* Et in exemplum temporum in primis adducit Abraham cũ Scala contra Phyloſophiam Chaldeorum. Secundo loco Moyſen proponit, atque Ægyptiorum ſugeſtiones, & fraudes expellendas ſuperno auxilio miſſum. Tertiò Samuelem, ut Alienigenas à Commercio, & Conſuetudine prohiberet. Quarto loco exhibet magnum Parentem Eliam ad Idolatriam ab Achab introductam in Populum Iſrael expellendam. Et illũ ſic deſcribit: *Tunc Deus exhibet Eliam, qui magnitudini hominũ morbi pares ad ſanandum vires haberet, virum, qui curationem, & cultum corporis deſpiceret facie ſqualenti, qui multitudine ſuorum crinium obumbraretur, qui peculiari modo vivendi uteretur, aſpectu venerandum, vultu triſti, ac riſus experti, obtutu oculorum recto, & eodem quo inten-*

 diſſet

diſſet vergenti, pelle caprina tantum de corpore tegentem, quantum abſcondi magis decorum eſt, reliqua parte corporis ad aera perdurantem, & nihil iniquitatem, & injuriam, vel æſtûs, vel frigoris curantem, qui cum Populo exhibitus eſſet, qui flagello famis Iſraelem ad ſanitatem reducit, veluti ſcutica quadam ejuſmodi plaga, atque pœna inſolentiam Populi, ac petulantiam inceſſens: Deindè etiam divino in Sacrificio, igne excitato curat morbum Simulachrorum cultus. Ergo juxtà Divum Gregorium Niſſenum in libero arbitrio, atque Propoſito voluntatis, non in tempore bonum conſiſtit, cum fides, & gratia ad vitium expellendum eadem ſit in omnibus, qui eodem ſpiritu juxta convenientiam, & proportionem fidei in utroque extitit, & nos dicimus in omnibus, de quibus fit mentio jam relatis à Gregorio Niſſeno, quia divina providentia ad omnem morbum generis humani expellendum gratiam ſingularem præbuit in variis temporum differentiis. Solum igitur difficultas extare poteſt circa verum Eliæ Monachatum ipſiuſque vota, quod in lege Scripta omnia in figuris contingebant, & nihil ad perfectum adducit lex, & materia Conſiliorum, & Votorum juxta Conſilia Evangelica erant impoſſibilia ratione legis Scriptæ. Adeoque ut cognoſcatur quod practicè, & non tantum ſpeculativè in lege Scripta hujuſmodi Conſilia non fuiſſe impoſſibilia, videamus quid ſit Conſilium, & Votum.

XXXXV. Conſilium igitur eſt opus bonum, quod quamvis ad ſalutem conſequendam neceſſarium non ſit, nihilominus ad majorem perfectionē confert, & ideò à Chriſto Conſilia proponuntur, & ſuadentur. Differentia namque præcipua inter Conſilia, & præcepta in hoc ſita eſt, quod præcepta obligant ad obſervationem, & ſunt de mediis neceſſariis ad ſalutem; Conſilia verò non obligant, ſed in hominis arbitrio ſunt, ut ſimpliciter non neceſſaria ad ſubſtantiam juſtitiæ, ſed tamquam utilia ad melius eſſe; ideſt Votum eſt de non re præcepta, ſed omninò libera, & voluntaria, & de meliori bono. Explicet dicta D. Ambroſius: *lib. de Viduis* *Conſilium* (inquit) *invitat voluntarios, Præceptum verò aſtringit invitos; ubi præceptum eſt, ibi lex; ubi Conſilium eſt ibi gratia.* Et Divus Hjeronymus ait: *lib. 1. adv. Jovin.* *Vbi conſilium datur offerentis arbitrium eſt; ubi præceptum, neceſſitas ſervientis; ſed majoris eſt mercedis quod non cogitur, & offertur.* Et juxta Angelicum Præceptorem: *2. 2. queſt. 88. art. 1.* *Votū eſt promiſſio facta Deo de meliori bono.* Et ex Eccleſiaſtico hæc habentur: *Eccl. 5. 3.* *Si quid* (nota) *voviſti Deo, ne moreris reddere, diſplicet enim Deo infidelis, & ſtulta promiſſio.* Undè cōſtat Votum ſemper eſſe de his, quæ cadunt ſub Conſilio, & nō ſub præcepto, juxtà Angelicum Præceptorem, inquit enim: *loc. cit. art. 2.* *Illud quod neque cadit ſub neceſſitate abſoluta, neque ſub neceſſitate finis, omnino eſt voluntarium; & ideò hoc propriiſſimè cadit ſub Voto. Hoc autem dicitur eſſe majus bonum in comparatione ad bonum, quod communitèr eſt de neceſſitate ſalutis; & ideo propriè loquendo votum dicitur de meliori bono.*

XXXXVI. His pro conſilii, & voti notitia prælibatis, videamus aliqua conſilia evangelica. Ex Evangeliſta Luca habetur: *Cap. 18.* *Oportet ſemper orare.* Et hoc non eſt præceptum juxta communem Gloſſam Sanctorum Interpretum: At in lege ſcripta orare non fuit prohibitum, neque illicitum juxta illud Pſalmi: *118.* *Quomodo dilexi legem tuam Domine tota die meditatio mea eſt*, & Pſalmi: *107.* *Mane oratio mea præveniet te*, & Pſalmi: *54.* *Veſpere, & manè, & meridiè narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam.* Et patet ex oratione Jonæ Prophetæ, dum erat in ventre Ceti, & ex oratione Machabeorum: Ergò in lege Scripta fuit Evangelicorum conſiliorum obſervantia. Aliud Conſilium evangelicum deſumitur ex illo Matthæi: *Cap. 10.* *Nolite poſſidere aurum, neque argentum.* Vbi Doctores communitèr intelligunt conſilium non præceptum, & Lucas: *Cap. 21. v. 19.* *In Patientia ve-*

ſtra

Digitized by Google

ſtra poſſidebitis animas veſtras, quod Conſilium paritèr eſt, & non præceptum: Sed hæc præſtitere antiqui Patres, ut mirificè laudat Gentium Doctor: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, in montibus, & in Speluncis*. Et ut Gloſſa advertit, *uti Elias, Eliſeus, & Joannes Baptiſta*: Ergò hoc Conſilium practicè fuit poſſibile in lege ſcripta. Aliud conſilium Pauli eſt: *De Virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium aut do*: Sed in veteri teſtamento multi fuerunt Virgines; & Elias, & Eliſeus juxta Hieronymum, loco ſupracitato, Virgines permanſerunt, & juxta omnes Sanctos Patres à nobis ſupra relati, loquentes de Eliæ, Eliſei, Filiorumque Prophetarum puritate, caſtitate, & continentia, & juxta angelicum Præceptorem, aſſerentem de Elia, & Jeremia, *quorum conjugia non leguntur*: Ergò materia iſtius virtutis caſtitatis non fuit practicè impoſſibilis in lege veteri. ad Hebr. 11. nu.38. 1. ad Corinth. cap.7. nu.25.

XXXXVII. Conſilium paritèr evangelicum eſt non reddere malum, ſed bonum pro malo, orare pro inimicis, eiſque benè facere, juxta illud Matthæi: *Diligite inimicos veſtros, & benefacite his, qui oderunt vos*: Sed Joſeph Fratres à quibus fuerat venditus, benignitèr excepit, eiſque benefecit, & Moyſes pro Populo, qui ipſum lapidare intendebat, & minabatur, & à quo multas ſuſtinuit contradictiones, oravit ad Dominum juxta illud Exodi: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis dele me de libro tuo*. Et David à Saule, ſuiſque Militibus perſecutus ad mortem, bis illum ſemel in ſpelunca, & iterum in regio Tentorio illeſum cuſtodivit. Et Eliſeus inimicis, qui illum occiſuri advenerant panem, & aquam ſuppeditare fecit, eoſque ſubtraxit ab impetu Populi, & alii quamplurimi, ut Job, Tobias, Anna Prophetiſſa, Abraham, &c. hujuſmodi amplexi fuere Evangeliorum Conſilia: Ergò in lege ſcripta evangelica conſilia fuere adimpleta, liberaque executione obſervata. Cap.5. Gen.45.nu.3 Cap.32.

XXXXVIII. Veniamus ad Votum. De hoc loquendo Regius Vates canebat: *Vovete, & reddite Domino Deo veſtro*: & iterum *Vota mea Domino reddam*. Et Geneſis 28. habetur. *Jacob votum vovit Domino dicens, ſi fuerit Deus mecum, &c.* Item Jephte: *Fecit ſicut voverat*. Item de Filiis Iſrael dicitur: *Obtulerunt quæ voverant Domino Deo ſuo*. Item de Aſa Rege teſtatur Scriptura: *Quæ Pater ſuus voverat in Domum Domini, aurum, & argentum intulit in Templum*. Et hæc omnia ſunt de fide. In lege autem ſcripta Deus hortabatur homines ad vovendum, ut conſtat ex Levit. Cap. 27. n. 1. & Numer. cap. 30. n. 3. Deuteron. cap. 12. n. 11. & cap. 23. n. 18. & n. 6. & Thren. 4. ubi Vota Nazaræorum commendantur. Vndè Abulenſis inquit: *Expreſſit ergò Deus hic de ſtatu Nazaræorum, qui erat quidam modus ſpecialis adhærendi Deo; & tamen non poſuit ſub præcepto, ſed reliquit tanquam conſilium omnibus volentibus ſequi; ſic enim, & in lege evangelica eſt. Nam licet iſta ſit lex perfectionis, tamen non obligat hominem ad omnem perfectionem*; & quæſtione ſequenti reſolvit: *Si non eſſent alicujus meriti in hac obſervatione* (loquitur de Nazaræis) *nec Scriptura laudaret illos, nec Deus juſſiſſet aliquid laborioſæ obſervationis, & nullius utilitatis. Erat igitur magni meriti in veteri teſtamento obſervare votum Nazaræorum, ſicut nunc in novo teſtamento magni meriti eſt obſervare conſilia evangelica*: Ergò in lege Scripta aliqui juſti illius temporis, qui Dei voluntatem adimplebant, & in juſtitia proficere ſatagebant nonnulla vota fecerunt præſertim cum ratio naturalis illuſtrata fide non difficilitèr cognoſcat votum eſſe actum Religionis, quo Deum Supremum Dominum, ac omni obſequio dignum veneramur, & ad opera quibus colitur fortius adſtringamus. Pſal.75.n.12. 21. Jud.11. 2. Paralip.c. 21. 3.reg.15. in cap. 6. Numer. queſt.20

XXXXIX. Solum igitur repugnantia, qua aliqui negant conſilia, & vota in lege veteri, ut Eliam, & alios à vero Monachatu reiiciant eſt, quia in le-

lege antiqua erat præceptum accedendi ad nuptias, & erat prohibitum ſervare Caſtitatem, juxta illud Deutoronomii 7. *Non erit apud te Sterilis utriuſque Sexus*. Et juxta illud Exodi 23. *Non erit infæcunda, & Sterilis in terra tua*. Et juxta illud paritèr Deuteronomii 25. *Maledictus qui non facit, & qui non ſuſcitat Semen in Iſrael*. Et tandem juxta illud

Cap.9.n.1. Geneſis. *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram*. Ad quæ omnia facilis eſt explicatio. Primum enim: *non erit apud te, &c.* non importat præceptum, ſed tantum temporalem quandam benedictionem, juxta verba immediatè ſequentia, *nec in hominibus, nec in Gregibus tuis*. Vndè cum animalia præcepto neutiquam capaces ſint ſubiacere, ſequitur, relatum textum non inferre præceptum, ſed tantum temporalem quandam benedictionem. Nec ly *non erit infæcunda, &c.* importat præceptum, quia nec Sterilitas poteſt prohiberi, nec fœcunditas poteſt imperari, cum non eveniant ex hominis arbitrio; Sed aliundè, undè pariter tantum bedictionem indicat, juxta ſequentia verba: *Numerum dierum tuorum implebo.* Sic paritèr illud Deuteronomii: *Maledictus qui non facit, &c.* non probat præceptum, tum quia ſimilia verba in Verſione Septuaginta non reperiuntur, nec in editione vulgata, licèt eadem, aut ſimilia ſoleant à

ſup.cap.Iſaia 56. Patribus referri, ut videre eſt apud D. Hieronymum, & D. Auguſtinum lib. 14. contra Fauſtum cap. ultimo, tum quia ibì tantum eſt ſermo de ſuſcitando ſemine Fratris defuncti, immò hoc non eſt præceptum Fratri viventi, ſed jus dabatur Viduæ, ut illum invitaret priuſquam alteri nuberet; ut benè exponit Vaſquez: *Pro certo habeo, nullum fuiſſe in lege ve-*

diſp.124.c.34 *teri præceptum dandi operam Filiorum generationi, quinimmò laudabilius fuiſſe, ſicut nunc etiam eſt, Caſtitatem, & Virginitatem colere, & Deo dicare*. Nec tandem ultimum: *Creſcite, & multiplicamini, &c.* indicat præceptum, ſed tantummodo benedictionem, quia creſcere, & multiplicare erat commune gregibus, & hominibus; ſuper quibus recolantur Patres in noſtro Sylueira tam in Opuſculo, quam Apologia; ſed quia fundamentum talis præcepti aliqui Moderni, monaſticum Eliæ Statum impugnantes, principalitèr deſumunt ex auctoritate Angelici Præceptoris

3.p.quæſt.18. ar.4. ad primum. (cujus doctrinis Carmelitæ ſunt valdè affines) aſſerentis: *Quod quia videbatur eſſe in lege prohibitum* (nota ly videbatur) *non dare operam ad relinquendum ſemen ſuper terram, ideò non ſimpliciter, &c.* & aliis locis in margine citatis, quibus conſimilia habere videtur, & in quibus auctorita-

in 4. diſt.30. quæſt.2.ar.1. quæſtiunc.1. ad primum & lib.3. con. Gen.cap.136. in fine. tibus fundant argumentum, quod nec Elias, nec Eliſeus, nec Filii Prophetarum fuerunt Virgines, & caſti cum voto, ideò neceſſe eſt, quod genuinam Angelici Præceptoris mentem aperiamus.

L. Vt igitur mentem D. Thomæ quiſquè percipere valeat ſecundum realitatem, ac veritatem, eundem angelicum Præceptorem attendat, qui mentem ſuam apertè declarare non omittit: videlicet non peccaturum, qui in lege moyſis virginitatem ſeruaret, poſtquam jam ſufficienter multiplicatum eſt genus humanum; Inquit enim: *Medium virtutum accipitur*

in 4. diſt. 33. quæſt.3.art.2 *ſecundum proportionem circumſtantiarum ad rationem, & quia tempus eſt una de circumſtantiis, non eſt inconveniens aliquid eſſe illicitum uno tempore, quod eſt licitum, & ſtudioſum, ſi in alio tempore fiat; & ideo ſi in tempore, in quo Deus ad multiplicationē generis humani, vel cultus divini inſiſtere volebat operi conjugali, aliquis proprio motu incorruptionem ſervaſſet à crimine non excuſaretur, ſed poſtea facta multiplicatione Generis humani, & locupletato ſatis divino cultu, certè non peccaſſet Virginitatem ſervans, vel in lege Moyſis, vel in ſtatu naturæ integræ, nec feciſſet contra præceptum, quia multiplicatio poterat fieri per*

in 4. diſt. 49. quæſt.5. ar.4. quæſtiunc. 1. ad primum. *alios, ſed ſupra præceptum*. In his Divi Thomæ verbis ſpecialiter notandum eſt ly, *aliquis proprio motu incorruptionem ſervaſſet*; Nam aſſirmat, quod eodem tempore, in quo Populus Dei propagandus erat lau-

dabile

Digitized by Google

dabile omnino non erat abſtinere à conjugio ſequentibus verbis: *Nec tali propoſito ſpeciale præmium redderetur, niſi ex divino proceſſiſſet inſtinctu* (nota ly divino inſtinctu, cum ly proprio motu ſupra relato) *ut creditur de Jeremia, & de Elia, quorũ conjugia non leguntur*. Et ut mens Angelici Præceptoris adequatè percipiatur, audiamus Ferrarienſem, qui diverſa D. Thomæ Conciliat teſtimonia hoc modo: *Reſpondetur quod de tempore legis Moyſis dupliciter loqui poſſumus, ut ſcilicet quantum ad tempus ſequens ſufficientem multiplicare Fideliũ, aut quantum ad tempus in quo neceſſe erat multiplicationem Fideles per carnalem generationem, nondum facta ſufficienti multiplicatione Colentium Deum. Primo modo intelligitur quod dicitur in 4. Sententiarum; undè ait ibidem quod facta multiplicatione Colentium Deum ſufficienti non peccaſſet Virginitatem ſervans, etiam tempore Moyſis. Secundo modo intelligitur, quod dicitur hoc loco*. Vnde & hic ait: *Quod non expediebat ab actu generationis abſtinere, quando neceſſaria erat multiplicatio generationis propter paucitatẽ fidelis Populi, ut fuit in veteri teſtamento, intellige quantum ad aliquod tempus veteris teſtamenti*. En liquida auctoritatis D. Thomæ Solutio, & genuina ejuſdem intelligentia. Et ut quis recognoſcere valeat ly *videbatur lege prohibitum*, Angelici Præceptoris, ad ſequentia quæſo attendat.

ex lib. 3. con. Gen.

LI. Bellarminus lib. de Monachis cap. 5. in quo dicit Sententiam Luteri eſſe in Epitalamio, ipſumq; affirmare Moyſem omnibus Judeis Matrimonium præcepiſſe, itaut nullo modo licuerit in veteri teſtamento carere uxore; ipſum redarguens, ſic ait: *Quomodo igitur Elias, Eliſeus, Jeremias, Joannes Baptiſta uxoribus Caruerunt? Caruiſſe enim probat Hjeronymus lib. 1. contra Jovinianum, & D. Thomas immediatè ſupra relatus. Sed Luterus* (addit Bellarminus) *hoc præceptum non in divinis litteris reperit, ſed ex Rabinorum deliriis ſumpſit*. Simile non dari præceptum, quã benè probat noſter Sylveira cum Sanctis Patribus opuſc. 3. reſol. 3. queſt. 13. & Magiſter Bartholomæus de Medina (qui aſſerit Lorinum affirmare, quod juxta omnes Patres Latinos Regium Vatem in illis verbis Pſalmi 75. *Vovete, & reddite &c.* Nos hortari ad opera Conſilii Religionis nẽpè Obedientiæ, Paupertatis, & Caſtitatis) inquiens: *Sed non ex hoc inferat Theologus, quod Viri juſti, & Sancti in antiquæ legis ſtatu non haberent* (nota) *ex inſtinctu Spiritus Sancti Conſilià à Deo tùm virginitatis, tùm obedientiæ, atque etiam paupertatis, quæ & animo libenti* (nota) *& forti amplectabantur*. Et poſt pauca ſubjungit: *Sed pro temporis ratione non omninò conſũmata, atque abſoluta*. Undè Sapientiſſimus Waldenſis ſupra relatus, ait: *Religio Chriſtiana perfecta eſt ſpecialis, & ſtricta regula Charitatis, voti ſolemnis emiſſione profeſſa, vel æquivalenter, & explicata Religione Voti ſolemnis, vel æquivalenter*. Et poſtea ſubdit: *Quid autem dicitur eſſe illud, quod æquivalet voto? Dico quod eſt divinus inſtinctus immobilitans affectum tendentem in Deum. Et talis Profeſſor fuit Elias, talis etiam erat Joannes Baptiſta, qui quamvis non vovebant vocaliter aliquam Regulam Charitatis, habebant tàmen Dei inſtinctum immobilitantem eorum affectus converſos in Deum. Et ille æquivalet Voto, quia tota ratio eſt in non mobilitante affectum ex ſe pronum perverti. Talem etiam inſtinctum habebat Chriſtus ex ſpeciali lapſu Deitatis unitæ loco Voti, ſicut & claram viſionem loco Fidei, & immediatam intuitionem loco Spei*. Et ut magis confirmetur reſponſionis Doctrina Angelici Præceptoris, audiamus quid dicat Hieronymus: *Vacuus erat* (inquit) *Orbis, & ut de Typicis taceam, ſola erat benedictio Liberorum* (nota in hac benedictione temporalem bene-

paſt. 2. quæſt 108. art. 4. §. tamen.

lib. 3. doctr. Fid. ar. 2. cap. 17.

Epiſt. 22. ad Euſtoch.

dictio-

dictionem ſupra relatam, non abſolutè, & pro omni temporis differentia, ſed pro tempore in quo Cultus Dei propagandus erat, & Genus humanum adhuc non habebat ſufficientia individua ad multiplicationem; Attamen quando multiplicatio poterat fieri per alios, non omnes homines ad illum tenebantur Quæ quidem obligatio ità eſt naturæ annexa, quod ſi ratione alicujus Captivitatis univerſalis, aut flagelli peſtis, aut alterius cauſæ, ut v. g. diluvii; tunc in tali tempore, ſicut etiam tempore Adæ omnibus licebat pro Generis humani, & Cultus Dei multiplicatione accedere, etiam ad proprias ſorores, etiam ſi eſſent in hujuſmodi caſibus aliqua individua Deo Sacrata: nam tenerentur, ſicuti tunc tenebantur ſivè homines, ſivè fœminæ diſpenſari à ſimili propoſito, ut inſiſterent Cultui Dei, & humanæ generationis multiplicationi. Et hoc eſt præceptum vi naturæ, uti de Deiparæ voto ſupra explicatum eſt, quia tùc eſſet obedire divinæ diſpoſitioni, quæ quidem conditio eſt implicita in omni Individuo, id eſt omnes ſe Deo dicant per Caſtitatem abſolutè, niſi aliter divina diſpoſitio decreverit, in quo conſiſtit vis, & præceptum naturæ explicatum, juxta Divum Thomam, & Sanctos Patres) *paulatim vero* (ſequitur Hjeronymus) *increſcente Segete Meſſor immiſſus eſt. Virgo Elias, Virgo Eliſeus, Virgines multi Filii Prophetarum: Jeremiæ dicitur, & Tu ne accipias uxorem.* Et tandem in tertio Mundi ſtatu addit. *Ideoque diutius virginitatis donum fluxit in fæminas, quia cœpit à fœmina.* Et Vaſquez loquendo de tali præcepto, ſic ait: *Pro certo habeo nullum fuiſſe in lege veteri præceptum dandi operam filiorum generationi; quinimmò laudabilius fuiſſe ſicut nunc etiam eſt Caſtitatem, & Virginitatem colere, & Deo dicare.* Quibus omnibus pro confirmatione addimus Sanctorum Patrum auctoritates circa Eunuchos, & Spadones à nobis ſupra relatas. Et ut claram eſſe quiſque dignòſcat hujuſmodi Angelici Præceptoris Doctrinā, audiat ejuſdē Præceptoris, ſequētia verba: *Fuerunt aliqui* (inquit) *in ſtatu veteris legis habentes Charitatem, & gratiam Spiritus Sancti, qui principaliter expectabant promiſſiones Spirituales, & æternas, & ſecundum hoc pertinebant ad legem novam; ſimiliter etiam in novo teſtamento ſunt aliqui carnales nondum pertingentes ad perfectionem novæ legis*; & quod in lege veteri fuiſsent promiſſiones ſpirituales, & æternę, & Patres in ea exiſtentes juſti, & amici Dei per Gratiam, & Charitatem, necnon filii Dei, & hæredes æternę Prædeſtinationis, quæ eſt vita æterna promiſſa, præmium Cœleſte, & Regnum æternum, conſtat ex illo Apoſtoli, loquens enim de Patribus antiquis, ait: *Optabam enim Ego ipſe Anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt Cognati mei ſecundum Carnem, qui ſunt Iſraelitæ quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa, quorū Patres, & ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.* Ex quibus verbis ſapientiſſimus Medina aſſerit: *Veritatem eſſe ſecundū Fidem Catholicam, Patres veteris Teſtamenti, qui placuerunt Deo, fuiſſe verè, & propriè filios Dei adoptivos.* Explicans enim illa D. Pauli verba: *Quorum adoptio eſt filiorum*, inquit, *ideſt ad quos pertinet adoptio filiorum, ipſos namque olim Deus in filios, & in populum peculiarem ſelegerat.* Quod confirmat cum eodem Divo Paulo ad Galatas: *Quanto tempore Hæres parvulus eſt nihil differt à ſervo, cum ſit Dominus omnium, ſed ſub Tutoribus, & Actoribus eſt uſque ad præfinitum tempus à Patre; ita & nos cùm eſſemus Parvuli ſub elementis mundi eramus ſervientes.* Ex quibus verbis patet, quod ſervitus quæ conveniebat illis non ratione gratiæ, & juſtitiæ, ſed ratione legis neutiquam opponebatur cum filiatione adoptiva vere, & propriè filii Dei. Nam quod Judaicæ legis cultores nominentur ſervi poteſt tripliciter intelligi. Primo

1.2.qu.107. art.5.ad 2.

ad Rom. 9.

in 3.par. D. Thomæ q.23. art.3. conſ.1.

Cap.4.

Digitized by Google

mo negativè; attenta ſcilicet vi legis; quia hæc carebat vi ad juſtificandum, & conſequenter ad conſtituendũ filium Dei adoptivum, juxta illud Pauli ad Galatas: *Hoc ſolum à Vobis volo diſcere, ex operibus legis ſpiritum accepiſtis, an ex auditu Fidei?* Et infra: *Quicumque enim ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt. Quoniam autem in lege nemo juſtificatur apud Deum, maniſ-ſtum eſt, quia juſtus ex fide vivit.* Secundo dicuntur ſervi quo ad ſtatum, quia etiam Sancti ſub illa lege viventes aditu expedito ad Dei hæreditatem carebant uſq; ad Adventũ Chriſti, ejuſq; Mortem, Reſurrectionem, & in Cœlos Aſcenſionem. Tertiò dicuntur Servi in exteriori apparentia, quia lex vetus temporalia promittebat, & temporales comminabatur pœnas, juxtà illud Iſajæ: *Si volueritis, & audieritis me, bona terra comedetis, quod ſi nolueritis, & me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos.* Et quia propriũ eſt ſervorum pœnas timere temporales, & ad commoditates temporales attẽdere, omnes illius legis cultores legis ceremonias ſervantes, ſervi exterius apparebant, cum hoc tamen diſcrimine (inquit Angelicus Pręceptor) quod aliqui erant ſimpliciter ſervi, illi nimirum, qui ſolo pœnarum timore, & temporalium amore, quæ lex promittebat, legi obediebant; Alii autem non erant ſervi ſimpliciter, ſed quaſi ſervi exiſtentes, erant verè Filii, & Hæredes, quia licèt exterius ad temporalia attenderent, pœnaſque corporales legis obſervantia vitarent, in his tamen finem non ponebant, ſed ea accipiebant, ut ſpiritualium bonorum figuram; Undè licèt exterius nihil à ſervis differrent, in quantum ceremonias, aliaq; legis mandata ſervabant, erant tamen verè Filii, quia non ea intentione illis utebantur ut ſervi. Qua interpretatioue mens Divi Pauli clarè dignoſcitur, ſcilicet, quod quamvis ex vi legis eſſent ſervi ſervitute negativa, id eſt cum ſervitute quo ad ſtatum, & exteriori apparentia, nihilominus talis ſervitus cum vera Dominatione, & Filiatione adoptiva compatiebatur, quia in lege veteri bona illa temporalia, quæ promittebantur, pœnaſque corporales, quæ minabantur, non reſpiciebant, tamquam ultimum finem in legis obſervantia, ſed ea accipiebant, ut ſpiritualium bonorum figuram; atque adeo cum tali apparente ſervitute, verè, ac propriè eſſent Filii adoptivi Dei.

Cap.3. *Cap.1.* *in 3. diſt. 32. quæſt.1.ar.5. quæſtiunc.1. lect.2.*

LII. Poſſunt etiam Juſti in lege antiqua viventes duplicitèr conſiderari, Primo ut ritus, & Ceremonias antiquæ legis obſervantes, & ut ſic ad vetus teſtamentum pertinebant, nec erant Sancti, nec Filii adoptivi Dei, quia vi legis non concedebatur aliis ſanctitas, aut filiatio adoptiva Dei, ſed potiùs ſervi apparebant. Secundo poſſunt conſiderari ut in Chriſtum fide viva credentes, & pro ut ſic juſti erant; verèque filii Dei adoptivi, quia juſtitiam non ex operibus legis, ſed ex auditu fidei accipiebant juxta illud Pauli ad Galatas: *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam*, & illud *ex fide juſtificat Gentes Deus.* Et ut ſic non ad vetus, ſed ad novum teſtamentum pertinebant, ut ex D. Auguſtino lib. 3. contra duas Epiſtolas Pelagianorum docet noſter Angelicus Præceptor, inquiens: *Quod nullus unquam habuit gratiam Spiritus Sancti, niſi per fidem Chriſti explicitam, vel implicitam. Per fidem autem Chriſti pertinet homo ad novum teſtamentum, undè quibuſcumque fuit lex gratiæ indita, ſecundum hoc ad novum teſtamentum pertinebant.* Igitur juxta Angelici Præceptoris mentem legis antiquæ Patribus convenit eſſe ſervos, & eſſe filios; primum ex vi legis, & quatenus ſpectant ad vetus teſtamentum; ſecundum quatenus per fidem Chriſti ad novum teſtamentum pertinebant. Vndè numquam verum eſt dicere quod ante Chriſti adventum non fuit verè adoptio filiorum per fidem Chriſti venturi, & intuitu meritorum illius, ut in intentione præviſi: Licèt verum ſit ex vi legis antiquæ, & ſine fide Chriſti venturi, vel exiſtentis, vel pręteriti filiationem

Cap.3. *2.2.q.106.tit 1. ad 3.*

nem adoptivam Dei non eſſe poſſibilem, ſed tantum Servitutem. Hac doctrina benè, ac fortiter reiiciuntur omnia Tela, quæ contra legem antiquam iniici poſſunt. Quia eodem tenore quo Deus præſcivit, & prædeſtinavit: Sed eſt de fide quod in lege naturæ, ſcripta, & evangelica ſunt filii prædeſtinationis: Ergo illi filii, qui nunc ſunt hæredes in Beatitudine æterna fuerunt in Statu viæ verè, & propriè filii, & amici Dei media gratiâ, fide, & Charitate licèt ſub diverſis legibus; hac tamen differẽtia, quod evangelica ex operibus confert juſtificationem, aliæ verò non vi legis, ſed ex fide, gratia, & Charitate cum Chriſto, cui ut capiti incorporabantur; & cum hac differentia, quod juſti præſentis ſtatus uniuntur per influxum effectivum, utpotè Chriſto jam præexiſtente, & virtualiter permanente; Juſti autem legis antiquæ uniebantur Chriſto ut capiti per influxum quaſi finalem præſtitum per ſui apprehenſionẽ ut futuro, ut explicat D. Thomas. Quocirca cum differentia influxus effectivi ſit perfectior, quam influxus finalis, ideo Filii adoptivi legis gratiæ gaudent majori perfectione cum Filiis legis antiquæ, licèt habeant eandem formam univocam quò ad ſubſtantiam, & eſſentiam in ratione formæ ſpecificæ. Et poteſt hæc differentia explicari cum D. Paulo ad Romanos in differentia, quæ reperitur in filiatione gloriæ, & viæ per hæc verba: *Nos ipſi primitias Spiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes*, nempè filiationem gloriæ, quæ adeò excedit ſtatum adoptionis viæ, ut adoptio dicatur expectari ab his qui ſunt in ſtatu viatorum, ac ſi adoptione carerent. Et ob eundem exceſſum, teſte Angelico Præceptore, Paulus aliquando aſſimilat ſtatum antiquæ legis, nempè in capite allegato, ſtatui præſentis vitæ illis verbis: *Cum eſſem Parvulus loquebar ut parvulus, ſapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus, quando autem factus ſum Vir, evacuavi quæ erant parvuli*, illum nimirum comparatione ad ſtatum legis gratiæ, & iſtum comparatum cum gloria, ſeu Beatitudine æterna. Vndè relatus D. Thomas ait: *Quia Status veteris legis eſt ſicut parvulus propter imperfectionem cognitionis in comparatione ad ſtatum gratiæ, & veritatis, quæ per Chriſtum facta eſt, ſic ſtatus præſentis vitæ, in qua videmus per ſpeculum in ænigmate, eſt ſicut parvulus comparatus ſtatui futuræ vitæ in qua eſt perfecta cognitio Dei, quia videtur ſicuti eſt*. Igitur tam ex Apoſtolo, quàm ex Angelico præceptore liquidò conſtat quod tantum negativè, hoc eſt ſecundum majorem, aut minorem perfectionem, aut cognitionem, non autem ſecundum majorem, aut minorem perfectionem poſitivè, aut privative diſtinguntur Juſti, ac Flii, tàm legis veteris, quám gratiæ, & gloriæ; & ſicuti anima Pueri Juvenis ac Viri diſtinguitur ſecundum diverſos ſtatus ætatis, eadem tamen eſt ſecundum ſubſtantiam, & eſſentiam, ita anima Juſti in utraque lege eſt diſtincta negativè quo ad diverſos ſcilicet ſtatus, non tamen quo ad ſubſtantiam, & eſſentiam, quo ad gratiam, charitatem, & fidem.

quæſt. 29. de verit. ar. 4. ad 9.

Cap. 8.

ad Gal. 4. lect. 2. in Princ. 1. ad Corinth. 13

LIII. Hæc omnia plenè confirmat D. Auguſtinus, ut cunctis Theologis innoteſcat an gratia Dei fuerit incompoſſibilis cum ſtatu legis veteris; & præmia æterna, & adiutorium divinum fuerint ab illo ſtatu ſegregata. Dicat igitur Auguſtinus, quid de hac re ſentiat, cum ex profeſſo hanc quæſtionem tractat refellendo Pelagianorum obiectionem, ipſum accuſantium, quod aſſereret Spiritum Sanctum adiutorem virtutis in veteri teſtamẽto non fuiſſe: *Quis* (inquit Auguſtinus) *Catholicus hoc concedat? An verò negandum eſt illum ad novum teſtamentum pertinere, qui dixit: Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in viſceribus meis; vel illum qui dixit: Poſuit ſuper petram pedes meos, & direxit greſſus meos, & immiſit in os meum canticum novum?* Et paucis interpoſitis, dicit omnes juſtos ab exordio mundi uſque ad Joannem Baptiſtam fuiſſe Filios promiſſionis, & gratiæ, hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti.

lib. 3. cõ. duas Ep. Pelagian. cap. 4.

Et

Digitized by Google

Et tandem concludit: *Abſit ut Noë juſtum, & prioris temporis juſtos ad Supernam Jeruſalem, quæ Mater noſtra eſt, & libera pertinere negemus, quod apertè teſtatur Paulus ad Galatas* 4. Ex hac doctrina ſequitur, quod quando conſtituitur diſcrimen inter veterem, & novam legem, quod illa ſit lex timoris, hæc amoris; illa ſervorum, hæc filiorum; referendum eſt diſcrimen ad ſtatum utriuſque legis, & non ad ſingulas Perſonas. Nam in illa lege non defuere qui ducerentur amore, & eſſent filii Dei; illis enim etiam dictum eſt: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* *Deuteron. 6,* & in noſtra Chriſtus comminatus eſt nobis ignem æternum. Itaque ſumendum eſt diſcrimen non ex conditione ſingularum Perſonarum, ſed ex ſtatu utriuſque legis; Status .n. antiquæ legis, erat ſtatus puerorum, & imperfectorum, qui potius timore, quam amore ducuntur; ſtatus verò novæ legis eſt ſtatus liberorum, & Filiorum, qui potius amore quam timore ducuntur. Vndè Medina ait: *Patres antiqui juſti, qui modo regnant* *expoſ. in 1. 2.* *in Cælo, ſunt vere filii Dei, & contrarium eſt dogma hæreticum: igitur* *q. 107. ar. 1.* *dum viverent erant verè filii Dei, nemo enim Sanctorum eſt Filius Dei in Cælo, qui dum vixit non habuit Spiritum Filiorum Dei.* Hoc idem clarè patrocinare videntur ferè infinita divinæ Scripturæ loca, in quibus Judei filii Dei appellantur, & Deus Pater eorum, & ſignanter Exodi 4. *Filius meus Primogenitus Iſrael, &c.* Oſeæ 11. *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Cujus loci una intelligentia litteralis eſt, quod ex Ægypto Deus reduxerit Judeorum Populum in terram promiſſionis. Iſajæ 1. *Filios enutrivi.* Matt. 15. Chriſtus Dominus inquit: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere Canibus.* Filios vocavit Judeos, Canes Gentiles. Et cap. 8. vocat Deus Judeos Filios Regni; multa etiam ſunt loca in quibus dicitur Pater Deus; ut Iſaiæ 63. Jeremiæ 3. & 31. & alia ſepè. Item in eiſdem Sacris litteris dicuntur Judei hæredes; & Dominus ipſe hæreditas illorum. Ità Paulus ad Rom. 4. ad Gal. 2. attendit quod Abrabm fuerit hæres per juſtitiam fidei, & promiſſionem. Innumera etiam ſunt loca in quibus habetur de iſta hæreditate Domini, in Pſalmis, in Prophetis, in Eccleſiaſtico. Dicere autem quod in his locis non fiat mentio de hæreditate Cœleſti, & vita æterna, ſed tantum de terra promiſſionis, hoc eſt vere judaizare cum Saducæis, negantibus vitam æternam, & Reſurrectionem, negantibus etiam in Sacra Scriptura haberi mentionem ullam de æterna hæreditate poſt hanc vitam. Quam hæreſim confutavit Chriſtus in Evangelio; & Divus Paulus ad Hebræos 11. expreſsè docet hanc hæreditatem eſſe Cœleſtem, inter alia inquiens: *Abraham fide demoratus eſt in terra promiſſionis tamquam in aliena, in caſulis habitando cum Iſaac, & Jacob cohæredibus repromiſſionis, expectabant enim fundamenta habentem Civitatem, cujus Artifex, & Conditor eſt Deus.* Ex quibus omnibus Sacræ Scripturæ textibus clarè conſtat veteris legis Patres fuiſſe verè, ac propriè filios adoptivos Dei, & hæredes; & Deum, ac Dominum fuiſſe eorum Patrem, & ipſorum hæreditatem, æternaſq;, ac Spirituales promiſſiones expectaſſe. Undè Lyranus ex Rabi Salomone inquit: *Conſiderandum eſt ubicumque in Sa-* *ſup. cap. 15.* *cra Scriptura pro operibus virtutum promittuntur bona temporalia, nõ* *exodi.* *eſſe illa à promittente principaliter intellecta, ſiquidem finis ſemper debet eſſe melior iis quæ ad finem ſunt, præmium autem eſt finis operis, quod in illud ordinatur; quocirca ſub bonis temporalibus promiſſis, quæ ſunt minora bona, quam opera virtutum, intelliguntur aliqua bona Spiritualia principaliter intenta, quemadmodum ſub promiſſione terræ Chanaam intelligitur terra viventium, ideſt Civitas Cæleſtis promiſſa, & ſub promiſſione Templi materialis intelligitur principaliter promiſſa Domus ſive Templum Cæleſte, ubi Deus colitur, non per ſpeculum in ænigmate, ſed per jugem laudem, & in aperta viſione Dei, ſicut David cacinit Pſ.*

 83.

83. ***Beati qui ambulant in Domo tua Domine in ſæcula ſæculorum laudabunt te; atque hoc etiam dicit in hoc Rabi Salomon, ejuſque dictum conſonat fidei noſtræ.*** Et Theodoretus hoc idem affirmat ad illa verba: *Circuierunt in Melotis, & in pellibus Caprinis, &c.* ità ſcribens: *Gratia Spiritus Sancti in ipſis erat in ſui abnegatione, in Virginitate, Obedientia, & Caſtitate. Ità Elias ille magnus, ità Eliſeus illius hæres, ità quamplurimi Prophetæ, qui nec domus quidem habebant, ſed ligna excidentes, Domos ſibi, Caſaſque conſtruebant.* Ex quibus verbis conſtat æternas promiſſiones, & ſuperni Numinis gratiam in lege veteri extitiſſe.

LIV. Et ut clarius, ac firmiùs hucuſque dicta vera eſſe dignoſcat benevolus lector, conſulat Angelicum Præceptorem, & recognoſcet, quod in Eccleſia per fidem Chriſti in uno eodemque Chriſto, tamquam in capite incorporantur tam præſentes, quam antiqui; ait enim: *Quod de plenitudine Chriſti omnes homines accipiunt ſecundum fidem quam habent in ipſum; dicitur enim ad Romanos 3. Quod juſtitia Dei eſt per fidem Jeſu Chriſti in omnibus qui crediderunt in ipſum; ſicut autem nos in ipſum credimus, ut jam natum, ità antiqui crediderunt in ipſum, ut in naſciturum: habentes enim eundem Spiritum fidei credimus ut dicitur 2. ad Chorinthios 4. Habet autem fides, quæ eſt in Chriſtum virtutem juſtificandi ex propoſito gratiæ Dei, ſecundum illud ad Rom. 4. ei qui nō operatur, credenti autem in eum qui juſtificat impium, fides reputatur ad juſtitiam ſecundum propoſitum gratiæ Dei. Undè quia hoc propoſitū eſt æternum, nihil prohibet per fidem Jeſu Chriſti aliquos juſtificari etiam antequam ejus Anima eſſet plena gratia, & Charitate. Uti videre eſt in Juſtis legis naturæ, & legis Scriptæ, qui eadem gratia habituali intrinſecè inhærente juſtificabantur, & conſtituebantur filii adoptionis Dei, cum in omni ſtatu legis unica tantum ſit participatio naturæ divinæ, & non multiplicabilis in ſpecie; unica enim tantum eſt Natura Divina, licèt cum diverſis ſignis, Sacramentis, & ritibus, qui ſunt diverſi reſpectus diverſorum Credentium, non autem diverſa objecta credibilia; Cū idem ſit Deus, & Chriſtus hic futurus reſpectu aliquorum credentium in ſtatu legis naturæ, & ſcriptæ, & præſens in ſtatu legis Evangelicæ, & reſpectu noſtri, nobiſcum enim ſemper eſt, uſque ad conſummationem temporis.* Et in eadem tertia parte, ait: *Dicendum, quod numquam homines potuerāt ſalvari etiam ante Chriſti adventum, niſi fuerint membra Chriſti, quia ut dicitur Actorum 4. non eſt aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri; ſed ante Adventum Chriſti homines Chriſto incorporabantur per fidem futuri adventus, cujus fidei ſignaculū erat Circumciſio, ut Apoſtolus dicit ad Romanos 4. ante verò quam Circumciſio inſtitueretur, ſola fide (ut Gregorius dicit) cum ſacrificiorum oblatione, quibus ſuam fidem antiqui Patres profitebātur, homines Chriſto incorporabantur.* Et prima ſecundæ inquit: *Illi qui in veteri teſtamento Deo fuerunt accepti per fidem, ſecundum hoc ad novum teſtamentum pertinebant; non enim juſtificabantur niſi per fidem Chriſti, qui eſt Auctor novi teſtamenti. Undè de Moyſi dicit Apoſtolus ad Hebr. 11. quod majores divitias exiſtimabat theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti.* At ſi non erat Chriſtus præſens, quomodo improperium Chriſti erat notum Moyſi? Erat igitur præſens Chriſtus Moyſi per fidem. Nam ut optimè notat Angelicus Præceptor: *Quantum ad ſubſtantiam Articulorum fidei non eſt factum eorum augmentum per temporum ſucceſſionem, quia quæcumque poſteriores crediderunt, continebantur in fide præcedentium Patrum, licèt implicitè.* Et addit: *Quod differentia præteriti, & futuri non contingit ex aliqua diverſitate rei creditæ, ſed ex diverſa habitudine credentium ad unam rem creditam.* Nam quod fides interna pro diverſis tēporibus per diverſa ſigna ſe explicuerit, nec ipſius fidei, nec Eccleſiæ per

3. par. quæſt. 6. ar. 3. ad 3.

q. 68. ar. 2. ad primum.

q. 106. ar. 2. ad tertium.

2. 2. q. 1. ar. 7.

q. 4. ar. 6. ad 2

eam

Digitized by Google

eam cõvaleſcentis ſubſtantiali identitati præjudicat, quia eſt diverſitas materialis; Sicut materiale eſt, quod fidem, quàm corde habemus, verbo, aut calamo exprimamus; Undè Angelicus Præceptor ait: *Sancti Patres non* 3.par.q.8.ar.
inſiſtebant Sacramentis legalibus, tamquã quibuſdam rebus, ſed ſicuti 3.ad 3.
imaginibus, & umbris futurorum. Idem autem eſt motus in imaginem in quantum eſt imago, & in rem, ut patet per Philoſophum in lib. de memor, & reminiſc. & ideò antiqui Patres ſervando legalia Sacramenta ferebantur in Chriſtum per fidem, & dilectionem, & eandem, qua & nos in ipſum ferimur. Et ità Patres antiqui pertinebant ad idem Corpus Eccleſiæ, ad quos nos pertinemus. Et in hoc ſenſu inquit Apoſtolus: *Omnes eamdem eſcam ſpiritalem manducaverunt, & omnes eumdem po* prima adCor.
tum ſpiritalem biberunt: bibebant autẽ de ſpiritali conſequente eos pe- 10.
tra: petra autem erat Chriſtus. Et 2. ad Corinth. cap. 3. *Habentes eumdẽ Spiritum fidei*; ut rectè expendit Divus Auguſtinus, quamplurimique alii lib.19.°con.
Sancti Patres, & in ſpecie Divus Gregorius Niſſenus in oratione, qua fra- Fauſtum cap
tris ſui Baſilii Magni laudes, & memoriam concelebrat. 16.& Epiſtol.

LV. Hinc Angelicus Præceptor refellit quoſdam appellantes Judeorum Sy- 43.49.& 89.
nagogam Chriſti Concubinam, aſſerens illud Canticorum 6. *Una eſt Columba mea*; dicens: *Sed hoc eſt valde abſurdum, quia ſicut eſt una fi-* in 4.diſt.27.
des antiquorum, & modernorum, ità una Eccleſia: undè illi qui tempo- q.2.ar.1.
re Synagogæ Deo ſerviebant, ad unitatem Eccleſiæ in qua Deo ſervimus, pertinebant. Eccleſia enim eſt Corpus morale conflatum ex diverſis hominibus eadem fide, & gratia in Deum, & Chriſtum credentibus. Inſuper hoc eſt expreſsè contra id, quod habetur Jeremiæ 3. Ezechiel.16. & Oſeæ 2. in quibus fit explicita mentio de deſponſatione Synagogæ. Quocirca non fuit ſicut Concubina, ſed ſicut Vxor, quia ſicut unius Viri tantum unica eſt Sponſa, ſic in Eccleſia unicum eſt caput viſibile, in quo, & cum quo, medio aliquo ſigno viſibili habent incorporari membra. Hanc eandem doctrinam tradit Angelicus Doctor pluribus aliis in locis: 1.2.q.160.ar
Ergò juxta Angelicum Præceptorem eadem gratia iuſtificabantur juſti, tã 1. in corp. &
in lege naturæ, quam in lege ſcripta, & gratiæ, quia eadem fide Chri- ad 3. & 2. 2.
ſto incorporabantur. Quocirca in eadem prima 2. quæſt. 106. ar. 3. in quo q.2.ar.2,ad 3
explicans quare lex evangelica non fuit à principio mundi, dicit: *Non* & 3.p,q.8.ar
enim aliquid ad perfectum adducitur ſtatim à principio, ſed quodam tem- 3.ad.3.& ſup
poris ſucceſſionis ordine, ſicut aliquis prius fuit Puer, & poſtmodum cap. 2. ad E-
Vir. Et hanc rationem aſſignat Apoſtolus ad Galatas 3. dicens lex peda- pheſ.lect.5.&
gogus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide juſtificemur: at ubi venit fides, 6.& alibi.
non ſumus ſub Pedagogo: Ergò juxta Angelicum Præceptorẽ à principio naſcentis Eccleſiæ eadem gratia, & fide fuerunt juſtificati fideles, & filii adoptivi Dei, & quamvis ratione legis ſcriptæ fuerint Pedagogi, ideſt ſub lege, ac ſervi, eſſe Pedagogum, & ſervum vi legis non impediebat quod vi gratiæ & fidei in Chriſtum naſciturum, eſſent filii Dei veri, & proprii per gratiam, & quod Synagoga, & Eccleſia Chriſtiana eſſet vera Sponſa, & non ut Concubina Chriſti: Ergò ſicuti eadem Eccleſia quo ad ſubſtantiam, & eſſentiam, licet magis, & minus perfecta ſecundum ſtatum ſub lege, ſignis, & ritibus erat tunc, ac nunc; ita virtutes, fides ſcilicet, ſpes, & Charitas, Religio, Cultus, Virginitas, Paupertas, & Obedientia, & alia Conſilia evangelica, & materia votorum erant de genere boni, & majoris boni; Ergò qui vivebant ſub lege naturæ, & ſcripta, ideſt Patres tam novi, quam veteris teſtamenti, poterant hæc Deo vovere, cum fide illuſtrati recognoſcerent melius eſſe ſervire Deo in aliqua materia in perpetuum cum voto, quam ſine illo: Sed Elias, Eliſeus, Filii Prophetarum fuerunt Virgines, pauperes ſpiritu, & obedientes in matetia ad quam non tenebantur ex lege, ſed liberè, & ſpontanee ſe Deo dicabant, ut Elias: *Movebatur quocumque eum ferebat voluntas*, ideſt Dei; & pau-

per

per, ut ex primo regum, quia paſtus fuit à Corvo, & à Muliere vidua. Et ex Apoſtolo ad Hebr. 11. affirmante de Elia, Eliſeo, Filiiſque Prophetarum, quod: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, &c.* Vbi D. Thomas notat his verbis deſcribi ab Apoſtolo mala voluntaria aſſumpta ex fide, & illo verbo *egentes* intelligit Paupertatem indicari, afferente eodem Præceptore: *Quod præfigurabant ſtatum perfectionis*

lib.3.deProv· *novi teſtamenti*: Et ex D. Chriſoſtomo afferente: *Quod Elias ita pauper*
hom.2.adPop *erat, ut nihil illi terronum præter melotam eſſet*. Et itidem affirmante:
antioch. *Quid (enim dic mihi) Elia pauperius?* Et ſtatim ſubjungente: *Ipſam vero paupertatem non ex neceſſitate; ſed ex mentis opulentia elegit*. Et indè:
hom.46.in Matth. Vndè mirabilis factus eſt Elias, nonnè ex renunciatione poſſeſſionum? Et Caſtus, ut ex D. Hieronymo: *Virgo Elias, Virgo Eliſeus, Virgines multi*
in Ep.ad Euſtoch. *Filii Prophetarum*. Ex D. Nilo, qui loquens de Eliſeo, ſic ſcribit: *Caſtitate, & puritate admirabilem Eliam æmulatus eſt, qui exercitationis*
lib.1.Ep.ſup c.4.lib.2.Reg. n.11. *univerſæ Dux factus, primus omnem nobis pudicitiam, & parem Angelis cælibatum oſtendit, propter quam igneo curru ſubreptus eſt*. Et ex Epiphanio: *Elias erat in Virginitate, ut prærogativa Virginitatis immortalitatem prædicaret mundo, & cum corpore incorruptibilitatem*. Et ex
lib. appellat. Ancboratus. Gravina: *Quem primum colendæ Virginitatis auctorem Patres, & Docto-*
lib.Vox turt. *res appellant*. Et tandem ex aliis Sanctis Patribus, & Sacris Scriptoribus, quorum auctoritates pro Eliæ, Eliſei, & Filiorum Prophetarum puritate Caſtitate, ac virginitate ſupra adduximus, & infra pro Rechabitis, & Eſſenis adducemus.

LVI. Quod autē Eliſeus conſimilia, Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ Vota Deo dicaverit, poſtquā à magno Propheta Elia ad monaſticū ejus inſtitutū vocatus fuit, conſtat primo de Paupertate, nā vocatus à Magiſtro ſtatim reliquit Boves juxta illud: *Relictis Bobus ſtatim ſecutus eſt Eliā*. Inſuper ex illo Regum: *Egreſſus unus in Agro invenitque quaſi vitem ſylveſtrem, & collegit ex ea coloquintidas agri, & implevit Pallium ſuum*. Hanc Eliſei Paupertatem oſtendit D. Hieronymus ſequentibus ver-

Epiſtol.4. ad Ruſticum. bis: *Filii Prophetarum* (quorum poſt Eliæ raptum prepoſitus erat Eliſeus) *quos Monachos in veteri teſtamento legimus, ędificabant ſibi caſulas prope fluenta Jordanis, & turbis Vrbium derelictis polenta, & herbis agreſtibus victitabant*. Conſtat etiam de ejus caſtitate, nam ut bene no-
quæſt.24.ad 3.Reg. tat Abulenſis explicans illa verba: *Oſculer oro Patrem meum, &c.* ait: *Ex quo patet, quod non habebat filios, nec Vxorem, quia ſi habuiſſet filios, & Vxorem diceret oro te oſculer filios, & Vxorem; nam quilibet naturaliter diligit magis Filios, & Vxorem, quam Patrem, & Matrem*. Vndè dicitur Genes 2. *Rerelinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit Vxori ſuæ*. Conſtat pariter ex auctoritatibus D. Hieronymi, & D. Nili immediatè ſupra adductis, ſicut etiam ex aliis quamplurimis, quas pro Virginitate Eliæ, & Filiorum Prophetarum retulimus: Quoad votum verò Obedientiæ clarè deducitur ex Scriptura, nam illicò ac vocatus fuit
tom.in Epiſt. 18.ad lucium ab Elia: *Statim ſecutus eſt eum*. Hoc idem affirmat D. Hieronymus illis verbis: *Eliſeus Boves, & Juga prioris operis vertit in vota*. Et ne dicatur quod per ly vota intelligi debeant deſideria, & non promiſſa, adeamus noſtrum Waldenſem, qui ait hanc ſolutionem inventam eſſe à Dia-
lib.3. doctr. fid.ar.5.c.20. bolo, & ſuis amicis inſinuatam, dicens: ***Adverſarius noſter Diabolus tamquam Leo rugiens circuit quærens quem devoret, adhuc contra Sanctitatem voti negotiatur, per quemdam Clientem ſuum notam æquivocationis invenit. Duobus modis (inquit) ſumitur Votum pro deſiderio, & Votum pro Sponſione, vel promiſſione, &c. Certè clarius ille Grammaticus B. Hieronymus in lib. interpret. la-***

tinæ

tinæ eloquentiâ vocabulo votum dicit ſimpliciter: Votum eſt voluntate promiſſum, & in vocabulo vovet ideſt promittit. Nihil amplius dicit ipſe de eis, nihil aliter, æquivocationem Hjeronymus ſcivit. Votum Eliſei pariter clarè inſinuat Hugo Cardinalis dicens: *Eliſeus in aratro coxit carnes, mactavit Boves, ideſt Religionis votum fecit.* Emiſiſſe vero votum obedientiæ arguitur ex licentia, quam ab Elia petiit, ut à Parentibus ſe expediret, & ex facultate, quam Elias ei dedit, jubens quod ſtatim rediret, ut notat Abulenſis his verbis: *Putavit Eliſeus, quod jam non poterat aliquid agere contra præceptum Eliæ.* Et infra: *Elias jubens Eliſeo, quod rediret, idem fuit ac ſi dixiſſet, ſi non veneris, aut moratus fueris tu peccabis.* *in capit.9.D. Lucæ in fine.* *q.24.ſup.cap. 19.lib.3.Reg. q.26.*

LVII. Hujuſmodi Paupertatis votum fuiſſe in Elia, Eliſeo, Filiiſque Prophetarum ratione neutiquam efficacia deſtituta oſtenditur; Nam contràvertiſtæ noſtri temporis doctrinis Sanctorum Patrum, & Conciliorum innixi, probant contra Hæreticos, quod Apoſtoli emiſerunt votum paupertatis, ex eo quod dixerat D. Petrus: *Ecce nos relinquimus omnia*: Ergò ſi Elias, & Eliſeus omnia reliquerunt propter Deum, quem diligebant, animo ea amplius nõ poſſidendi, verè emiſerunt votũ paupertatis. Audiatur in hoc particulari Concilium Senonenſe, id clarè definiente: *Cum Chriſtus* (inquit) *apertè ſuadeat, ut qui vult perfectus eſſe abneget ſemetipſum, & vendat omnia, quæ habet, & det Pauperibus, ad perpetuæ profeſſiò tum obedientiæ, tum Paupertatis cohortatur Votum.* Hanc veritatem ita perfectè novit Sapientiſſimus Suarez, ut dixerit: *Ex eiſdem locis, & verbis, quibus Chriſtus Dominus paupertatem conſuluit, Votum hoc etiam conſuluiſſe colligendum eſt, quia ſi paupertatem conſuluit: Ergò & perpetuitatem ejus: Ergò, & immobilitatem, ſeu firmitatem, propterquam votum adhibetur.* Audiamus quid dicat D. Ambroſius loquens de Eliſei paupertate: *Boves ſuos occidit, ut nulla cura teneretur domeſtica, ſed relictis omnibus in diſciplinam ſe propheticam daret*: Ergò tam Elias, quam Eliſeus, & Filii Prophetarum Vota obedientiæ, Paupertatis, & Caſtitatis Deo obtulerunt ea fide, qua in Chriſtum futurum credebant, & ut illuminati, ac à Spiritu Dei inſpirati. Sed Vota ſic Deo hodiè oblata à tempore Chriſti conſtituunt verum ſtatum monaſticum, quoad eſſentiam, & ſubſtantiam cum omnimoda perfectione, & poteſtate clavium: Ergò tunc Vota emiſſa à relatis, eſtò ſimplicia, ſicut ſunt Vota Jeſuitarum poſt elapſum biennium, & ante ultimam profeſſionem, conſtituunt verum, ac proprium ſtatum monaſticum quo ad eſſentiam, & ſubſtantiam, præciſis ſollemnitate, & poteſtate clavium. Nam ſicuti Machabæi fuerunt veri Martyres in lege ſcripta in Chriſto, per Chriſtum, & ſub Chriſto; ita Elias, Eliſeus, & Filii Prophetarum ſunt veri Monachi per gratiam in Chriſto, per Chriſtum, & ſub Chriſto, ut conſtat ex jam relatis. Et ſi majorem charitatem nemo habet, quam qui animam ſuam ponat pro amicis ſuis, uti fecit Chriſtus, qui venit ut vitam habeant, & abundantiùs habeant, & hoc fuit in lege ſcripta executioni traditum per Eleazarum, & ſeptem filios illius præclaræ Matris, & Deum ſuper omnia diligebant, quod eſt magis perfectum; certè Deo offerre paupertatem, obedientiam, & caſtitatem fuit poſſibile in lege veteri, immò & executioni mandatum ab Elia virtute ejus Zeli, quo zelavit multiplicare Prophetarum Religionem. *Matth.19.* *decr.9.* *tom.3. de Relig.lib.8. cap. 2.nu.14.* *lib.1. de offic. cap.30.*

LVIII. Quod autẽ Elias, Eliſeus, & Filii Prophetarum fuiſſent ſine uxoribus, caſtitatiſque votũ ſervaverint, & quod tale votum non erat prohibitum teſtatur eruditiſſimus, equè, ac antiquiſſimus Pater Caſſianus qui referens Virum in prophetiæ Spiritu clarum Sanctum Joannem, ſcilicet de Thebaida, hunc in modum Abbatem Theonem alloquitur: *Eliam* (ait) *& Jeremiam probamus non fuiſſe ſub lege, qui cum licitè uti conjugio abſq; reprehenſione potuerint, perſeverare tamen Virgines maluerunt. Sic Eli-* *Collat.21.c. 4.*

ſeum

ſeum, ac reliquos ejuſdem propoſiti Viros Moſaicæ legis ſuperaſſe mandata, de quibus Apoſtolus dicit, circuierunt &c. Et noſter Magiſter Corneyo publicus in Salmanticenſi Academia laureatus, & publicus Cathedræ Sapientiſſimi Durandi Regens, hæc Vota in alma Urbe anno hujus ſæculi 13. deſcribens Eliæ vitam *tam in eſſe naturali, quam in eſſe ſupernaturali; & in eſſe naturali*, cunctam Philoſophiam proponens, & in *eſſe ſupernaturali*, univerſam Theologiam exponens per diſtinctas concluſiones, in duodecima agens de ſtatu religioſo, & monaſtico ab Elia inſtituto, ſic dicit: *Forma monaſtica diſciplinæ ſub obſervantia trium eſſentialium votorum, non eſt novum inſtitutum in Eccleſia, ſed ab Elia primordialiter emanavit, & ad hæc uſque tempora perſeverat imitatione in omni Eccleſiæ Monachatu, hæreditaria ſucceſſione in Carmelitis*. Et Navarrus de Horis Canonicis ait: *Dicunt fide dignæ hiſtoriæ à tempore Eliæ, Eliſei Prophetarum, qui ſæpius morabantur in Carmelo ſecretius ſolebāt homines devoti inhabitare uſque ad tempora Salvatoris, & tunc Carmelitę prædicantibus Apoſtolis in fide ſolidati in latere Montis ipſius primò Eccleſiam conſtruxerunt in honorem Beatiſſimæ Mariæ ſemper Virginis.* Et Abbas Trichemius, qui vixit ante annum 1500. inquit: *Elias Propheta Domini eximius, rectè, & Catholicè fundator Carmelitanæ Religionis dicitur, ſi ejus facta ex voluminibus Regum abſque invidia diſcutiantur; Enim verò ipſe Montem Carmeli primus habitaſſe legitur, a quo Patres Carmelitę nuncupantur. Triplici autem ratione oſtenditur, quod iſtius Obſervantię Princeps Elias habeatur à loco videlicet, ab habitu, & Converſatione*. Liceat igitur concludere quæ hucuſque dicta fuere de vero ſtatu vitæ Monaſticæ in lege Scripta quo ad eſſentiam, & & ſubſtantiam ejuſdem cum noſtro Sapientiſſimo Waldenſi, qui de hac re contra Witcleff negantem Religionem peculiarem Chriſtianam ſupra vulgarem ita ſcribit: *Sufficiat ergo Religioſis tales habere Patronos, & Sancti Propoſiti Fundatores, ut planè ſe monſtret Sacrarum Scripturarum ignarum; quicumque ſic errat, ut dicat eos non eſſe jure fundatos* (nota hæc ultima verba.)

cap.21.nu.47

lib. de laud. Carmel.num. 105.cap.2.

lib.3.doct.fid. art.1.cap.4.

LIX. Tam mirabilis Eliſei ſignis, prodigiis, ac virtutibus invitatus Vir Dei Jonadab filius Rechab ad ejus ſequelam; monaſticam Filiorum Prophetarum diſciplinam ab Elia inſtitutam amplexatus eſt. Cinæi enim Rechab hominis Dei Progenitores, quia ab inclito Jabes legis Doctore fuerunt profundè in lege Dei erudici illam canere, divinaſque laudes reſonare ſuos docuere poſteros; Undè Jonadab in his omnibus plenè inſtructus, ut majoris perfectionis attingeret cumulum, Eliſeum Prophetā in monaſtica Eliæ diſciplina imitatus eſt, ejuſque exemplo relictis omnibus extra Urbes cum Cinæis ab eo deſcendentibus in habitaculis habitavit, de quibus in libro Paralipomenon legitur: *Hi ſunt Cinæi, qui venerunt de Calore* (hoc eſt de fervore Vitæ Religioſæ) *domus Rechab, canentes, atque reſonantes, & in tabernaculis commorantes*. Cinæi itaq; à Rechab deſcendentes, & cum Jonadab Filio ejus monaſticum Eliæ, & Eliſei Inſtitutum ſequentes, dicti fuere Rechabitæ, de quibus Hjeronymus ad illa verba: *Præpoſitus noſter Eliſeus, noſtri Duces Filii Prophetarum, qui habitant in Agris, & in ſolitudine, & faciebant ſibi Tabernacula propè fluenta Jordanis*; in confirmationem noſtri Inſtituti, & ſucceſſionis hæreditariæ ininterruptæ à magno Propheta Elia, ſubdit: *De his ſunt, & illi Filii Rechab, qui vinum, & ſiceram non biberunt, qui morabantur intentoriis, qui Dei voce per Jeremiam laudantur, & promittitur eis, quod non deficiet de ſtyrpe eorum Vir ſtans coram Domino. Hos reor, & Septuageſimi pſalmi titulum ſignare, commemorando Filios Jonadab, & eorum qui primi in captivitate ducti ſunt*; ut benè refert Waldenſis in

lib.1. cap.2.

in Epiſt. ad Paulinum n. 13.

Digitized by Google

in c. 5. *De his ſunt, & Filii Rechab; ideſt de noſtris Principibus, & modernæ Religionis noſtræ Fundatoribus approbatis*. Hinc eximius Pater Sanchez quando D. Hjeronymi teſtimonio utitur ad confirmandã Rechabitarum inſtituti perfectionem, ità ſcribit: *Rechabitas Hjeronymus numerandos cenſuit inter Antonios, Macarios, Hilariones, Eliam, & Eliſeum*. In idem coincidit relatus Waldenſis, qui quamvis cognoſcat Rechabitas gentiles, qui originem ducunt à Jetro ſocero Moyſis, & de quibus fit mentio Jeremiæ 35. qui peculiarem quandam habebant Religionem, & recognoſcat pariter Rechabitas in Jonadab tempore Eliſei, qui ipſiſſimam Filiorum Prophetarum obſervabant Religionem, cum in nulla notabili cerimonia ab illis diſſentirent, & de quibus fit mentio 4. Reg. 10. & loquitur D. Hjeronymus in relata Epiſtola ad Paulinum, dicens: De his ſunt & Filii illi Rechab; nihilominus utramque eorum Religionem tamquam Deo charam laudat, & approbat. Quocirca de utriſque Rechabitis tàm de illis, qui in invaſione Chaldaici Exercitus compulſi Jeroſolimam intrare, & poſt ſolitudinis libertatem in Urbe, quaſi in carcere recluſi ſunt, quam de illis, qui ſunt à Jonadab tempore Jehu, qui aſcendit cum eo in Curru contra Achab, de utriſque, inquimus, indeſſerenter in præſenti à nobis fit mentio, & compoſitivè cum relato Waldenſi recognoſcamus, quod Rechabitæ ſub lege Moſaica profecerint, Patreſque facti ſint, & Patroni Religionis perfectorum futuræ tẽporibus legis Chriſti, quod ſolum intendebat Hjeronymus cum diceret de his ſunt, & filii illi Rechab, ideſt de noſtris Principibus, & modernę Religionis noſtræ Fundatoribus approbatis, ideò aſſerimus, quod filii Rechab ſunt filii Jonadab, qui fuit Eliſei diſcipulus. Et ſicut Rechabitæ illi fuerunt privilegiati in invaſione Chaldaica, ità Carmelitæ ſimile habuere privilegium, ut refertur à Joanne 44. de quo tangitur in hiſtoria Euſebii Cæſarienſis lib. 11. cap. 2. in Eccleſiaſtica hiſtoria, & fulſit (ut refert Waldenſis loco ſupra citato) temporibus Honorii, & Arcadii Imperatorum, eos Monachos vocando, inquit enim: *Monachi etiam Rechabitæ, quamvis eſſent in Jeruſalem recluſi, dum exercitus Chaldaicus Jeruſalem, & cæteram terram Juda devaſtavit, ipſi tamen non fuerunt cum reliquo Populo Judeorum in Babiloniam tranſlati, ſed in terra promiſſionis derelicti, ſicut & Monachi Carmelitæ prædicti, quoniam Nabuzardam Princeps Exercitus Regis Nabucdonoſor, dum prædictam captivitatem Judæorum in Babyloniã transferret, hos Monachos Rechabitas cum Jeremia Propheta liberos abire conceſſit: Quemadmodum Jeremias, & Populi captivitatem, & Rechabitarum liberationem Prophetaverat, in perſona Domini dicens cap. 35. Firmaverunt filii Jonadab, filii Rechab præceptum Patris ſui quod præceperat eis: Populus autẽ iſte non obedivit mihi. Idcircò, hæc dicit Dominus exercituũ Deus Iſrael: Ecce Ego adducam ſuper Judam, & Jeruſalem univerſam afflictionem, quã locutus ſum adverſum illos, eo quod locutus ſum ad illos, & non audierunt. Vocavi illos, & non reſponderunt mihi. Domui autem Rechabitarum dixit Jeremias; Pro eo quod obediſtis præcepto Jonadab Patris veſtri* (ideſt Conſilio) *& cuſtodiſtis omnia mandata ejus, & feciſtis univerſa, quæ præcepit Vobis, propterea dicit Dominus exercituum Deus Iſrael: non deficiet Vir de ſtyrpe Jonadab Filii Rechab ſtans in Conſpectu meo cunctis diebus*. Et Subjungit relatus Joannes: *Intellexit autem Deus per Virum de ſtirpe Jonadab, non quidem principaliter carnalem ipſius Jonadab generationem, ſed potius Religionis noſtræ eremiticæ genus*: Ut ſucceſſio Eliæ ininterrupta recognoſcatur uſq; ad tempus Chriſti, & D. Hjeronymi verba: *De his ſunt, & filii Rechab*; ideſt diſcipuli Eliſei Jonadab filii Rechab, ideſt Eliæ, & Eliſei, Currus Iſrael, & auriga ejus, ideſt Rechab, per Spiritualem generationem, non per carnalem.

lib.3. doctr. Fid. art.1. 5.

loc. cit.

in lib. de inſtitut. Monac. lib.4. cap.

cap.35.

LX. De prædictis Rechabitis loquens S. Gregorius Nanzianzenus, ut explicat Eſcoliaſtes ipſius Nicetas: *Gregorius noſter Rechabitas Monachos appellat*. Et doctiſſimus Abulenſis inquirit de Rechabitis undè initium habuerint, & inquit: *Reſpondendum, quod iſti erant Viri Religioſi in veteri teſtamento, ſicut nunc ſunt Monachi. Nam abſtinebant à quibuſdã delectationibus licitis, à quibus non abſtinebant alii homines, & in hoc erat perfectio ſua*. Et Serarius inquirens utrum ſint Eſſeni, aut Rechabitæ, qui ſecundũ ipſius ſententiã idẽ ſunt, reſpondet quod multi ſunt Rechabitæ, & Eſſeni, non ſecundum deſcendentiam, & propagationẽ carnalem, ſed Spiritualem, ideſt ſecundum profeſſionem, & inſtitutum. Et explicat ſeipſum dicens: *Rechabitas alios eſſe genere, ac ſtyrpe, alios diſciplina tantum, & inſtituto, quia boni Religioſi Chriſtiani ſunt veri Rechabitæ, & Eſſeni, & in his adimpletur Prophetæ Jeremiæ dictum: Non deficiet Vir de ſtyrpe Jonadab filii Rechab, ſtans in conſpectu meo cunctis diebus*. Undè idem Serarius in miner, ſic inquit: *Eſſeni, & Rechabitæ duplices ſtatuendi, alii ſecundum Carnem, alii ſecundum Spiritum, & boni apud Chriſtianos Religioſi veri Rechabitæ, ac Eſſeni ſunt*. Ex his tribus teſtimoniis conficitur argumentum, non itàfacile diſſolvendum. Nam D. Gregorius Nanzianzenus aſſerit, Rechabitas eſſe Monachos, Abulenſis docet, quod fuere veri Religioſi inveteri teſtamẽto ſicut nunc ſunt Monachi, Serarius affirmat quod noſtri Religioſi ſunt ſicuti illi fuere, in ſpiritu, inſtituto, & profeſſione. Quomodo igitur negari poterit, quod fuerint veri Monachi, & Religioſi cum tribus votis, in quibus conſiſtit verus monachatus quo ad ſubſtantiam, & eſſentiam? Nam Rechabita non ſãguine dicebatur filius Rechab, ſed inſtituto religioſæ vitæ, & diſciplinæ; quia ut dicit Philo: *Eſt ipſis inſtitutum hoc non ex genere, ſed ex intenſo virtutis amore, & ità primo Paralipom. cap. 2. de calore Cinai dicuntur veniſſe Domus Patris Rechab, non de calore Patris Rechab, quia non ex ſanguine, ſed ex fervore devotionis, ac Cœli familiæ proceſſere Rechabitarum*. Et ut veritas iſtius Rechabitarum deſcendentiæ, quod ſit ex fervore devotionis, ac zelo Jonadab magis conſtet, recognoſcamus quis ſit iſte Jonadab Puer, ideſt diſcipulus ille Eliſei, quem miſit ad ungendũ Jehu cum lenticula olei in Regem, qui poſt unctionem ait ipſi, *percuties Domum Achab*, quod fecit Jehu, ut refert Regum textus: *Percuſſit igitur Jehu omnes qui reliqui erant de Domo Achab in Iſrael*. Et poſt pauca ſubjungit textus. *Invenit Jehu Jonadab filiũ Rechab in occursũ ſibi, & ait ad eum: Numquid eſt cor tuum rectum, ſicut cor meum cũ corde tuo? Et ait Jonadab, eſt, & ait ad eum veni mecum, & vide zelum meum pro Domino*. Ex quibus verbis conſpicuè videtur hunc Jonadab Rechabitam commorantem in Agro, & vocatum à Jehu in teſtem executionis mandati Dei fuiſſe Puerum, ideſt diſcipulum Eliſei miſſum ad ungendum Jehu, ex parte Dei ad revelandum præceptum; ut quam optimè advertit Didacus de Coria, & rationem reddit: *Quia dixit, nũquid eſt cor tuum rectum; ſicut cor meum cum corde tuo? Quaſi diceret, percepi, quod indicaſti. Eſt ne hoc quod exequor id, quod mihi ex parte Dei præcepiſti? Veni, & vide Zelum meum pro Domino, ideſt meam operationem uſque in finem teſtifica*. Et Philo loquens de Eſſenis, docet obſervare eadem, quæ Rechabitæ, his verbis: *Vinum non præbetur* (Eſſenis ſcilicet) *ſed aqua limpidiſſima: vinum habent pro veneno, quaſi jam mortui: facultates ſuas, cognationes, & Patriam relinquunt: Reverentia erga ſeniores, & cura talis eſt, qualis eſſe poteſt liberorum erga Parentes. Hi tanquam germani Filii libenter, & certatim miniſtrant, haud ſecus ac Parentibus publicis: hanc conjunctionem arctiorem ducẽtes, quam ſanguinis*: Sed Rechabitis præcipiebatur à Jonadab, vinum non bibetis, agrum non ſeretis, Vineam non plantabitis, domum non ædificabitis, & quia obedierunt præcepto Jonadab, ſicut per Iſaiam Eunuchis,

Sciambl. 15. nu. 18.

1. Paralip. c. 2. q. 21.

lib. 3. Tribæſum c. 11.

lib. 5. cap. 22.

de Probi hominis libert.

lib. 2. dilucidarii cap. 7.

de Vita contemplativa.

Digitized by Google

nuchis, qui cuſtodierunt Sabbata Dei, & elegerint quæ voluit, ideſt conſilia voluntatis ejus conſulentes elegerint, cum talis Caſtitas non præcipientis, ſed ut obedientia, & paupertas ſit votum Dei conſulentis, præmium (inquam) promittitur Eunuchis; ita Rechabitis diſcipulis Jonadab Eliſei diſcipuli, caſtis, obedientibus, & pauperibus præmium à Deo promittitur. Jeremiæ 35. nu. 18. *Non deficiet Vir de ſtyrpe Jonadab filii Rechab in conſpectu meo cunctis diebus*. Et Iſaiæ 56. nu. 5. *Dabo eis in domo mea locum*. Et Sapientię 3. num. 14. *Dabitur ei ſors in templo Dei acceptiſſima*. Quæ eadem eſt prorſus in ſenſu litterali, ac promiſſio de miniſterio in hoc Sæculo Eccleſiaſtico, & in futuro de Gloria, Caſtratis propter Regnum Cœlorum promiſſa in ſenſu myſtico exhibenda pro Chriſto; Qua ex uſu ſcripturæ fraſi *ſtandi in conſpectu Dei*, miniſteriũ ſignificat, & obſequium, ut in cap. 4. num. de Levitarum miniſterio dicitur, *ſtabunt in conſpectu Domini*. Et ex ſupra relatis pro Patribus veteris teſtamenti conſtat.

LXI. Et quod ille Jonadab ſeu Rechab ſit idem ac Eſſenus, patet ex illo Rechabita, qui fuit præſens S. Jacobo minori in nece, uti ex Egeſippo lib. 5. Euſebius, refert illis verbis: *Cum lapidibus illum obterere pergerent, unus è Sacerdotibus de filiis Rechab filii Rechabim, qui ſunt teſtimonio Jeremiæ commendati, voce emiſſa cunctentiùs dixit, quid agitis? juſtus pro vobis Deum deprecatur*. Iſte (inquam) Sacerdos fuit Eſſenus, & propterea adfuit Patronus Jacobo, quia in eadem uterque erat inſtructus diſciplina à Caſid. Hoc idem teſtatur Joannes Jeroſolimitanus, inquiens: *Nam dum Beatum Jacobum Alphei, qui paulo antè ruinam prædicta Civitatis deceſſit, Judei in dicta Urbe lapidibus obruerunt; Sacerdos quidam ex his Rechabitis nitebatur eum à morte eruere; quoniam Apoſtolus Jacobus numquam bibit vinum, & alias abſtinentias grandes ſimiles Rechabitarum abſtinentiis, ſecutus fuit*. Jacobus juſtus nuncupatus, ideſt ex Eſſenorũ numero, qui juſti, & ſancti vulgo compellabantur ſupra legem, ut Eſſeni, ſupererogationis ſubdebatur operibus voluntariis, uti legitur. 1 Machabeor. 2. verſu 43. voluntarii dicuntur in lege, & Rechabita Eſſenus rectè poterat nuncupari, ut in opuſculo Trihæreſum obſervat Serarius; Eſſenos Rechabitas eſſe, aſſeverat Suidas dum ait: *Eſſeni erant majores, ſeu parentes, & Auctores Jonadab filii Rechab juſti illius*. Videtur vero hæc aſſertio (quocumque illam auxerit Suidas) & ſi non demonſtrata, nihilhominus probabilis, quam inſinuat etiam Sanctus Nilus per hæc verba: *Judei, qui talem vivendi rationem inſtituerunt à Jonadab ſunt Oriundi. Magnam igitur morum curam gerunt, & contemplationi vacant aſſiduè, ex quo Eſſei appellantur*,

lib. 2. hiſtor. Eccleſiaſt. ca. 22.

de inſtit. primor. Monac. cap. 33.

LXII. Hujus Serarii ſententiam ſequuntur, ac citant Magallanes in Judic. cap. 1. ſec. 2. annot. 1. n. 144. Tirinus ſuper Num. cap. 10. n. 29. Cornelius à Lapide ſuper Jerem. cap. 35. & addit Bolduch quod Eſſeni filii Prophetarum, & Rechabitarum, & Eliæ diſcipuli, poſtquam iſte Sanctiſſimus Patriarcha ſuam inſtituit Familiam, omnes fuere idem, perficiendo, & adaugendo antiquas illas obſervantias in ſua prophetica Religione, in quo omnes ſe univere, & quod *Rechabita*, idẽ eſt, ac *Elicitæ*, aut *Eliſeitæ*; qui quando Elias in igneo Curru aſcendebat ad fęliciorem ſtatum, & vitam, vocavit Eliſeus Currum Iſrael, juxta Sacrum textum: *Ecce Currus Iſrael*: Et Eliſeum jam morti propinquum eodem nomine Rex Joas lamentabatur, & hebraicum verbum translatum in idiomate latino *Recheb*, idem ſignificat, ac *Currus*, & ita ab his duobus inſignibus Prophetis, & Patribus, filii Prophetarum vocati fuerunt *Recheb*, quibus ſucceſſit Jonadab, eorum filius ſpiritualis, qui propter hoc vocabatur filius Rechab, & filii Prophetarum Rechabitæ, ut cognoſcere quiſque valeat Jonadab habere eandem prorſus cum Filiis Prophetarum Religionem; & licèt ſanguine di-

Digitized by Google

cantur filii Rechab, in ſpiritu tamen dicuntur filii Rechab ab Elia, & Eliſeo.

LXIII. Audiamus verba Bolduch id omne ad verbum approbantis: *Conſtat ex libris Regum* (ait) *multa ac frequentia filiorum Dei, qui poſtea filii Prophetarum ſunt appellati, in illa, aut circa illam Tribum extitiſſe Cœnobia, nempè in Galgalis, Bethel, & Jerico, præter celebre Haberis in querceto, quod dicebatur Semnim juxta Cades, atque in illis maximam fuiſſe multitudinem utriuſque Sexus (ut colligere eſt ex ſtrenua illa Jabel uxore Haber Cinai, quæ peremit Siſaram) quorum Archimandritam poſterioribus ſeculis fuiſſe Eliam; cui ſucceſſit Eliſeus, ambigendi non datur locus. Eliæ autem, & Eliſeo ſucceſſit Vir Sapientia, & Sanctitate celeberrimus Jonadab, qui paſſim in Scriptura dicitur filius Rechab; non ut multi putant, quod à quodam hujus nominis Viro (quem Scaliger militarem Virum fuiſſe, contra illa, quæ de eo habet Jeremias, audet aſſerere, propter Jehu ad eum verba, & quia in ejus Currum fecerit eum aſcendere, nempè horreret Scaliger Sanctũ aliquem Monachũ ſimili honore à Rege præveniri) ſecundũ carnem genitus ſit, cũ talis non reperiatur, & tam illuſtris familiæ Parentem, & caput non inveniri incongruum planè videatur; ſed quia filius, ideſt diſcipulus fuit eorum, qui primi hoc nomine Rechab honoris cauſa vocati ſunt. Iſti autem fuerunt Elias, & Eliſeus; ille quidem ab iſto quando ſurſum ferebatur per turbinem in Cœlum, vidente, & clamante, Abi abi Recheb Iſrael Upharaſciau: Pater mi, Pater mi Recheb Iſrael, & equites ejus, vel equitum ejus: Iſte verò nempè Eliſeus iiſdem prorſus terminis à Joas Rege Iſrael, cum ægrotaret infirmitate, qua mortuus eſt, ad quem Rex deſcendit, & ſtans coram eo dicebat Pater mi, Pater mi currus Recheb Iſrael, & auriga ejus. Ab illo ergo die nomen Recheb, ſeu Rechab honorabile factum eſt, ita ut præcipuus filiorum Archimandrita, qui in hoc munere ſucceſſit Eliſeo filius Rechab, nempè Eliæ, & Eliſei diſcipulus appellatus ſit, & omnes illius ſodalitatis Alumni, qui primò Enoſcai, deindè Cinai, poſtea Cenezai, ad hęc Hebræi, Nazaræi, & filii Prophetarum nuncupati fuerant, deinceps Rechabitæ ſunt appellati, quod idem eſt, ac ſi Elicitæ, vel Eliſeitæ dicerentur.* Et quamvis alia via hiſtoriam ſequentes, ut inveſtigare poſſemus quiſnam fuerit iſte Rechab, à quo Rechabitæ appellati ſunt, & dederimus ipſis antiquiorem originem, nihilhominus aſſentimur huic Auctori in hoc quod Jonadab, qui illos reformavit, fuit diſcipulus Eliſei: & quod ipſe cum ſuis Rechabitis in poſterum pertinuere Religioni propheticæ, quod docet Joannes noſter Jeroſolimitanus loquendo de Rechabitis: *Cinai itaque ab hoc Rechab deſcendentes, & cum Jonadab filio ejus Religionem Eliſei eremiticam ſequentes dicti fuerunt Rechabitæ.* Et Doctor Idelphonſus de Villieguas Canonicus doctoralis in Eccleſia Toletana Hiſpaniæ, & illius Archiepiſcopatus Gubernator, ſuprà nobis relata ſequens ex vulgari Hiſpanico translato ad litteram ejus ſermone in latinum, ait: *Conſidero utique Sanctum Hieronymum Epiſt. 13. ad Paulinum, qui vixit in ſeculo ipſiſſimo, in quo vixit Patriarcha Joannes Jeroſolimitanus, & habitavit cum eo in Paleſtina, dixiſſe expreſsè Rechabitas fuiſſe ex illis, quos Scriptura vocat filios Prophetarum, qui habitant in agris, & ſolitudinibus, de his ſunt & illi filii Rechab.* Ex quo ſequitur, quod ſi Eſſeni Prophetarum filii, & Rechabitæ idem erant, cum filii Prophetarum eſſent veri Monachi, & Religioſi, ſicuti probatum eſt, & etiam Eſſeni, ut probabimus infrà, ſequitur, inquam, quod Rechabitæ fuerint veri Monachi, cum idem ſint ac Eſſeni. Audiamus ſuprarelatum Doctorem, quomodo id probet ex D. Hieronymi teſtimonio, & aliorum: *D. Hieronymus* (inquit) *tam Prophetarum filios, quam Eſſenos Monachos, & Religioſos vocat, & ipſis tale nomen non tribueret ſi Caſti non fuiſſent, cum iſte ſit antiquus*

de inſtit. Monac. cap. 25.

in Serm. habito in beatific. S. Thereſiæ excuſo ann. 1615. Matriti.

Digitized by Google

quus Sanctorum Patrum Sermo, ut videre eſt in D. Dioniſio, & Divo Gregorio Nanzianzeno, qui Monachatui Caſtitatem univit, & ſuus Eſcoliaſtes Nicetas dicit, quod Monachi, & Rechabitæ ſunt termini ſynonimi: Vndè pro certò habeo, quod Rechabitæ, & Prophetarum filii omnes fuerint ejuſdem inſtituti. Paritèr de Rechabitis loquens Concilium Senonenſe in ſuo decreto 9. de Votis monaſticis, & ad illorum obſervantiam exhortans, hæc leguntur: *Si quis votum aliquod hujuſmodi voverit, etiam ſi perpetuum fuerit, non facit irritum verbum ſuum, ſed Deiparæ Virginis, Annæ Samuelis Matris, & Rechabitarum exemplo, quod promiſit implevit*. Tunc ſic, ſed Deipara verè votum emiſit Virginitatis perpetuæ, & Anna ſuæ caſtitatis votum Deo promiſit: Ergò Rechabitæ vitam ſuam cum voto Deo dicarunt: Ergò fuit verè votum, & in materia libera, & voluntaria, & non neceſſaria, & non ſolum in materia obedientiæ, & paupertatis, ſed etiam caſtitatis, quia ſecundum D. Gregorium Nanzianzenum loquentem de ſemetipſo ait: *Quæ carnis erant jamdiù decreveram reiicere, aliam viam quærebam commodiſſimam, & eam explicans animo, Elias occurrebat, Vates meus magnuſque Carmelus, novaque nutritio, & ſolitudo Præcurſoris illius, & vita Jonadab ſimplex liberorum*: Sed Elias, & Baptiſta fuerunt celibes in caſtitate: ergò ſimilitèr filii Jonadab, alias inutiliter diceret D. Gregorius: *Quæ carnis erant decreveram reiicere* (intuitu ſcilicet Eliæ, Præcurſoris; & Jonadab). Et Valentia pro Rechabitarum continentia hoc exhibet teſtimonium: *Inter omnes ſine controverſia conſtat Rechabitas peculiari vitæ ratione præter communem obſervantiam legis, divino cultui ſeipſos addixiſſe. Vinum enim non bibebant, à conjugio obſtinebant* (nota) *& Sanctam obedientiam ſuis Superioribus præſtabant*. Ergò ſi Rechabitæ erant Deo dicati ut veri Religioſi, non ſolum voverunt obedientiam, & paupertatem, ſed etiam caſtitatem, ſine controverſia; alias non verè filii Jonadab Eliſei diſcipuli dicerentur; nec pro Religioſis adducerentur in exemplum una ſimul cum Deipara à Concilio Senonenſi, & à D. Gregorio Nanzianzeno.

de Eccl. Hierar. cap. 6.

In defin. in. exa. ibid. nu. 18.

in Poemate de vita ſua.

2.2. *diſp.* 10. *q.* 4. *puncto* 1 §. 1.

LXIV. Veruntamen cum Rechabitarum familia ex texu Jeremiæ 35. liberos habuiſſe aliquando conſtet, & aliquos ex Eſſenis mixtos eſſe ex conjugatis, & continentibus, ut ex Philone, Joſepho, & Hieronymo tom. 3. ad primum lib. Paralipom. cap. 7. & Abulenſi ſup. 4. Reg. cap. 6. quæſt. 1. pro omnibus, & etiam pro filiis Prophetarum juxta illud: *Vna ex Vxoribus Prophetarum, ac filiorum ejus*, ſit ſolutio, ut omne dubium, & controverſia abſcindatur, & veritas Monachatus cum triplici voto ab omni injuria immunis exiſtat. Erant filii Prophetarum conjuncti conventualiter viventes per diverſa collegia, & cum iſtis erant aliqui filii Prophetarum non religioſi, qui erudiebantur ab eis in doctrina legis, & in rectitudine morum (ut nunc educantur in Collegiis tam Viri, quam fœminæ) horum curam habebat Eliſeus, eos educans, & in bonis moribus inſtruens, docenſque ea quæ ſunt neceſſaria pro vero Dei cultu. Cum qua ſolutione Jonadab, qui verè ſucceſſit Eliſeo, erat verè Religioſus, & omnes illi, qui ab Eliſeo, & Elia, ac Filiis Prophetarum originem ducebant, & erudiebantur in doctrina legis, & in rectitudine morum, veri Religioſi erant, ut Eliſeus. Alii verò Rechabitæ licet Religioſi dicerentur, non ita in rigore, ſed reſpectu vulgi, ſicuti modo in Religionibus militaribus Hiſpaniæ Freiles, Galliæ vero, Germaniæ, Italiæ, &c. Equites nuncupantur; Qui & ſi religioſi ſint reſpectu aliorum, non tamen in toto rigore, ſimpliciter, & abſolutè, dicuntur Religioſi, utì ſunt Monachi, quia in toto rigore ſimpliciter abſolutè, & ſtrictè Religioſi, & Monachi debent carere ex jure, & eſſentialiter Conjugio, ac Uxore. Pari diſcurſu eſt intelligendus textus Jeremiæ 35. ad litteram: *Obedivimus ergo vocem Jonadab*

Digitized by Google

nadab filii Rechab Patris noſtri &c. itaut non biberemus vinum nos, & mulieres noſtræ, filii, & filiæ noſtræ. Iſti enim Rechabitæ dicuntur Rechabitæ genere, ac ſtyrpe, & per carnalem generationem, de qua ſtyrpe in ſpecie fit mentio ſupra à Waldenſi; Alii verò ſunt verè, & propriè filii Eliſei, & illius Jonadab tempore Eliſei, & in Curru cum Jehu aſcẽdentis contra Achab ex juſſu Domini, & ex ordine Eliſei unxit Jehu in Regem, & illi intimavit hoc præceptum: *Percuties Domum Achab*. Et iſti filii dicuntur filii Rechab in diſciplina, & inſtituto; Et conſequẽtèr tàm Eſſeni, quàm Rechabitæ ex Sententia Sanctorum Patrum, veri Monachi appellantur. Et Concilium Senonenſe in exemplum illos adducit in libera, ac ſecura ſucceſſione Monachatus Eliæ, Eliſei, & filiorum Prophetarum ſine interruptione cum tribus votis. Undè ut dicta Sanctorum Patrum, & Concilii ſubſiſtant, Eſſenos, ac Rechabitas duplices eſſe ſtatuimus, alii ſecundum Carnem, alii ſecundum Spiritum, ut benè dicit Serarius ſupracitatus. Attamen in confirmationem noſtræ ſententiæ, explicamus noſtram mentem, ut differentia clarè recognoſcatur inter utroſque Rechabitas filios Jonadab; primi ante Samuelem, Eliam, & Eliſeum; ſecundi à Jonadab viro juſto, & Eliſei diſcipulo. Explicamus (inquam) noſtram mentem in hac forma, dicentes, quod Rechabitæ, de quibus fit mentio à D. Hjeronymo, & nos ut ſucceſſores Eliæ, ac Eliſei recognoſcimus cum eodem, dicuntur à Rechab, ideſt à Curru Iſrael, ſeu ab Elia, & Eliſeo, & Jonadab ejus diſcipulo, & omnes iſtius ſodalitatis Alumni, Enoſsæi, Sinæi, Cenezæi, Nazaræi, & filii Prophetarum nuncupati fuerunt, & deinceps Rechabitæ ſunt appellati, quod idem eſt, ac ſi Eliæitæ, & Eliſeitæ dicerentur, in quo quidem ſenſu debent intelligi D. Gregorius Nanzianzenus, Valentia, Serarius, Bolduch, & alii à nobis ſupra relati; ut abſtineamus à multiplici abſurditate cum hac ethimologia tàm clarè, & rectè elucidata. Remanent igitur relati Rechabitæ ſub lege Moyſi proficiſcentes Religioſi, & Patres facti ſunt, & Patroni Religionis perfectorũ futuræ temporibus legis Chriſti, quod ſolum intendebat Hieronymus cum diceret: *De his ſunt & illi filii Rechab*: ideſt de noſtris Principibus, & modernæ Religionis noſtræ Fundatoribus approbatis, ut refert noſter Waldenſis ſupracitatus. Alii verò remanebant Religioſi modo ſupra explicato in Equitibus militaribus, vel tertiarii in illo Religionis Ordine, ab Eliſeo in legis doctrina, morumq; integritate inſtructi, eò modo quo in Carmelo, cœteriſq; Collegiis omnes Fideles accedentes in diebus feſtivis, ut in Chalendis, & Sabbatis, inſtruebantur. Et ſic Eſſeni, & Rechabitæ in idem coincidunt, & ſunt, ut ſæpius diximus, ſine aliqua controverſia, juxtà relatas D. Gregorii Nanzianzeni, D. Hjeronymi, Valentiæ, Bolduch, Serarii, & aliorum ſententias.

LXV. Hanc Sanctorum Prophetarum peculiarem Religionem, ſeu Monachatum amplexati ſunt Eſseni ſive Eſſei, ſive Aſſidæi, quod idem ſonãt, & qui pariter ab aliquibus dicuntur, quod idem ſint cũ Rechabitis, non per temporalem generationem à Rechab, ſed per ſpiritualem ab Elia, & Eliſeo ex relato nomine *Recheb*, quod idem ſignificat, ac *Currus Iſrael* in Hebraica lingua, deſcendentibus, qui Eſsæi, ſeu Eſſeni dicti ſunt à Contemplatione, cum idem ſit Eſſæus, ac Contemplator, & ſic etiam dicti à Sanctitate, ut teſtatur Divus Chriſoſtomus, inquiens: *Eſſeni, qui etiam Hoſii, ideſt Sancti, dicuntur, hoc enim vult nomen Eſſenorum à vitę honeſtate*. Et antiquiſſimus Philo in ejus libro, cujus titulus eſt: *Quod liber ſit probus*, non obſcurè declarat *Eſſeos Sanctos ſignificare, & à Sanctitate tale nomen accepiſſe*. Ab iſta interpretatione neutiquã differunt Genebrardus inter antiquiſſimos reputatus lib. 1. Chronographię ad annum Mundi 3272. & Serarius in Trihær. lib. 3. cap. 2. aſſerentes à vitæ pietate, ſeù benignitate nuncupatos eſſe Eſſenos. Nec deſunt, qui cenſent Eſſenos ſic nuncupari quaſi Eliſenos, ideſt Eliſei monaſtici inſti-

tuti

Digitized by Google

tuti Sectatores: Qualiter autem hæc nominis Ethimologia cohæreat rei veritati, quod ab Elia, & Eliſeo, filiiſq; Prophetarum originem habuerint deducitur ex eo, quod Eſſeni ſucceſſores fuerint Hjericontinæ habitationis ab Eliſeo extructæ; Quocirca mirum non eſt, quod ab eo denominationem habuerint. Et Noſter Lezzana Eſſenorum nomina ſub lege veteri ità recenſet: *Prophetæ, Filii Prophetarum, Rechabitę, Eſſeni, Aſſidei, & quandoque Scribę, & Nazarei*. Primum autem, & ſollemniſſimum eorum nomen, etiam in lege evangelica eſt *Eſſenorum, Eſſeorum*, vel *Jeſſæorum*. Hoc enim nomine illos communiter Auctores appellant. Deindè iſtas eorundem tempore legis evangelicæ affert appellationes, nempè *Therapeutæ*, ut eos nuncupant Philo lib. de Vita Contemplativa, ſeu de ſupplicum Virtutibus. Euſebius, Nicephorus, & alii. Hoc enim nomen idem denotat, ac *Cultores, ſeu Curatores*, à colendo Deo, e curandis moribus, & animabus. Hanc vocis rationem tradit ſupracitatus Euſebius, inquiens: *Quod tamquam periti Medici affectus pravos curare; ideoque purum ſervitium offerre velint, ac ſtudeant*. Sic etiam Sanctus Areopagità aſſerit ab aliis nũcupari *Therapeutas*, & ab aliis *Monachos* ex puro Dei miniſterio; inquit enim: *Hac famulatu, & non partita, ſed ſingulari vita tanquam vivificante eos inſeparabilitèr Sacris contemplationibus in Deiformem unitatem, & amicam Deo conſummationem* vixiſſe. Itidem à Philone appellantur *Ichetæ*, ideſt ſupplices, à præcipuo munere, quod habent orandi, & Deum laudandi. Aliis etiam nominibus appellari cenſentur, nimirum *Aſcetæ, Buculini*, ac communiſſimo vocabulo *Monachi*, ſepè etiam *Carmelitę*, & itidem *Duces*, & Anteſegnani Monachorum Novæ Legis; pariter, Eremitæ, Anachoretæ & tandem *Eunuchi, Nazarei*, & aliquando etiam *Eliotæ*. Et ſi ſcire quis cupit à quibus, & ubi iſtis nominibus nuncupentur, videre non dedignetur Lezzanam loco ſupracitato.

tom. 2. ann. in appar. c. 4.

lib. 2. hiſtor. c. 16.

LXVI. De his loquitur ſcriptura Machabeorum: *Congregata eſt ad eos* (ſcilicet Mathatiam, & ſocios) *Synagoga Aſſideorũ*. Et rurſus: *Convenerunt ad Alcimum, & Bacchidem Congregatio Scribarum, & primi Aſſidai, &c.* Item ſecundo Machabeorum dicitur: *Ipſi qui dicuntur Aſſidai Judæorum, quibus præeſt Judas*. Eſſenos, Eſſæos, & Aſſidæos, necnon Rechabitas, ac filios Prophetarum ejuſdem fuiſſe inſtituti, immò partim eoſdẽ diverſis nominibus ſignatos, jam ſupra vidimus, & ulterius adſtruũt Rupertus, inquiens: *Monachi filii Prophetarum, & poſt aliis nominibus Aſſidai, ſivè Eſſeni dicebantur*. Idipſum Genebrardus, & Nicolaus Serarius, inquiens iſte: *Ut eoſdem tamen Eſſæos, & Aſſideos eſſe tanto ſiet firmatius, adiicio (licet nihil neceſſe ſit) ipſam nominum originem, & ſignificationem, quę, ut ex ſuperioribus liquet, in utriſque prorſus eadẽ eſt*. Et in Machabeorum armonia titulo de Aſſidæis hæc quoque ſcribit ad propoſitum eorum nomenclaturæ: *Acceperunt nomen Aſſidęi ab hebrea voce Chaſid, vel Chaſed, ideſt miſericors, Sanctus, & pius*. Et infra: *Apparet fuiſſe homines iſtos à cætero Judeorum Populo inſtitutis, & nomine diſtinctos; Societate vero inter ſe Sancta, & Religioſa devinctos*.

cap. 2. nu. 42.
cap. 7. nu. 12.

lib. 4. Regu. S. Benedicti ca. 12.

locis ſupracitatis.

LXVII. Tria fuiſſe horũ Eſſenorum, ſeu Aſſideorum, aut Eſſeorum genera affirmat Joſephus Judæus natione Jeroſolimitanus, Religione Sacerdos, Rector, temporumque Scriptor inſignis, qui, & ſi Judæus permanſerit, genus tamen Chriſtianorum ſemper laudavit, ut ait Trithemius, his verbis: *Tria ſunt* (inquit Joſephus) *apud Iudæos genera Philoſophia: horum unum Phariſei profitentur, alterum Saducęi, tertium vero, quod etiam probabilius habetur, Eſſeni colunt, gente quidem Judæi; verum inter ſe mutuo amore conjunctiſſimi, & qui preter cæteros voluptates quidem quaſi maleficia vitarent: Continentiam vero ſervare, neque cupiditati ſuccũbere, virtutem maximam ducerent. Itaque nuptias quidem faſtidiunt, alienos verò filios, dum adhuc molles ſunt, eruditioni traditos pro Cognatis habentes, ſuis moribus diligenter inſtruunt*. Ex quibus verbis conſtat

lib. 2. de bello judaico ca. 7.

Digitized by Google

ſtat Eſſenos, de quibus loquimur, Celibem, Caſtamque vitam ad ſuorũ Principum, & Magiſtrorum Eliæ, & Eliſei, filiorumque Prophetarũ imitationem duxiſſe. Eſſeni igitur, ut patet ex Joſepho, Orthodoxæ Fidei Judæi erant exceptis nonnullis Samaritanis, ut teſtatur D. Hjeronymus ſui temporis Cœnobitas deſcribens ſequentibus verbis: *Talis* (inquit) *Philo platonici ſermonis imitator: talis Joſephus Grecus Livius in ſecũda Judaicę captivitatis hiſtoria refert*: Eoſdem faciens utriuſq; Auctoris Eſſæos. Sed ex lib. 2. contra Jovinianum equè eos confundit, aſſerens: *Joſephus in ſecunda Judaica Captivitatis hiſtoria, & in octavodecimo antiquitatis libro, & contra Appionem duobus voluminibus tria ſcribit dogmata Judeorum, Phariſeos, Saduceos, & Eſſenos, quorum noviſſimos miris effert laudibus, quod et ab uxoribus, et vino, et carnibus ſemper abſtinerent, et quotidianum jejunium verterint in naturam*. De his igitur Eſſenis prout contradiſtinctis à Phariſeis, & Saduceis loquuntur Sancti Patres, quotieſcumque de illis Sermonem habent, eoſq; commemorant inter filios Prophetarum.

lib. ad Euſtoch. de ſervanda Virgin.

LXVIII. Hujuſmodi Eſſenos monaſtici Eliæ, & Eliſei inſtituti antiquos fuiſſe Sectatores, ac proindè Prophetarum filios appellatos affirmat Adrianus Adrianius, ſcribens: *Judæorum meliores Eliæ, atque Eliſei diſcipuli Eſſeni, &c. Qui quidem diverſis in locis temporum decurſu admodum multiplicati, uſque ad Chriſti Domini tempora, in prima ſua inſtitutione, vitæ ſpiritualis amplexu, multis annorum centuriis conſtantiſſimè perſtiterunt*. Id pariter affirmat Joſephus Flavius; agens enim de Jonatha, & Machabeis aſſerit eodem tempore fuiſſe Eſſenos, dicens: *A multis retro ſeculis, & multis jam ſæculis triti*. Quod vero iſti Eſſeni monachi ſint deſcendentes juxta Joſephum, & Philonem à magno Propheta Elia, Prophetarumque filiis, nec non à Rechabitis, benè probatur in hyſtoria prophetica, in qua differentia, & deſcendentia à Cinæis ſufficienter demonſtratur, & à regularum profeſſione, à fide, ac ſingularis vitæ cum Prophetarum filiis convenientia, & in ea Eſſenorum Theoricorum, & practicorum differentia ſufficienter demonſtratur ex Joſepho, & ex Philone lib. *Quod omnis Probus ſit liber* de Eſſenis Alexandrinis theoricis, & in lib. *de Vita ſupplicum, ſeu de vita contemplativa*, ut benè notat Euſebius dicens, eum ſcripſiſſe unum volumen egregium Religioſorum S. Marci. Et nudis verbis ipſius teſtimonium D. Hieronymus (qui in ſuo libro de illuſtribus viris eum inter Eccleſiæ Doctores commemorat) refert, dicens: *Philo Judæus, natione Alexandrinus, de genere Sacerdotum, idcirco à nobis inter Scriptores Eccleſiaſticos ponitur, quia librum de prima Marci Evangeliſtæ apud Alexandriam Scribens Eccleſia, in noſtrorũ lande verſatus eſt, non ſolum eos ibi, ſed in multis quoque Provincils eſſe commemorans, & habitacula eorum dicens Monaſteria; & ab Euſebio eſt autem in ſingulis locis conſacrata Orationi domus, quæ appellatur Semmon vel Monaſterium, Semmon autem in noſtra lingua ſignificare poteſt honeſtorum Conventiculum, in quo Sacerdotes honeſtæ, & caſtæ vita myſteria celebrabant*. Et Abbas Trithemius libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis ſub initio aſſerens, quæ dicit Philo in libro: *Quod liber ſit quiſquis virtuti ſtudet*, ſive *quod omnis Probus ſit liber*, ſequentia adducit Philonis verba: *Nec Paleſtinæ, Syriæque deeſt hoc genus hominum, virtutem ſectantium, cujus Religionis non parvam partem populoſa Judæorum Gens incolit. In his quidam nominantur Eſſæi circiter quattuor millia, à Sanctitate dicti; quia ſumma Religione Deo ſerviunt; non mactando victimas, ſed ſuaſmetipſorum mentes componendo ad Sanctimoniam. Hi vicatim habitant, Urbes fugiunt propter familiaria Civibus earum vitia*. Et loquendo de eorum paupertate, & vita communi abſque proprio ſubjungit: *Penes ſoli hominum degunt ſine prædiis, ſine pecuniis,* &

lib. de origin. Monaſt. c. 2.

lib. 18. antitiq. cap. 8.

lib. 2. cap. 11. & lib. 3. cap. 14.

lib. 3. Antiquit. ca. 9. & lib. 18. cap. 7.

De bello Judaic. cap. 7.

lib. 2. de Ecc. hyſt. c. 17. 18. & 19.

Digitized by Google

& propter vitæ inſtitutum divites habentur magis, quam ob eorum copiam, frugalitatem, non vana exiſtimatione ducentes eſſe quæſtum maximum. Indè recenſendo præcipuas eorum virtutes addit: *Pietatis erga Deum argumenta præſeferunt plurima, caſtitatem in tota vita perpetuam, à jurejurando mendacioque abſtinentia, & quod ad Deum auctorem boni omnia, malum verò nullum referunt. Virtutem quoque ſibi eſſe cordi ſatis declarant, dum pecunias, honores, voluptateſque contemnunt fortiter, vivuntque continenter in laboribus complexi, frugalitatem, ſimplicitatem, facilitatem, modeſtiam, legum reverentiam, conſtantiam, & id genus, &c. Charitatem porrò eorum erga homines indicat benevolentia, &c.* & indè: *Veſtitus, & menſa communis ſumitur, &c. Extant etiam apud illos commentaria veterum quorundam hominum, qui illorum ſectæ, & Religionis auctores, aut duces fuerunt, quique quamplurima monumenta de ea ſpecie, & ratione doctrinæ, quę in allegoriis cernitur poſt ſe reliquerunt. Quibus quidem tamquam exemplaribus utentes, & profeſſionis illius, & inſtituti modum ſedulò imitantur.*

LXIX. Sed quia aliquis minus benevolus monaſtico Eliæ inſtituto, ejuſq; ſucceſſioni in Prophetarũ filios, Rechabitas, & Eſſenos minimè arridens, hæc ultima Philonis verba explicare poſſet aſſerendo, per illa veterum commentaria, quæ ait Philo apud eos ſervata eſſe, intelligere ſcripta Apoſtolorum Evangelia, & quaſdam veterum Prophetarum expoſitiones divina adaperientes myſteria, quales quidem tum in Epiſtola D. Pauli ad Hebræos, tum aliæ quamplures ejuſdem Apoſtoli complectuntur; ideo reſpondere non omittimus hoc aſſertum eſſe evidenter contra ſententiam Philonis, qui Eſſenorum Religionis, & inſtituti Duces, & Auctores homines quoſdam veteres appellat: Nam hæc loquela opponitur cum ætate Philonis Apoſtolorum, & Evangeliſtarum, quia noſter Waldenſis tom. 1. doctr. Fid. lib. 3. art. 1. cap. 7. & Euſebius loco citato cap. 15. referunt, Philonem tempore Claudii Imperatoris Romæ fuiſſe, & Sanctum Petrum Apoſtolum vidiſſe, eumque fuiſſe allocutum, qui, & magnus poſtmodum factus eſt Eccleſiæ Doctor, & ſcripſit vigintiquinque Volumina, ut teſtatur relatus Euſebius. Vndè cum Philo vixerit eadem ætate, qua vivebant Apoſtoli, & Evangeliſtæ, neutiquam pro monumentis, ſeu commentariis veterum quorundam hominum, qui Eſſenorum ſectæ, & Religionis Auctores, & Duces fuerunt, potuit intelligere manuſcripta Apoſtolorum Evangelia, vel aliquas expoſitiones in Epiſtolam D. Pauli ad Hebræos, aut alias conſimiles. Ne igitur ignotum ſit alicui Philonem per commentaria veterum quorundam hominum, qui Eſſenorum ſectæ, & Religionis Auctores, & Duces fuere, ut illis tamquam exemplaribus uterentur, alios ab Apoſtolis, & Evangeliſtis, eorumque manuſcriptis intellexiſſe, ſciant Eſſenorum Inſtituti Duces, & Auctores fuiſſe Eliam, & Eliſeum, & Prophetarum Filios, ut bene ſupra dictum eſt de Religioſis, & Anacoretis à Sozomeno relatis in ſua hiſtoria affirmante Eliam habuiſſe in exemplum, his verbis: *Optimam hanc philoſophiam orſus quidem eſt, ſicut quidam dicunt Elias Propheta, & Joannes Baptiſta*. Et Joſephus de bello judaico loquens de Cæremoniis, & ritibus Eſſenorum (ut à Philone) pro inſtitutione Novitiorum hæc ſcribit: *Per annum integrum extrinſecus commorati, cuique eundem victus ordinem tribuunt, cumque dignus apparuerit, tunc demum in conſortio admittitur, priùs vero quam incipiat communem habere cibum magnis execrationibus abjurat ſe potiſſimum colere Deum, deinceps quoque erga homines ſervare juſtitiam*. Et poſt aliqua ſubdit: *His quidem execrationibus explorant, & quaſi præmuniunt accedentes*. Deindè pergit: *Deprehenſis verò in peccatis à ſua*

3. par. cap. 12. cap. 7.

G Con-

Congregatione expellant, & qui taliter fuerit condemnatus, illis quidem Sacramentis, ac ritibus obligatus, neque capere ab illis oblatum Cibum poteſt. Nota ly Sacramentis obligatus, quia Sacramentum idem eſt, ac juramentum, & votum, ut benè docet Sanchez, & quamplurimi alii. Suarez verò tom. 3. de Relig: art. 6. cap. 1. nu. 3. ait: *Ex quo enim tempore incepit Religioſus ſtatus, incepit etiam profeſſio, cujus antiquiſſima mentio invenitur in Sanctis Patribus, interdum ſub nomine conſecrationis, aut benedictionis, interdum nomine juramenti, aut voti, & ſæpè etiam profeſſionis.* Et Solinus hæc confirmat de Eſſenis inquiens: *Nullus admittitur, niſi qui Caſtitatis fidem, & innocentiæ meritum proſequatur.* Et ly Caſtitatis fides idem eſt, ac promiſſio caſtitatis; in quo ſenſu explicatur illud Pauli loquendo de Saphira, & Anania, quia primam fidem irritam fecerunt, ideſt paupertatis profeſſionem violaverunt, ut ſupra diximus. Et Bellarminus ex multis Conciliis, & Patribus explicat nomen Fidei idem ſignificare, *ac promiſſio.* Et apud Juriſtas fides matrimonii idem eſt, ac promiſſio matrimonii, ut pluribus probat Sanchez. Et in theſauro linguæ latinæ *Fides promiſſionem ſignificat.* Et pro Eſſenis Cedrenus antiquus, & gravis auctor, inquit: *Jurant huic divinæ Religioni* (nota ly divinæ, ut Eſſenos bonos à ſuſpectis ſecernas) *unicè uſque ad Sanguinē ſe piè, & reverenter operam navaturos.* Ex quibus omnibus conſtat, quod Eſſenorum Sacramenta, ritus, fides, explicant vota Religioſa, & non tantum nudè virtutes.

to.3. ſumma cap. 9. nu. 10. & cap. 13. n. 1.

cap. 36.

1. ad Timoth. cap. 5. nu. 12.

lib. 2. de Monachis c. 24.

lib. 7. de Matrim. diſput. 79. nu. 29.

LXX. Ex hucuſque dictis Eſſenos ſucceſſores Spiritus, & monaſtici Inſtituti magni Prophetæ Eliæ, Eliſei, & Filiorum Prophetarum, Deo ſeipſos in lege antiqua, & Moſayca, per Obedientiam, Paupertatem, & Caſtitatem dicaſſe in Chriſto, per Chriſtum, & ſub Chriſto, clarè patet: & præter rationes ſupraadductas circa ſucceſſionem Rechabitarum, & Eſſenorum, Divus Nilus in aſcetico ſcribit: *Judæi qui talem vivendi rationem inſtituerunt, à Jonadab ſunt oriundi, & omnes qui ad ſe, ut eodem modo vivant, accedunt, ad eadem ducunt inſtituta; in tabernaculis perpetuis habitant; à vino, atque omnibus delicatis abſtinent, victu tenui contenti corpus affligunt; magnam igitur morum curam gerūt, & contemplationi vacant aſſiduè, ex quo Eſſæi appellantur.* Et Suidas aſſerit: *Eſſæi, Judæi, Aſcetæ majores, Jonadabi filii Rechab illius juſti inter ſeſe amantes, voluptatem, ut vitium adverſantur; Temperantiā verò, & Continentiam, & ab animi perturbationibus vacuitatem virtute putant: Conjugium apud ipſos deſpicitur, alienos filios adhuc juvenes aſſumunt, & docent, & ſuis moribus informant, omnem turpitudinem abiiciunt, & cæteras omnes virtutes exercent: In contemplatione plerumque perſeverant, undè Eſſæi vocantur hoc eſt contemplatores.* Hoc idem affirmant Salianus ſub anno mundi 3609. nu. 3. Cornelius in cap. 10. Numer. nu. 24. §. denique. Serarius in miner. lib. 5. cap. 1. & 3. & alibi ut ſupra aſſerentes omnes veteres Scriptores Eccleſiaſticos, ità dixiſſe; Nam cum Judæi redirent ex captivitate Babilonica, cum Zorobabel, & Propheta Egeo, & Zacharia inito Concilio ex vetuſtioribus Rechabitis Collegium fecere, ſeu Cōgregationē Aſſideorum, ſeu Eſſenorum, ut probat Franciſcus à S. Maria in hiſtoria prophetica to. 1. lib. 2. cap. 20. nu. 8. & Magiſter Lezzana anno mundi 3545. nu. 19. 20. & 38. Et Serarius qui ſupra, circa Ethimologiam nominis Eſſenorum duodecim interpretationes affert, ex quibus duas tantum referimus. Eſſeni à Græco *Hoſius*, ideſt *Sanctus*, & corrupto vocabulo *Aſſæus*, & *Eſſæus*. Alii *Eſſæi*, ideſt *Eliſei, ſeu Eliſæni* ab Eliſeo ſic dicti. Item Enrichez to. 2. in Summa lib. 12. cap. 5. Gloſſa 20. Thomas à Jeſu de variis Regulis Carmelitarum cap. 1. §. *pro quo recolendum.* Joannes Carthagena tom. 4. homil. lib. 17. hom. 2. obiect. 2. Beccanus lib. 1. analog. novi, & veteris Teſtamenti cap. 11. & 4.

initio Bibliot. Colon. tom. 5. par. 2.

pag. 1049.

lib. 3. Tribæreſum. cap. 1.

Digitized by Google

& 4. nu. 20. Franciſcus Lucas ad primum Machabeorum cap. 2. num. 4. & 2. & alii quamplurimi. Et tandem Villalprandus loquens de Eſſenis ait: *Eoſdem qui olim à primo familiæ Parente Rechabitæ dicebantur, poſtmodum propter vitæ probitatem, integerrimoſq; mores Eſſæos, vel Eſſenos, hoc eſt Sanctos dictos fuiſſe.*

in appar. Urbis, & templi lib. 3. c. 14.

LXXI. Probata igitur cum Sanctis Patribus, & antiquis Scriptoribus Eſſenorum à Rechabitis ſucceſſione, probãdum remanet tria eſſentialia pro ſtatu monaſtico vota Deo dicaſſe. Et primo probamus votum Caſtitatis ex Philone libro, quod omnis probus ſit liber: *Caſtitatem in tota vita perpetuam ſervabant*. Hoc eſt vinculo voti legati, quia ſine illo cum ſit materia libera non neceſſaria, facile fluctuabit, ut docet Suarez. Itẽ ex Joſepho: *Uxores non ducunt*, & iſte qui omnes Eſſenorum Sectas in vita ſua expertus eſt, et de Semetipſo teſtimonium perhibet in ſui ipſius vita, quam ipſemet deſcribit, & ad quam remittimus benevolum Lectorẽ, ut Chriſtianam perfectorum Eſſenorum recognoſcat philoſophiam à Phariſeis, & Saduceis diſtinctam, in quo etiam de duplici ejus acceſſu ad Almam Urbem fit memoria, quo motivo ſubtiliter deſcribit Eſſenorum inſtitutum maximè in antiqua ejuſdem libri editione, diverſaſque eorum Sectas, benè explicat, & Eſenorum differentiam à Phariſeis, & Saduceis, quo ad mores, vitam, & cultum refert, nè benevolus Lector faciliter, dum ſermo fit de Eſſenis, aſſenſum præbeat, ſi aliquibus operationibus nõ honeſtis, immò à fide alienis, vanis moribus, & ſuperſtitionibus, eos ſignatos eſſe in aliquibus ſcriptorum aſſertis invenerit, ut fuere Saducei, & Phariſei, quos Chriſtus increpavit; loquimur enim de Eſſenis immunibus à ſupradictis noxis, purè, & Sanctè viventibus, religioſamque vitam ducentibus, quos Chriſtus laudavit utpotè omni macula mundatos, & immunes, & ſi quos cum uxoribus quis inveniet, & ſine continentia, recognoſcat in litteris peritus an ſint Phariſei, vel Saducei, an verò ex genere, & ſtyrpe Judæorum, ſeu Cinæorum, quos Philo Doctor antiquus, & Solinus tamquam mirabiles, integerrimos cæteriſque virtutibus præditos concelebrant; & Joſeph loco ſupracitato de illis aſſerit, quod Uxores non ducebant. Hinc Sotus loquens de Eſſenorum voto, & Caſtitate ſcribit: *Veritas ex multis Prophetarum exemplis comprobatur; Iſajas nanque, Eliſeus, & Jeremias Caſtitatem obſervarunt*. Et D. Hieronymus ait: *Iſaias, Eliſeus, Jeremias, quamplureſque alii à re uxoria ſe prorſus abdicarunt*. Et Solinus ex Plinio inquit: *Ab Occidente littore Eſſeni fugitant, Gens ſola, & in toto Orbe præter cætera mira, ſine ulla femina omni Venere abdicati, ſine pecunia, ſocia palmarum: ità per ſæculorum millia (incredibilè dictu) gens æterna eſt, in quo nemo naſcitur*. Et Porphirius loquens de Eſſenis hæc habet: *A voluptatibus abhorrent tamquam à ſcelere, continentiam, & cupiditatum victoriam virtutis loco adducunt*. Et Volateranus ſcribit: *Omnes primum Veneris expertes, quippe qui remotis à feminis degunt*. Undè Baronius loquens de Virginitatis voto ſcribit: *Magni certè pretii fuiſſe apud eos Virginitatem, jam ſuperiùs cum egimus de Phariſeis ſatis diximus. Laudantur in hac parte apud eos Eſſeni, qui ducentes vitam ſine uxore perpetuæ ſe* (nota pro voto) *continentiæ mancipaſſe*. Nam hoc verbum *mancipare*, ut benè notat Caniſius, idem dicit, ac *vovere*. Quocirca Baronius loco citato nu. 60. loquens de Voto, quo ſe ad obſervandam Caſtitatem ligarunt in lege ſcripta in Eliæ inſtituto Prophetarum filii, aſſerit: *Quid ni præſtaret hoc* (ſcilicet Caſtitatis votum) *juſtius quod Phariſei ad præſcriptum tempus, & Eeſſeni in perpetuum ea ætate obſervabant?* Sentit igitur hic Sapientiſſimus Purpuratus nedum Caſtitatem obſervaſſe, ſed voviſſe. Undè ſi aliqui Eſſeni, ut ſupra diximus, propter generis humani propagationem, ſupernique Numinis cultum uxores ducebant, loquitur Joſephus de

in 4. dist. 30. q. 1. art. 1. de Caſtit. & Voto Eſſenor.
lib. 1. Con. Jovin.
li. 5. hiſt. nat. cap. 17.
in 4. lib. de rerum animat. abſtinc. apud Euſeb.
lib. 10. in Celeſyr. & Paleſt.
to. 1. in appar. n. 58.
lib. 1. de Deipara cap. 14.

aliis

aliis Eſſenis ; non de illis de quibus nos loquimur cum Sanctis Patribus. Et Rubertus Arboricenſis ex relato Joſepho aliiſque probatis auctoribus aſſerit : *Eſſenorum familiam inſignis fuiſſe continentiæ , qualis eſt , qui Ordini monaſtico congruit. Floruerunt autem hujuſmodi inſtituta ante Chriſtum natum annis pluſquam trecentis*. Hoc idem Vaſquez infra referendus perlepidè attingit, aliique quamplurimi tàm moderni , quam antiqui Scriptores eximii. Undè hæc ſufficiant pro Eſſenorum Caſtitatis voto.

tom.2.de tuē do Sacro Cælibatu fo. nobis 74.

LXXII. Deveniendo ad eorundem Paupertatis votum, ſcribit relatus Joſephus: *Quod divitiarum contemptores ſunt , rerumque apud eos communicatio admirationi habetur ; Neque invenies alterum alteri opulentiam præſtare ; legemque ſibi dixerunt , ut qui diſciplinam ſuam ſectari vellent , bona contubernio publicarent* (nota ly Contubernio ſæpè ſæpiùs repetito , ut ſupra , à Sanctis Patribus pro Elia , & Eliſeo) *ita enim fore ne vel paupertatis humilitas , vel divitiarum dignitas appareret , ſed permixtis facultatibus velnti inter fratres unum eſſet omnium patrimoniū.* Et lib. 18. antiquit c. 2. ait : *Inter illos nihil pauperius deſideratur*. Hoc adſtruunt Philo loco citato , & lib. 2. de vita contemplativa. Philiaſtrus in Cathalogo. Niceti Cuniate lib. 1. Theſaur. Orthodoxę fidei cap. 36. Abulenſis quæſt. 113. in c. 3. Mat. Arboricenſis lib. 2. de Sacro Celibatu. Et Serarius in Trihæreſio lib. 3. cap. 4. nu. 10. 11. 13. & 33. aliique quamplurimi. Vndè pariter hæc ſufficiant pro Paupertatis Voto.

lib. 2. de bell. udaic. ca. 7.

LXXIII. Procedendo igitur etiam ad Eſsenorum Obedientiæ Votum , relatus Joſephus affirmat: *Nihil ſine præcepto faciunt Curatoris*. Item : *Veneratio quoque apud eos magna legislatoris eſt*. Item: *Senibus quoque obedire , & plurium quoque decreto probabile arbitrantur officio*. Hoc idem Philo loco ſupracitato , loquens de Eſſenis adſtruit ſequentibus verbis: *Senioribus juniores debitam curam , honorem , & reverentiā exhibent tanquam germani filii*. Tandem , quia longū eſſet omnes Scriptorum , & Sanctorum Patrum auctoritates exactam Eſſenorum obedientiā atteſtantes afferre , omnes auctores ſuprarelatos pro Paupertatis , & Caſtitatis Voto poterit quis pro ſuo libito videre , ex quibus clarè colliget in Eſſenis exactum extitiſſe obedientiæ votum . Tum ſic ; ſed hæc tria obſervare , & illa Ritibus , & Sacramentis ſupradictis vovere , clarè explicatur , & oſtenditur in Eſſenorum Religione quo ad eſſentiam , & ſubſtātiam verùm extitiſſe Monachatus ſtatum : Ergo , ut veri Eliæ monachatus religioſique inſtituti ſucceſſores , & hæredes ſua vota emittebant ; & ſi irritam aliquis faciebat fidem , pęnas illi taxatas ſubire conabantur; jurabant enim uſque ad ſanguinis effuſionē ſe huic divinæ religioni piè operam navaturos eſſe.

de bell. jud. lib. 2.

LXXIV. Hæc omnia hùcuſque de Eſsenorum votis à nobis cum Sanctis Patribus , eximiiſq; Scriptoribus adducta confirmantur cum Sapientiſſimo Vaſquez ; qui verè relatæ ſtuduit materiæ ; Tomo enim primo in 3. partem diſp. 124. cap. 3. cujus titulus eſt *apud Judæos virginitas in magno honore habita eſt*, nu. 41. ait: *Ex ipſis verò Judæis , & Gentilibus habemus hujus rei pręclarum teſtimonium. Nam Joſephus lib. 2. de bell. judic. cap. 7. & lib. 18. antiquit. judaic. cap. 2. Plinius lib. 5. hiſtor. natur. cap. 17. & Solinus cap. 36. memoriæ prodiderunt , Eſſenos abſque fœminis , atque omni venere abdicata in communi ſocietate , non quidem cū ignorantia , & infamia , aut tanquam legis transgreſſores , ſed ſumma cū laude vixiſſe ; Cum in Evangelio multa contra Phariſeos , qui erant alterius ſectæ ; contra Eſſenos tamen nihil ſcriptum inveniamus. Et quamvis Cardinalis Baronius tom. 1. annal. ſub anno 64. Chriſti non longè à principio contra Scriptores Gentiles contendat , hanc Eſſenorum Sectam non fuiſſe antiquiſſimam apud Judeos , & forſan ſi poſſet , hoc genus vi-*

vendi

Digitized by Google

vendi ſolis Chriſtianis poſt Chriſtum reſervaret; *tamen auctoritate Joſephi convictus, non potuit negare eos ante Chriſtũ vixiſſe, & ita in apparatu annalium horum exemplo Probat Virginitatem, & Caſtitatem tempore legis antiquæ non vetitam fuiſſe*; *ſed in magno honore*. Ecce quomodo ex Eminentiſſimo Baronio conſtat, quod tempore Moyſis non erat prohibitum Caſtitatis votum. Ex Vaſquez igitur liquido patet ſtatum Elianum permanſiſſe uſque ad Eſſenos cum tribus votis Obedientiæ ſcilicet, Paupertatis, & Caſtitatis, quoad ſubſtantiam, & Eſſentiam, præciſis ſollemnitate, & poteſtate Clavium. Attamen in ratione ſtatus Religioſi veri, & proprii juxtà ſenſum, quo Sancti Patres docent in ſtatu legis veteris fuiſſe veros Monachos. Quia hoc nomen *Status Religioſus*, ſicut, & *Monachus*, quamvis apud Witcleff, ſit nomen novum, & illud non recognoſcat, niſi poſt tria ſæcula Chriſti, tamen juxta Auguſtinum non eſt nomen novum hoc nomen, *Monachus*, quia ut benè explicat contra Donatiſtas ſciſcitantes ab eo, ubi nomen *Monachi* ſit repertum in Scriptura, ſupra pſal. 132. ſic reſpondet: *Oſtendant Nobis, ubi ſcriptum eſt nomen Agoniſticorum. Sic eos, inquiunt, appellamus propter agonem*. Et infra: *Tamen quia certant dicitis Agoſtiniſticos, & inveniſtis undè appellatis, quia dicit Apoſtolus, bonum certamen certavi. Quare* 1. *ad timot*. 6. *ergo, & nos non appellamus Monachos, cum dicat Pſalmus, Ecce quam* *Pſal*. 132. *bonum, & quam jucundũ habitare fratres in unum? Monos enim unus dicitur, & non unus quomodocumque, nam, & in Turba unus eſt, ſed unus cum multis poteſt dici. Monos non poteſt niſi unus ſolus, monos enim unus ſolus eſt. Qui ergo ſic vivunt in unũ ut unum hominem faciant, ut ſit illis verè, quod ſcriptum eſt, una Anima, & unum Cor; multa Corpora, ſed non multæ Animæ; multa corpora, ſed non multa corda; rectè dicitur Monos, ideſt unus ſolus*. Non ſolitarius, ſed vita Monaſtica, quæ eſt una in ſtatu, & de ipſa prædicatur in corpore, in corde, & anima Monos, ideſt ſolus. *Repatriet ergo* (inquit noſter Waldenſis) *illud inſidioſum motivum, non tunc vocati ſunt Religioſi; Ergo non erãt. Firmatur enim Religio veritate rei, deficiente quandoque vocabulo competente, qua ſatis contra improbos defenſatur*. Sed quia confuſo Eccleſiæ inimico qualis eſt Witcleff novam addere confuſionem Chriſtianæ Charitatis partes non eſſe non dubitamus, adeamus D. Hjeronymum eos Monachos audacter appellantem: *Filii* (inquit) *Prophetarum, quos Monachos legimus in veteri teſtamento, ædificabãt ſibi Caſulas juxta fluenta Jordanis, & Turbis Urbium derelictis polenta, & herba agreſti victitabant*. Et Macharius in ſermone *Fratres Chariſſimi*, clarè Monachos veteris teſtamenti appellat; Undè Suarez ſcribit: *Eliam, & Eliſeum, ac Filios Prophetarum, quos conſtat veraciter veteris teſtamenti Monachos fuiſſe, imitari curate*.

to.1. doct. Fid. lib.3. art.1. c. 4.

to.1. in Epiſt. ad Ruſtic. de Inſtruct. Monac.

to.3. de Relig. cap.1. nu.1.

LXXV. At quomodo non vidit Witcleff Prophetam Danielem in trium Puerorum hymno, poſt omnium Creaturarum, memoria recoluiſſe illius temporis perfectorum Religioſos, quos verè extare dignoſcebat in veteri teſtamento à vulgari, & communi cœterorum Religione diſtinctos, eos ſpecialiter exhortans ut Deo benedicerent? Nonnè dicit Daniel: *Benedicite* *cap*.3. *Religioſi omnes Deo Deorum, laudate, & confitemini ei, quia in omnia ſecula miſericordia ejus*? Et benè eos hortatur in fine hymni, ut per hoc quod præpoſuerat Sacerdotes, & Iſrael, ideſt Populũ, & Ananiam, Azariam, & Miſaelem, & deindè ſubjunxit Religioſos, intelligeretur tales quoſdam ſanctos fuiſſe alios à Sacerdotibus templi, & à vita, & converſatione Populi Segregatos, qui quamvis ab antiquo fuerint inſtituti, numquam tamen fuere uſque ad Eliam publicè, & regulariter congregati, ut benè notat Waldenſis loco ſupracitato. Quomodo ergò perfidus Witcleff

audet

Digitized by Google

audet dicere hoc nomen *Religioſi* fuiſſe noviter adinventum trecentis annis poſt Chriſti Aſcenſionem, & neutiquam inveniri in Sacra Scriptura, cum Daniel apertis verbis invitet Religioſos veteris teſtamenti, quos tunc temporis extare dignoſcebat, diſtinctos à populari & communi Vulgi Religione ad benedicendum Deo? Vndè Eminentiſſimus Baronius in annotationibus ad Martyrologium Romanum die 18. Octobris ad verbum *ſeptem Monachos*, ait: *Porrò ipſum Monachorum inſtitutum non recens, ſed ab initio naſcentis Eccleſiæ viguiſſe, ex his, quæ ſcribit Philo de Eſſenis, & quæ habet Dionifius Areopagita, & alii facile colligent, licet nomen ipſum non adeo vetus fuerit.*

LXXVI. Nec per hoc quod Eſſenorum, Rechabitarum, Filiorumvè Prophetarum Eliæ inſtitutum ſectantium vota fuerint ſimplicia, & præciſa ſolemnitate, & poteſtate Clavium, poteſt inferri, quod eorum Status monaſticus non fuerit quo ad ſubſtantiam, & eſſentiam vetus, & perfectus: Nam ex eo quod homo in ſtatu ſenectutis ſit perfectioris cognitionis, & diſcurſus, quam in ſtatu adoleſcentiæ, & multo magis quam in ſtatu pueritiæ, nequit nihilhominus dici, quod quantum ad id quod eſt de eſſentia hominis non ſit perfectus in ſtatu infantiæ, & adoleſcentiæ, cum habeat in quocumque ſtatu omnia prædicata eſſentialia, naturam, & eſſentiam hominis conſtituentia, ut ſupra cum D. Paulo, & Angelico Præceptore aſſeruimus loquendo de Patribus veteris teſtamenti relati ad Patres legis Evangelicæ, & de his relati ad gloriam uti hæredes vitæ æternæ per viſionem, amorem, & perfectionem beatificam. Similiter Eccleſia diverſos habuit ſtatus, nimirum legis naturæ, ſcriptæ, & gratiæ, & certum eſt ſtatum Eccleſiæ in lege gratiæ eſſe perfectiorem ſtatu ejuſdem in lege ſcripta, & quod in hoc ſtatu fuerit, etiam perfectior, quam fuerat Eccleſia in ſtatu legis naturæ; nihilominus ſtante hac diverſitate perfectionis ſtatuum nequit negari, quod quantum ad id quod eſt de eſſentia, & ſubſtantia Eccleſiæ in ſtatu naturæ, & legis ſcriptæ non fuerit perfecta; eſſentia enim, & Eccleſiæ ſubſtantia in eo conſiſtit, quod ſit quoddam corpus morale conſtans hominibus habentibus veram fidem cum aliqua ejus exteriori profeſſione, quod Eccleſia quidem habuit in quocumque ſtatu. Item ſtatus religioſus venerabilium Societatis Jeſu Patrum, certum eſt quod habet diverſos ſtatus perfectionis, nam perfectior eſt ſtatus ejuſdem Religionis poſt ſollemnem emiſſionem votorum quam poſt biennium Novitiatus in emiſſione votorum ſimplicium; & tamen nequit negari, quod quantum eſt ad eſſentiam ſtatus religioſi, talis ſtatus non ſit perfectus etiam in prima emiſſione votorum ſimplicium; quapropter Sedes Apoſtolica decrevit in tali ſtatu emiſſionis votorum ſimplicium debere vocari veros, & proprios Religioſos, ut ex Bullis Gregorii XIII. quæ incipit: *Aſcendente Domino*: Sixti V. & Gregorii XIV. Nam ſi votorum ſollemnitas eſſet de eſſentia ſtatus religioſi ut ſic, non poſſent Scholaſtici Societatis Jeſu emiſſis votis ſimplicibus dici veri, & proprii Religioſi, cum nequeat ſalvari proprietas, & veritas religioſi ſtatus, ubi non ſalvatur ejuſdem eſſentia: Ergò quamvis ſolemnitatis Votorum, poteſtatis clavium, uſuſque privilegiorum, & indulgentiarum ſit perfectior ſtatus monaſticus legis gratiæ, nihilhominus quantum eſt ad ſubſtantiam, & eſſentiam ſtatus religioſi, iſte in Eſſenis, Rechabitis, filiis Prophetarum, Eliſeo, & Elia fuit perfectus: Ergò Elias, Eliſeus, filii Prophetarum, Rechabitæ, & Eſſeni, cum hæc tria vota licèt ſimplicia in lege veteri Deo offerent, erant verè monachi, & Religioſi peculiari Religione ſuperaddita vulgari quoad ſubſtantiam, & eſſentiam, præciſa ſolemnitate, & poteſtate clavium; cum gratia Dei in quocumque ſtatu influat, inclinetque per modum naturæ ad omnia virtutum opera, inter quæ recenſentur Vota, & Conſilia. Quocirca nulla apparet difficultas in eo quod juſti antiqui, maximè illi, qui

Digitized by Google

qui inſigni gratia ornabantur, ut Elias, Eliſeus, Jeremias, cœterique filii Prophetarum nonnulla vota fecerint, aliaque conſilia obſervaverint. Quinimmò oppoſitum foret contra ſuavem, & connaturalem Dei providentiam; Nam ut egregiè docet Angelicus noſter Præceptor: *Non eſt conveniens quod Deus minus provideat his, quos diligit ad ſupernaturale bonum habendum, quam creaturis, quas diligit ad bonum naturale habendum; Creaturis autem naturalibus ſic providet, ut non ſolum moveat eas ad actus naturales, ſed etiam largiatur eis formam, & virtutes quaſdam, quæ ſunt principia actuum, ut ſecundum ſeipſas inclinentur ad hujuſmodi motus. Et ſic motus quibus à Deo moventur fiunt Creaturis connaturales, & faciles, ſecundum illud ſapientiæ 8. & diſponit omnia ſuaviter: multo magis illis, quas movet ad conſequendum bonum ſupernaturale æternum infundit aliquas formas, ſeu qualitates ſupernaturales, ſecundum quas ſuaviter, & promptè ab ipſo moventur ad bonum æternum conſequendum*. Ergò hac gratia ſuffulti Eſſeni, ac Filii Prophetarum poterant moveri ad conſimilia vota Deo dicandum. Cum enim talis gratia etiam daretur Patribus antiquis non eſt dicendum fuiſſe in eiſdem otioſam, ſed exercuiſſe virtutum opera, & quidem egregia in his, quos Scriptura vocat perfectos; atque adeo illos ante ſtatum legis evangelicæ vota obſervaſſe, inſigniaque alia virtutum opera exercuiſſe, Chriſtum Dominum ut Doctorem, & Auctorem illorum operum, quia illuſtrati fide divina, qua ipſi incorporabantur, cognoverunt eum docturum, & conſulturum fore prædicta opera; volueruntque illa exequi, ut à tanto Doctore, & Auctore approbata; ſicut proportionaliter ſe geſſerunt Apoſtoli, qui oculis, & auribus eamdemmet doctrinam à Chriſto Domino præſenti perceperunt; ſupplebat enim fides in antiquis hujus præſentiæ defectui. Quapropter Alcazar ait: *Vitæ evangelicæ exemplum in nullo alio Prophetarum ita extat, atque eminet, ut in Elia, cujus vita non tam ex veteri teſtamento Prophetam, quam ex novo, virum planè apoſtolicum redolet*. Et ſimilia de Jeremia, Eliſeo, & quibuſdam valdè perfectis proferunt Philaſtrius lib. de Hæreſibus, hæreſi 61. Gliſſerius in cap. 35. Jerem. & alii: Ergò non obſtat, quod ſi gratia Dei eſt eadem in quocumque ſtatu, Eſſeni, ac filii Prophetarum ſimplicibus votis Religioſum Eliæ inſtitutum ſecuti ſint.

1.2.q.110.ar. 2.

cap.11.Apoc. verſ.3.

LXXVII. Eſſenos per tot ſeçula ante Chriſti nativitatem, & paſſionem monaſticam Eliæ vitam profeſſos fuiſſe à tempore Concilii facti poſt captivitatem Babilonicam á Propheta Egeo, Zaccharia, & vetuſtioribus Rechabitis, à quibus Collegium, & Congregatio Eſſenorum, ſeu Aſſideorum originem ſumpſit, clarè inſinuat Magiſter Sotus loco ſupracitato. Et Joſephus, & Solinus referunt: *Ante Chriſti adventum Eſſenorum Collegium in deſerto Judææ more noſtrorum Anacoretarum Sanctiſſimam deguiſſe vitam, ab Vxoribus prorſus, & ab omni femineo conſpectu remotiſſimã, quorum inſtitutum, ſecutus eſt Joannes Baptiſta: Vndè quamvis nullam aliam habuiſſet Beata Virgo revelationem, exemplum in ſua gente haberet Virginitatis colendæ*. Intellige ly exemplum modo, & formà à nobis ſupra explicatis. Quod autem hoc monaſticum Eſſenorum inſtitutum ab Elia acceptum, & ab eo fundatum, uſque ad adventum Chriſti, & ultra ſine aliqua interruptione perduraverit, in dieſque floruerit clarè conſtabit cum de ininterrupta Eliani inſtituti ſucceſſione uſque ad præſentem diem ſuo loco dicemus.

LXXVIII. Sed antequam deveniamus ad Joannem Baptiſtam, qui ut conſtat ex relatis ſapientiſſimo Soto, & egregiis Scriptoribus Joſepho, & Solino Eſſenorum inſtitutum ſecutus eſt, ut etiam fuſius infrà conſtabit, aliqua præmittenda de Emerentiana Virgine, quę floruit ſiculo antecedenti ad Chriſti Nativitatem, congruum ducimus, ut clarius conſtet Elianum

inſti-

Digitized by Google

cantur filii Rechab, in ſpiritu tamen dicuntur filii Rechab ab Elia, & Eliſeo.

LXIII. Audiamus verba Bolduch id omne ad verbum approbantis: *Conſtat ex libris Regum* (ait) *multa ac frequentia filiorum Dei, qui poſtea filii Prophetarum ſunt appellati, in illa, aut circa illam Tribum extitiſſe Cœnobia, nempè in Galgalis, Bethel, & Jerico, præter celebre Haberis in querceto, quod dicebatur Semnim juxta Cades, atque in illis maximam fuiſſe multitudinem utriuſque Sexus (ut colligere eſt ex ſtrenua illa Jahel uxore Haber Cinæi, quæ peremit Siſaram) quorum Archimandritam poſterioribus ſeculis fuiſſe Eliam; cui ſucceſſit Eliſeus, ambigendi non datur locus. Eliæ autem, & Eliſeo ſucceſſit Vir Sapientia, & Sanctitate celeberrimus Jonadab, qui paſſim in Scriptura dicitur filius Rechab; non ut multi putant, quod à quodam hujus nominis Viro (quem Scaliger militarem Virum fuiſſe, contra illa, quæ de eo habet Jeremias, audet aſſerere, propter Jehu ad eum verba, & quia in ejus Currum fecerit eum aſcendere, nempè horreret Scaliger Sanctũ aliquem Monachũ ſimili honore à Rege præveniri) ſecundũ carnem genitus ſit, cũ talis non reperiatur, & tam illuſtris familiæ Parentem, & caput non inveniri incongruum planè videatur; ſed quia filius, ideſt diſcipulus fuit eorum, qui primi hoc nomine Rechab honoris cauſa vocati ſunt. Iſti autem fuerunt Elias, & Eliſeus; ille quidem ab iſto quando ſurſum ferebatur per turbinem in Cœlum, vidente, & clamante, Abi abi Recheb Iſrael Upharaſciau: Pater mi, Pater mi Recheb Iſrael, & equites ejus, vel equitum ejus: iſte verò nempè Eliſeus iiſdem prorſus terminis à Joas Rege Iſrael, cum ægrotaret infirmitate, qua mortuus eſt, ad quem Rex deſcendit, & ſtans coram eo dicebat Pater mi, Pater mi currus Recheb Iſrael, & auriga ejus. Ab illo ergo die nomen Recheb, ſeu Rechab honorabile factum eſt, ita ut præcipuus filiorum Archimandrita, qui in hoc munere ſucceſſit Eliſeo filius Rechab, nempè Eliæ, & Eliſei diſcipulus appellatus ſit, & omnes illius ſodalitatis Alumni, qui primò Enoſcæi, deinde Cinæi, poſtea Cenezæi, ad hæc Hebræi, Nazaræi, & filii Prophetarum nuncupati fuerant, deinceps Rechabitæ ſunt appellati, quod idem eſt, ac ſi Elicitæ, vel Eliſeitæ dicerentur.* Et quamvis alia via hiſtoriam ſequentes, ut inveſtigare poſſemus quiſnam fuerit iſte Rechab, à quo Rechabitæ appellati ſunt, & dederimus ipſis antiquiorem originem, nihilhominus aſſentimur huic Auctori in hoc quod Jonadab, qui illos reformavit, fuit diſcipulus Eliſei: & quod ipſe cum ſuis Rechabitis in poſterum pertinuere Religioni propheticæ, quod docet Joannes noſter Jeroſolimitanus loquendo de Rechabitis: *Cinæi itaque ab hoc Rechab deſcendentes, & cum Jonadab filio ejus Religionem Eliſei eremiticam ſequentes dicti fuerunt Rechabitæ.* Et Doctor Idelphonſus de Villieguas Canonicus doctoralis in Eccleſia Toletana Hiſpaniæ, & illius Archiepiſcopatus Gubernator, ſuprà à nobis relata ſequens ex vulgari Hiſpanico tranſlato ad litteram ejus ſermone in latinum, ait: *Conſidero utique Sanctum Hieronymum Epiſt. 13. ad Paulinum, qui vixit in ſeculo ipſiſſimo, in quo vixit Patriarcha Joannes Jeroſolimitanus, & habitavit cum eo in Paleſtina, dixiſſe expreſſè Rechabitas fuiſſe ex illis, quos Scriptura vocat filios Prophetarum, qui habitant in agris, & ſolitudinibus, de his ſunt & illi filii Rechab.* Ex quo ſequitur, quod ſi Eſſeni Prophetarum filii, & Rechabitæ idem erant, cum filii Prophetarum eſſent veri Monachi, & Religioſi, ſicuti probatum eſt, & etiam Eſſeni, ut probabimus infrà, ſequitur, inquam, quod Rechabitæ fuerint veri Monachi, cum idem ſint ac Eſſeni. Audiamus ſuprarelatum Doctorem, quomodo id probet ex D. Hieronymi teſtimonio, & aliorum: *D. Hieronymus* (inquit) *tam Prophetarum filios, quam Eſſenos Monachos, & Religioſos vocat, & ipſis tale nomen non tribueret ſi Caſti non fuiſſent, cum iſte ſit antiquus*

de inſtit. Monac. cap. 25.

in Serm. habito in beatific. S. Thereſiæ excuſo ann. 1615. Matriti.

quus

quus Sanctorum Patrum Sermo, ut videre eſt in D. Dioniſio, & Divo Gregorio Nanzianzeno, qui Monachatui Caſtitatem univit, & ſuus Eſcoliaſtes Nicetas dicit, quod Monachi, & Rechabitæ ſunt termini ſynonimi: Vndè pro certò habeo, quod Rechabitæ, & Prophetarum filii omnes fuerint ejuſdem inſtituti. Paritèr de Rechabitis loquens Concilium Senonenſe in ſuo decreto 9. de Votis monaſticis, & ad illorum obſervantiam exhortans, hæc leguntur: *Si quis votum aliquod hujuſmodi voverit, etiam ſi perpetuum fuerit, non facit irritum verbum ſuum, ſed Deiparæ Virginis, Annæ Samuelis Matris, & Rechabitarum exemplo, quod promiſit implevit*. Tunc ſic, ſed Deipara verè votum emiſit Virginitatis perpetuæ, & Anna ſuæ caſtitatis votum Deo promiſit: Ergò Rechabitæ vitam ſuam cum voto Deo dicarunt: Ergò fuit verè votum, & in materia libera, & voluntaria, & non neceſſaria, & non ſolum in materia obedientiæ, & paupertatis, ſed etiam caſtitatis, quia ſecundum D. Gregorium Nanzianzenum loquentem de ſemetipſo ait: *Quæ carnis erant jamdiù decreveram reiicere, aliam viam quærebam commodiſſimam, & eam explicans animo, Elias occurrebat, Vates meus magnuſque Carmelus, novaque nutritio, & ſolitudo Præcurſoris illius, & vita Jonadab ſimplex liberorum*: Sed Elias, & Baptiſta fuerunt celibes in caſtitate: ergò ſimilitèr filii Jonadab, alias inutiliter diceret D. Gregorius: *Quæ carnis erant decreveram reiicere* (intuitu ſcilicet Eliæ, Præcurſoris; & Jonadab). Et Valentia pro Rechabitarum continentia hoc exhibet teſtimonium: *Inter omnes ſine controverſia conſtat Rechabitas peculiari vitæ ratione præter communem obſervantiam legis, divino cultui ſeipſos addixiſſe. Vinum enim non bibebant, à conjugio obſtinebant* (nota) *& Sanctam obedientiam ſuis Superioribus præſtabant*. Ergò ſi Rechabitæ erant Deo dicati ut veri Religioſi, non ſolum voverunt obedientiam, & paupertatem, ſed etiam caſtitatem, ſine controverſia; alias non verè filii Jonadab Eliſei diſcipuli dicerentur; nec pro Religioſis adducerentur in exemplum una ſimul cum Deipara à Concilio Senonenſi, & à D. Gregorio Nanzianzeno.

de Eccl. Hierar. cap. 6.
In defin. in exa. ibid. nu. 18.
in Poemate de vita ſua.
2. 2. diſp. 10. q. 4. puncto 1 §. 1.

LXIV. Veruntamen cum Rechabitarum familia ex texu Jeremiæ 35. liberos habuiſſe aliquando conſtet, & aliquos ex Eſſenis mixtos eſſe ex conjugatis, & continentibus, ut ex Philone, Joſepho, & Hieronymo tom. 3. ad primum lib. Paralipom. cap. 7. & Abulenſi ſup. 4. Reg. cap. 6. quæſt. 1. pro omnibus, & etiam pro filiis Prophetarum juxta illud: *Vna ex Vxoribus Prophetarum, ac filiorum ejus*, ſit ſolutio, ut omne dubium, & controverſia abſcindatur, & veritas Monachatus cum triplici voto ab omni injuria immunis exiſtat. Erant filii Prophetarum conjuncti conventualiter viventes per diverſa collegia, & cum iſtis erant aliqui filii Prophetarum non religioſi, qui erudiebantur ab eis in doctrina legis, & in rectitudine morum (ut nunc educantur in Collegiis tam Viri, quam fœminæ) horum curam habebat Eliſeus, eos educans, & in bonis moribus inſtruens, docenſque ea quæ ſunt neceſſaria pro vero Dei cultu. Cum qua ſolutione Jonadab, qui verè ſucceſſit Eliſeo, erat verè Religioſus, & omnes illi, qui ab Eliſeo, & Elia, ac Filiis Prophetarum originem ducebant, & erudiebantur in doctrina legis, & in rectitudine morum, veri Religioſi erant, ut Eliſeus. Alii verò Rechabitæ licet Religioſi dicerentur, non ita in rigore, ſed reſpectu vulgi, ſicuti modo in Religionibus militaribus Hiſpaniæ Freiles, Galliæ vero, Germaniæ, Italiæ, &c. Equites nuncupantur; Qui & ſi religioſi ſint reſpectu aliorum, non tamen in toto rigore, ſimpliciter, & abſolutè, dicuntur Religioſi, uti ſunt Monachi, quia in toto rigore ſimpliciter abſolutè, & ſtrictè Religioſi, & Monachi debent carere ex jure, & eſſentialiter Conjugio, ac Uxore. Pari diſcurſu eſt intelligendus textus Jeremiæ 35. ad litteram: *Obedivimus ergo vocem Jonadab*

Digitized by Google

nadab filii Rechab Patris noſtri &c. itaut non biberemus vinum nos, & mulieres noſtræ, filii, & filiæ noſtræ. Iſti enim Rechabitæ dicuntur Rechabitæ genere, ac ſtyrpe, & per carnalem generationem, de qua ſtyrpe in ſpecie fit mentio ſupra à Waldenſi; Alii verò ſunt verè, & propriè filii Eliſei, & illius Jonadab tempore Eliſei, & in Curru cum Jehu aſcēdentis contra Achab ex juſſu Domini, & ex ordine Eliſei unxit Jehu in Regem, & illi intimavit hoc præceptum: *Percuties Domum Achab*. Et iſti filii dicuntur filii Rechab in diſciplina, & inſtituto; Et conſequētèr tàm Eſſeni, quàm Rechabitæ ex Sententia Sanctorum Patrum, veri Monachi appellantur. Et Concilium Senonenſe in exemplum illos adducit in libera, ac ſecura ſucceſſione Monachatus Eliæ, Eliſei, & filiorum Prophetarum ſine interruptione cum tribus votis. Undè ut dicta Sanctorum Patrum, & Concilii ſubſiſtant, Eſſenos, ac Rechabitas duplices eſſe ſtatuimus, alii ſecundum Carnem, alii ſecundum Spiritum, ut benè dicit Serarius ſupracitatus. Attamen in confirmationem noſtræ ſententiæ, explicamus noſtram mentem, ut differentia clarè recognoſcatur inter utroſque Rechabitas filios Jonadab; primi ante Samuelem, Eliam, & Eliſeum; ſecundi à Jonadab viro juſto, & Eliſei diſcipulo. Explicamus (inquam) noſtram mentem in hac forma, dicentes, quod Rechabitæ, de quibus fit mentio à D. Hjeronymo, & nos ut ſucceſſores Eliæ, ac Eliſei recognoſcimus cum eodem, dicuntur à Rechab, ideſt à Curru Iſrael, ſeu ab Elia, & Eliſeo, & Jonadab ejus diſcipulo, & omnes iſtius ſodalitatis Alumni, Enoſsæi, Sinæi, Cenezæi, Nazaræi, & filii Prophetarum nuncupati fuerunt, & deinceps Rechabitæ ſunt appellati, quod idem eſt, ac ſi Eliæitæ, & Eliſeitæ dicerentur, in quo quidem ſenſu debent intelligi D. Gregorius Nanzianzenus, Valentia, Serarius, Bolduch, & alii à nobis ſupra relati; ut abſtineamus à multiplici abſurditate cum hac ethimologia tàm clarè, & rectè elucidata. Remanent igitur relati Rechabitæ ſub lege Moyſi proficiſcentes Religioſi, & Patres facti ſunt, & Patroni Religionis perfectorũ futuræ temporibus legis Chriſti, quod ſolum intendebat Hieronymus cum diceret: *De his ſunt & illi filii Rechab*: ideſt de noſtris Principibus, & modernæ Religionis noſtræ Fundatoribus approbatis, ut refert noſter Waldenſis ſupracitatus. Alii verò remanebant Religioſi modo ſupra explicato in Equitibus militaribus, vel tertiarii in illo Religionis Ordine; ab Eliſeo in legis doctrina, morumq; integritate inſtructi, eò modo quo in Carmelo, cœteriſq; Collegiis omnes Fideles accedentes in diebus feſtivis, ut in Chalendis, & Sabbatis, inſtruebantur. Et ſic Eſſeni, & Rechabitæ in idem coincidunt, & ſunt, ut ſæpius diximus, ſine aliqua controverſia, juxtà relatas D. Gregorii Nanzianzeni, D. Hjeronymi, Valentiæ, Bolduch, Serarii, & aliorum ſententias.

LXV. Hanc Sanctorum Prophetarum peculiarem Religionem, ſeu Monachatum amplexati ſunt Eſseni ſive Eſſei, ſive Aſſidæi, quod idem ſonāt, & qui pariter ab aliquibus dicuntur, quod idem ſint cũ Rechabitis, non per temporalem generationem à Rechab, ſed per ſpiritualem ab Elia, & Eliſeo ex relato nomine *Recheb*, quod idem ſignificat, ac *Currus Iſrael* in Hebraica lingua, deſcendentibus, qui Eſsæi, ſeu Eſſeni dicti ſunt à Contemplatione, cum idem ſit Eſſæus, ac Contemplator, & ſic etiam dicti à Sanctitate, ut teſtatur Divus Chriſoſtomus, inquiens: *Eſſeni, qui etiam Hoſii, ideſt Sancti, dicuntur, hoc enim vult nomen Eſſenorum à vitę honeſtate*. Et antiquiſſimus Philo in ejus libro, cujus titulus eſt: *Quod liber ſit probus*, non obſcurè declarat *Eſſeos Sanctos ſignificare, & à Sanctitate tale nomen accepiſſe*. Ab iſta interpretatione neutiquā diſferunt Genebrardus inter antiquiſſimos reputatus lib. 1. Chronographię ad annum Mundi 3272. & Serarius in Trihær. lib. 3. cap. 2. aſſerentes à vitæ pietate, ſeù benignitate nuncupatos eſſe Eſſenos. Nec deſunt, qui cenſent Eſſenos ſic nuncupari quaſi Eliſenos, ideſt Eliſei monaſtici inſtituti

tuti

Digitized by Google

tuti Sectatores : Qualiter autem hæc nominis Ethimologia cohæreat rei veritati, quod ab Elia, & Eliſeo, filiiſq; Prophetarum originem habuerint deducitur ex eo, quod Eſſeni ſucceſſores fuerint Hjericontinæ habitationis ab Eliſeo extructæ; Quocirca mirum non eſt, quod ab eo denominationem habuerint. Et Noſter Lezzana Eſſenorum nomina ſub lege veteri ità recenſet: *Prophetæ, Filii Prophetarum, Rechabitę, Eſſeni, Aſſidei, & quandoque Scribę, & Nazarei*. Primum autem, & ſollemniſſimum eorum nomen, etiam in lege evangelica eſt *Eſſenorum*, *Eſſeorum*, vel *Jeſſæorum*. Hoc enim nomine illos communiter Auctores appellant. Deindè iſtas eorundem tempore legis evangelicæ affert appellationes, nempè *Therapeutæ*, ut eos nuncupant Philo lib. de Vita Contemplativa, ſeu de ſupplicum Virtutibus. Euſebius, Nicephorus, & alii. Hoc enim nomen idem denotat, ac *Cultores*, *ſeu Curatores*, à colendo Deo, e curandis moribus, & animabus. Hanc vocis rationem tradit ſupracitatus Euſebius, inquiens: *Quod tamquam periti Medici affectus pravos curare; ideoque purum ſervitium offerre velint, ac ſtudeant.* Sic etiam Sanctus Areopagità aſſerit ab aliis nũcupari *Therapeutas*, & ab aliis *Monachos* ex puro Dei miniſterio; inquit enim: *Hac famulatu, & non partita, ſed ſingulari vita tanquam vivificante eos inſeparabilitèr Sacris contemplationibus in Deiformem unitatem, & amicam Deo conſummationem* vixiſſe. Itidem à Philone appellantur *Ichetæ*, ideſt ſupplices, à præcipuo munere, quod habent orandi, & Deum laudandi. Aliis etiam nominibus appellari cenſentur, nimirum *Aſcetæ*, *Buculini*, ac communiſſimo vocabulo *Monachi*, ſepè etiam *Carmelitę*, & itidem *Duces*, & Anteſegnani Monachorum Novæ Legis; pariter Eremitæ, Anachoretæ & tandem *Eunuchi*, *Nazarei*, & aliquando etiam *Eliotæ*. Et ſi ſcire quis cupit à quibus, & ubi iſtis nominibus nuncupentur, videre non dedignetur Lezzanam loco ſupracitato.

tom.2. ann. in appar.c.4.

lib.2.hiſtor.c. 16.

LXVI. De his loquitur ſcriptura Machabeorum: *Congregata eſt ad eos* (ſcilicet Mathatiam, & ſocios) *Synagoga Aſſideorũ*. Et rurſus: *Convenerunt ad Alcimum, & Bacchidem Congregatio Scribarum, & primi Aſſidai, &c.* Item ſecundo Machabeorum dicitur: *Ipſi qui dicuntur Aſſidai Judæorum, quibus præeſt Judas*. Eſſenos, Eſſæos, & Aſſidæos, necnon Rechabitas, ac filios Prophetarum ejuſdem fuiſſe inſtituti, immò partim eoſdẽ diverſis nominibus ſignatos, jam ſupra vidimus, & ulterius adſtruũt Rupertus, inquiens: *Monachi filii Prophetarum, & poſt aliis nominibus Aſſidai, ſivè Eſſeni dicebantur*. Idipſum Genebrardus, & Nicolaus Serarius, inquiens iſte: *Ut eoſdem tamen Eſſæos, & Aſſideos eſſe tanto ſtet firmatius, adiicio (licet nihil neceſſe ſit) ipſam nominum originem, & ſignificationem, quę, ut ex ſuperioribus liquet, in utriſque prorſus eadẽ eſt*. Et in Machabeorum armonia titulo de Aſſidæis hæc quoque ſcribit ad propoſitum eorum nomenclaturæ: *Acceperunt nomen Aſſidei ab hebrea voce Chaſid, vel Chaſed; ideſt miſericors, Sanctus, & pius*. Et infra: *Apparet fuiſſe homines iſtos à cætero Judeorum Populo inſtitutis, & nomine diſtinctos; Societate vero inter ſe Sancta, & Religioſa devinctos.*

cap.2. nu.42. *cap.7.nu.12.*

lib.4.Regu.S. Benedicti ca. 12.

locis ſupracitatis.

LXVII. Tria fuiſſe horũ Eſſenorum, ſeu Aſſideorum, aut Eſſeorum genera affirmat Joſephus Judæus natione Jeroſolimitanus, Religione Sacerdos, Rector, temporumque Scriptor inſignis, qui, & ſi Judæus permanſerit, genus tamen Chriſtianorum ſemper laudavit, ut ait Trithemius, his verbis: *Tria ſunt* (inquit Joſephus) *apud Iudæos genera Philoſophiæ: horum unum Phariſei profitentur, alterum Saducęi, tertium vero, quod etiam probabilius habetur, Eſſeni colunt, gente quidem Judæi; verum inter ſe mutuo amore conjunctiſſimi, & qui preter cæteros voluptates quidem quaſi maleficia vitarent: Continentiam vero ſervare, neque cupiditati ſuccũbere, virtutem maximam ducerent. Itaque nuptias quidem faſtidiunt, alienos verò filios, dum adhuc molles ſunt, eruditioni traditos pro Cognatis habentes, ſuis moribus diligenter inſtruunt*. Ex quibus verbis conſtat

lib.2. de bello judaico ca.7.

Digitized by Google

ſtat Eſſenos, de quibus loquimur; Celibem, Caſtamque vitam ad ſuorũ Principum, & Magiſtrorum Eliæ, & Eliſei, filiorumque Prophetarũ imitationem duxiſſe. Eſſeni igitur, ut patet ex Joſepho, Orthodoxæ Fidei Judæi erant exceptis nonnullis Samaritanis, ut teſtatur D. Hjeronymus ſui temporis Cœnobitas deſcribens ſequentibus verbis: *Talis* (inquit) *Philo platonici ſermonis imitator: talis Joſephus Grecus Livius in ſecũda Judaicę captivitatis hiſtoria refert*: Eoſdem faciens utriuſq; Auctoris Eſſæos. Sed ex lib. 2. contra Jovinianum equè eos confundit, aſſerens: *Joſephus in ſecunda Judaica Captivitatis hiſtoria, & in octavodecimo antiquitatis libro, & contra Appionem duobus voluminibus tria ſcribit dogmata Judęorum, Phariſęos, Saducęos, & Eſſenos, quorum noviſſimos miris effert laudibus, quod et ab uxoribus, et vino, et carnibus ſemper abſtinerent, et quotidianum jejunium verterint in naturam*. De his igitur Eſſenis prout contradiſtinctis à Phariſeis, & Saduceis loquuntur Sancti Patres, quotieſcumque de illis Sermonem habent, eoſq; commemorant inter filios Prophetarum.

lib. ad Euſtoch. de ſervanda Virgin.

LXVIII. Hujuſmodi Eſſenos monaſtici Eliæ, & Eliſei inſtituti antiquos fuiſſe Sectatores, ac proindè Prophetarum filios appellatos affirmat Adrianus Adrianius, ſcribens: *Judæorum meliores Eliæ, atque Eliſei diſcipuli Eſſeni, &c. Qui quidem diverſis in locis temporum decurſu admodum multiplicati, uſque ad Chriſti Domini tempora, in prima ſua inſtitutione, vitæ ſpiritualis amplexu, multis annorum centuriis conſtantiſſimè perſtiterunt*. Id pariter affirmat Joſephus Flavius; agens enim de Jonatha, & Machabeis aſſerit eodem tempore fuiſſe Eſſenos, dicens: *A multis retro ſeculis, & multis jam ſæculis triti*. Quod vero iſti Eſſeni monachi ſint deſcendentes juxta Joſephum, & Philonem à magno Propheta Elia, Prophetarumque filiis, nec non à Rechabitis, benè probatur in hyſtoria prophetica, in qua differentia, & deſcendentia à Cinæis ſufficienter demonſtratur, & à regularum profeſſione, à fide, ac ſingularis vitæ cum Prophetarum filiis convenientia, & in ea Eſſenorum Theoricorum, & practicorum differentia ſufficienter demonſtratur ex Joſepho, & ex Philone lib. *Quod omnis Probus ſit liber* de Eſſenis Alexandrinis theoricis, & in lib. *de Vita ſupplicum, ſeu de vita contemplativa*, ut benè notat Euſebius dicens, eum ſcripſiſſe unum volumen egregium Religioſorum S. Marci. Et nudis verbis ipſius teſtimonium D. Hieronymus (qui in ſuo libro de illuſtribus viris eum inter Eccleſiæ Doctores commemorat) refert, dicens: *Philo Judæus, natione Alexandrinus, de genere Sacerdotum, idcirco à nobis inter Scriptores Eccleſiaſticos ponitur, quia librum de prima Marci Evangeliſtæ apud Alexandriam Scribens Eccleſia, in noſtrorũ laude verſatus eſt, non ſolum eos ibi, ſed in multis quoque Provincils eſſe commemorans, & habitacula eorum dicens Monaſteria*; & *ab Euſebio eſt autem in ſingulis locis conſacrata Orationi domus, quæ appellatur Semmon vel Monaſterium, Semmon autem in noſtra lingua ſignificare poteſt honeſtorum Conventiculum, in quo Sacerdotes honeſtæ, & caſtæ vita myſteria celebrabant*. Et Abbas Trithemius libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis ſub initio aſſerens, quæ dicit Philo in libro: *Quod liber ſit quiſquis virtuti ſtudet*, ſive *quod omnis Probus ſit liber*, ſequentia adducit Philonis verba: *Nec Paleſtinæ, Syriæque deeſt hoc genus hominum, virtutem ſectantium, cujus Religionis non parvam partem propulſa Judæorum Gens incolit. In his quidam nominantur Eſſæi circiter quatuor millia, à Sanctitate dicti; quia ſumma Religione Deo ſerviunt; non mactando victimas, ſed ſuaſmetipſorum mentes componendo ad Sanctimoniam. Hi vicatim habitant, Urbes fugiunt propter familiaria Civibus earum vitia*. Et loquendo de eorum paupertate, & vita communi abſque proprio ſubjungit: *Penes ſoli hominum degunt ſine prædiis, ſine pecuniis,*

lib. de origin. Monaſt. c. 2.

lib. 18. antiq. cap. 8.

lib. 2. cap. 11. & lib. 3. cap. 14.

lib. 3. Antiquit. ca. 9. & lib. 18. cap. 7.

De bello Judaic. cap. 7.

lib. 2. de Eccl. hyſt. c. 17. 18. & 19.

&

& propter vitæ inſtitutum divites habentur magis, quam ob eorum copiam, frugalitatem, non vana exiſtimatione ducentes eſſe quæſtum maximum. Indè recenſendo præcipuas eorum virtutes addit: *Pietatis erga Deum argumenta præſeferunt plurima, caſtitatem in tota vitâ perpetuam, à jurejurando mendacioque abſtinentia, & quod ad Deum auctorem bonu omnia, malum verò nullum referunt. Virtutem quoque ſibi eſſe cordi ſatis declarant, dum pecunias, honores, voluptateſque contemnunt fortiter, vivuntque continenter in laboribus complexi, frugalitatem, ſimplicitatem, facilitatem, modeſtiam, legum reverentiam, conſtantiam, & id genus, &c. Charitatem porrò eorum erga homines indicat benevolentia, &c.* & indè: *Veſtitus, & menſa communis ſumitur, &c. Extant etiam apud illos commentaria veterum quorundam hominum, qui illorum ſectæ, & Religionis auctores, aut duces fuerunt, quique quamplurima monumenta de ea ſpecie, & ratione doctrinæ, quę in allegoriis cernitur poſt ſe reliquerunt. Quibus quidem tamquam exemplaribus utentes, & profeſſionis illius, & inſtituti modum ſedulò imitantur.*

LXIX. Sed quia aliquis minus benevolus monaſtico Eliæ inſtituto, ejuſq; ſucceſſioni in Prophetarũ filios, Rechabitas, & Eſſenos minimè arridens, hæc ultima Philonis verba explicare poſſet aſſerendo, per illa veterum commentaria, quæ ait Philo apud eos ſervata eſſe, intelligere ſcripta Apoſtolorum Evangelia, & quaſdam veterum Prophetarum expoſitiones divina adaperientes myſteria, quales quidem tum in Epiſtola D. Pauli ad Hebræos, tum aliæ quamplures ejuſdem Apoſtoli complectuntur; ideo reſpondere non omittimus hoc aſſertum eſſe evidenter contra ſententiam Philonis, qui Eſſenorum Religionis, & inſtituti Duces, & Auctores homines quoſdam veteres appellat: Nam hæc loquela opponitur cum ætate Philonis Apoſtolorum, & Evangeliſtarum, quia noſter Waldenſis tom. 1. doctr. Fid. lib. 3. art. 1. cap. 7. & Euſebius loco citato cap. 15. referunt, Philonem tempore Claudii Imperatoris Romæ fuiſſe, & Sanctum Petrum Apoſtolum vidiſſe, eumque fuiſſe allocutum, qui, & magnus poſtmodum factus eſt Eccleſiæ Doctor, & ſcripſit vigintiquinque Volumina, ut teſtatur relatus Euſebius. Vndè cum Philo vixerit eadem ætate, qua vivebant Apoſtoli, & Evangeliſtæ, neutiquam pro monumentis, ſeu commentariis veterum quorundam hominum, qui Eſſenorum ſectæ, & Religionis Auctores, & Duces fuerunt, potuit intelligere manuſcripta Apoſtolorum Evangelia, vel aliquas expoſitiones in Epiſtolam D. Pauli ad Hebræos, aut alias conſimiles. Ne igitur ignotum ſit alicui Philonem per commentaria veterum quorundam hominum, qui Eſſenorum ſectæ, & Religionis Auctores, & Duces fuere, ut illis tamquam exemplaribus uterentur, alios ab Apoſtolis, & Evangeliſtis, eorumque manuſcriptis intellexiſſe, ſciant Eſſenorum Inſtituti Duces, & Auctores fuiſſe Eliam, & Eliſeum, & Prophetarum Filios, ut bene ſupra dictum eſt de Religioſis, & Anacoretis à Sozomeno relatis in ſua hiſtoria affirmante Eliam habuiſſe in exemplum, his verbis: *Optimam hanc philoſophiam orſus quidem eſt, ſicut quidam dicunt Elias Propheta, & Joannes Baptiſta.* Et Joſephus de bello judaico loquens de Cæremoniis, & ritibus Eſſenorum (ut à Philone) pro inſtitutione Novitiorum hæc ſcribit: *Per annum integrum extrinſecus commorati, cuique eundem victus ordinem tribuunt, cumque dignus apparuerit, tunc demum in conſortio admittitur, priùs vero quam incipiat communem habere cibum magnis execrationibus abjurat ſe potiſſimum colere Deum, deinceps quoque erga homines ſervare juſtitiam.* Et poſt aliqua ſubdit: *His quidem execrationibus explorant, & quaſi præmuniunt accedentes.* Deindè pergit: *Deprehenſis verò in peccatis à ſua*

3. par. cap. 12.
cap. 7.

 Con-

Congregatione expellunt, & qui taliter fuerit condemnatus, illis quidem Sacramentis, ac ritibus obligatus, neque capere ab illis oblatum Cibum poteſt. Nota ly Sacramentis obligatus, qnia Sacramentum idem eſt, ac juramentum, & votum, ut benè docet Sanchez, & quamplurimi alii. Suarez verò tom. 3. de Relig: art. 6. cap. 1. nu. 3. ait: *Ex quo enim tempore incepit Religioſus ſtatus, incepit etiam profeſſio, cujus antiquiſſima mentio invenitur in Sanctis Patribus, interdum ſub nomine conſecrationis, aut benedictionis, interdum nomine juramenti, aut voti, & ſæpè etiam profeſſionis.* Et Solinus hæc confirmat de Eſſenis inquiens: *Nullus admittitur, niſi qui Caſtitatis fidem, & innocentiæ meritum proſequatur.* Et ly Caſtitatis fides idem eſt, ac promiſſio caſtitatis; in quo ſenſu explicatur illud Pauli loquendo de Saphira, & Anania, quia primam fidem irritam fecerunt, ideſt paupertatis profeſſionem violaverunt, ut ſupra diximus. Et Bellarminus ex multis Conciliis, & Patribus explicat nomen Fidei idem ſignificare, *ac promiſſio*. Et apud Juriſtas fides matrimonii idem eſt, ac promiſſio matrimonii, ut pluribus probat Sanchez. Et in theſauro linguæ latinæ *Fides promiſſionem ſignificat*. Et pro Eſſenis Cedrenus antiquus, & gravis auctor, inquit: *Jurant huic divinæ Religioni* (nota ly divinæ, ut Eſſenos bonos à ſuſpectis ſecernas) *unicè uſque ad Sanguinē ſe piè, & reverenter operam navaturos.* Ex quibus omnibus conſtat, quod Eſſenorum Sacramenta, ritus, fides, explicant vota Religioſa, & non tantum nudè virtutes.

to.3. ſumma cap. 9. nu. 10. & cap. 13. n. 1.

cap. 36.

1. ad Timoth. cap. 5. nu. 12.

lib. 2. de Monachis c. 24.

lib. 7. de Matrim. diſput. 79. nu. 29.

LXX. Ex hùcuſque dictis Eſſenos ſucceſſores Spiritus, & monaſtici Inſtituti magni Prophetæ Eliæ, Eliſei, & Filiorum Prophetarum, Deo ſeipſos in lege antiqua, & Moſayca, per Obedientiam, Paupertatem, & Caſtitatem dicaſſe in Chriſto, per Chriſtum, & ſub Chriſto, clarè patet: & præter rationes ſupraadductas circa ſucceſſionem Rechabitarum, & Eſſenorum, Divus Nilus in aſcetico ſcribit: *Judæi qui talem vivendi rationem inſtituerunt, à Jonadab ſunt oriundi, & omnes qui ad ſe, ut eodem modo vivant, accedunt, ad eadem ducunt inſtituta; in tabernaculis perpetuis habitant; à vino, atque omnibus delicatis abſtinent, victu tenui contenti corpus affligunt; magnam igitur morum curam gerūt, & contemplationi vacant aſſiduè, ex quo Eſſæi appellantur.* Et Suidas aſſerit: *Eſſæi, Judæi, Aſcetæ majores, Jonadabi filii Rechab illius juſti inter ſeſe amantes, voluptatem, ut vitium adverſantur; Temperantiā verò, & Continentiam, & ab animi perturbationibus vacuitatem virtutē putant: Conjugium apud ipſos deſpicitur; alienos filios adhuc juvenes aſſumunt, & docent, & ſuis moribus informant, omnem turpitudinem abiiciunt, & cæteras omnes virtutes exercent: In contemplatione plerumque perſeverant, undè Eſſæi vocantur hoc eſt contemplatores.* Hoc idem affirmaut Salianus ſub anno mundi 3609. nu. 3. Cornelius in cap. 10. Numer. nu. 24. §. denique. Serarius in miner. lib. 5. cap. 1. & 3. & alibi ut ſupra aſſerentes omnes veteres Scriptores Eccleſiaſticos, ità dixiſſe; Nam cum Judæi redirent ex captivitate Babilonica, cum Zorobabel, & Propheta Egeo, & Zacharia inito Concilio ex vetuſtioribus Rechabitis Collegium fecere, ſeu Cōgregationē Aſſidęorum, ſeu Eſſenorum, ut probat Franciſcus à S. Maria in hiſtoria prophetica to. 1. lib. 2. cap. 20. nu. 8. & Magiſter Lezzana anno mundi 3545. nu, 19. 20. & 38. Et Serarius qui ſupra, circa Ethimologiam nominis Eſſenorum duodecim interprætationes affert, ex quibus duas tantum referimus. Eſſeni à Græco *Hoſius*, ideſt *Sanctus*, & corrupto vocabulo *Aſſæus*, & *Eſſæus*. Alii *Eſſæi*, ideſt *Eliſęi, ſeu Eliſæni* ab Eliſeo ſic dicti. Item Enrichez to. 2. in Summa lib. 15. cap. 5. Gloſſa 20. Thomas à Jeſu de variis Regulis Carmelitarum cap. 1. §. *pro quo recolendum*. Joannes Carthagena tom. 4. homil. lib. 17. hom. 2. obiect. 2. Beccanus lib. 1. analog. novi, & veteris Teſtamenti cap. 11. & 4.

initio Bibliot. Colon. tom. 5. par. 2.

pag. 1049.

lib. 3. Tribæreſum. cap. 1.

Digitized by Google

& 4. nu. 20. Franciſcus Lucas ad primum Machabeorum cap. 2. num. 4. & 2: & alii quamplurimi. Et tandem Villalprandus loquens de Eſſenis ait: Eoſdem qui olim à primo familiæ Parente Rechabitæ dicebantur, poſt-modum propter vitæ probitatem, integerrimoſq; mores Eſſæos, vel Eſ-ſenos, hoc eſt Sanctos dictos fuiſſe. *in appar. Urbis, & templi lib. 3. c. 14.*

LXXI. Probata igitur cum Sanctis Patribus, & antiquis Scriptoribus Eſ-ſenorum à Rechabitis ſucceſſione, probãdum remanet tria eſſentialia pro ſtatu monaſtico vota Deo dicaſſe. Et primo probamus votum Caſtitatis ex Philone libro, quod omnis probus ſit liber: *Caſtitntem in tota vita perpetuam ſervabant*. Hoc eſt vinculo voti legati, quia ſine illo cum ſit materia libera non neceſſaria, facile fluctuabit, ut docet Suarez. Itẽ ex Joſepho: *Uxores non ducunt*, & iſte qui omnes Eſſenorum Sectas in vita ſua expertus eſt, et de Semetipſo teſtimonium perhibet in ſui ipſius vita, quam ipſemet deſcribit, & ad quam remittimus benevolum Lectorẽ, ut Chriſtianam perfectorum Eſſenorum recognoſcat philoſophiam à Phariſeis, & Saduceis diſtinctam, in quo etiam de duplici ejus acceſſu ad Almam Urbem fit memoria, quo motivo ſubtiliter deſcribit Eſſenorum inſtitutum maximè in antiqua ejuſdem libri editione, diverſaſque eorum Sectas, benè explicat, & Eſsenorum differentiam à Phariſeis, & Saduceis, quo ad mores, vitam, & cultum refert, nè benevolus Lector faciliter, dum ſermo fit de Eſſenis, aſſenſum præbeat, ſi aliquibus operationibus nõ honeſtis, immò à fide alienis, vanis moribus, & ſuperſtitionibus, eos ſignatos eſſe in aliquibus ſcriptorum aſſertis invenerit, ut fuere Saducei, & Phariſei, quos Chriſtus increpavit; loquimur enim de Eſſenis immunibus à ſupradictis noxis, purè, & Sanctè viventibus, religioſamque vitam ducentibus, quos Chriſtus laudavit utpotè omni macula mundatos, & immunes, & ſi quos cum uxoribus quis inveniet, & ſine continentia, recognoſcat in litteris peritus an ſint Phariſei, vel Saducei, an verò ex genere, & ſtyrpe Judæorum, ſeu Cinæorum, quos Philo Doctor antiquus, & Solinus tamquam mirabiles, integerrimos cæteriſque virtutibus præditos concelebrant; & Joſeph loco ſupracitato de illis aſſerit, quod Uxores non ducebant. Hinc Sotus loquens de Eſſenorum voto, & Caſtitate ſcribit: *Veritas ex multis Prophetarum exemplis comprobatur; Iſajas nanque, Eliſeus, & Jeremias Caſtitatem obſervarunt*. Et D. Hieronymus ait: *Iſaias, Eliſeus, Jeremias, quampluresque alii à re uxoria ſe prorſus abdicarunt*. Et Solinus ex Plinio inquit: *Ab Occidente littore Eſſeni fugitant, Gens ſola, & in toto Orbe præter cætera mira, ſine ulla femina omni Venere abdicati, ſine pecunia, ſocia palmarum: ità per ſeculorum millia (incredibilè dictu) gens æterna eſt, in quo nemo naſcitur*. Et Porphirius loquens de Eſſenis hæc habet: *A voluptatibus abhorrent tamquam à ſcelere, continentiam, & cupiditatum victoriam virtutis loco adducunt*. Et Volateranus ſcribit: *Omnes primum Veneris expertes, quippe qui remotis à feminis degunt*. Undè Baronius loquens de Virginitatis voto ſcribit: *Magni certè prætii fuiſſe apud eos Virginitatem, jam ſuperiùs cum egimus de Phariſæis ſatis diximus. Laudantur in hac parte apud eos Eſſeni, qui ducentes vitam ſine uxore perpetuæ ſe* (nota pro voto) *continentiæ mancipaſſe*. Nam hoc verbum *mancipare*, ut benè notat Caniſius, idem dicit, ac *vovere*. Quocirca Baronius loco citato nu. 60. loquens de Voto, quo ſe ad obſervandam Caſtitatem ligarunt in lege ſcripta in Eliæ inſtituto Prophetarum filii, aſſerit: *Quid ni præſtaret hoc* (ſcilicet Caſtitatis votum) *juſtus quod Phariſei ad præſcriptum tempus, & Eeſſeni in perpetuum ea ætate obſervabant?* Sentit igitur hic Sapientiſſimus Purpuratus nedum Caſtitatem obſervaſſe, ſed voviſſe. Undè ſi aliqui Eſſeni, ut ſupra diximus, propter generis humani propagationem, ſupernique Numinis cultum uxores ducebant, loquitur Joſephus de aliis

in 4. dist. 30. q. 1. art. 1. de Caſtit. & Voto Eſſenor.
lib. 1. Con. Jovin.
li. 5. hiſt. nar. cap. 17.
in 4. lib. de rerum animat. abſtine. apud Euſeb.
lib. 10. in Celeſyr. & Paleſt.
to. 1. in appar. n. 58.
lib. 1. de Deipara cap. 14.

Digitized by Google

tom.2. de tuẽdo Sacro Cælibatu fo. nobis 74.

aliis Eſſenis; nõn de illis de quibus nos loquimur cum Sanctis Patribus. Et Rubertus Arboricenſis ex relato Joſepho aliiſque probatis auctoribus aſſerit: *Eſſenorum familiam inſignis fuiſſe continentiæ, qualis eſt, qui Ordini monaſtico congruit. Floruerunt autem hujuſmodi inſtituta ante Chriſtum natum annis pluſquam trecentis.* Hoc idem Vaſquez infra referendus perlepidè attingit, aliique quamplurimi tàm moderni, quam antiqui Scriptores eximii. Undè hæc ſufficiant pro Eſſenorum Caſtitatis voto.

lib.2. de bell. udaic. ca.7.

LXXII. Deveniendo ad eorundem Paupertatis votum, ſcribit relatus Joſephus: *Quod divitiarum contemptores ſunt, rerumque apud eos communicatio admirationi habetur; Neque invenies alterum alteri opulentiam præſtare; legemque ſibi dixerunt, ut qui diſciplinam ſuam ſectari vellent, bona contubernio publicarent* (nota ly Contubernio ſæpè ſæpiùs repetito, ut ſupra, à Sanctis Patribus pro Elia, & Eliſeo) *ita enim fore ne vel paupertatis humilitas, vel divitiarum dignitas appareret, ſed permixtis facultatibus veluti inter fratres unum eſſet omnium patrimoniũ.* Et lib. 18. antiquit c. 2. ait: *Inter illos nihil pauperius deſideratur.* Hoc adſtruunt Philo loco citato, & lib. 2. de vita contemplativa. Philiaſtrus in Cathalogo. Niceti Cuniate lib. 1. Theſaur. Orthodoxę fidei cap. 36. Abulenſis quæſt. 113. in c. 3. Mat. Arboricenſis lib. 2. de Sacro Celibatu. Et Serarius in Trihæreſio lib. 3. cap. 4. nu. 10. 11. 13. & 33. aliique quamplurimi. Vndè pariter hæc ſufficiant pro Paupertatis Voto.

de bell. jud. lib.2.

LXXIII. Procedendo igitur etiam ad Eſsenorum Obedientiæ Votum, relatus Joſephus affirmat: *Nihil ſine præcepto faciunt Curatoris.* Item: *Veneratio quoque apud eos magna legislatoris eſt.* Item: *Senibus quoque obedire, & plurium quoque decreto probabile arbitrantur officio.* Hoc idem Philo loco ſupracitato, loquens de Eſſenis adſtruit ſequentibus verbis: *Senioribus juniores debitam curam, honorem, & reverentiã exhibent tanquam germani filii.* Tandem, quia longũ eſſet omnes Scriptorum, & Sanctorum Patrum auctoritates exactam Eſſenorum obedientiã atteſtantes afferre, omnes auctores ſuprarelatos pro Paupertatis, & Caſtitatis Voto poterit quis pro ſuo libito videre, ex quibus clarè colliget in Eſſenis exactum extitiſſe obedientiæ votum. Tum ſic; ſed hæc tria obſervare, & illa Ritibus, & Sacramentis ſupradictis vovere, clarè explicatur, & oſtenditur in Eſſenorum Religione quo ad eſſentiam, & ſubſtãtiam verùm extitiſſe Monachatus ſtatum: Ergo, ut veri Eliæ monachatus religioſique inſtituti ſucceſſores, & hæredes ſua vota emittebant; & ſi irritam aliquis faciebat fidem, pęnas illi taxatas ſubire conabantur; jurabant enim uſque ad ſanguinis effuſionẽ ſe huic divinæ religioni piè operam navaturos eſſe.

LXXIV. Hæc omnia hùcuſque de Eſsenorum votis à nobis cum Sanctis Patribus, eximiiſq; Scriptoribus adducta confirmantur cum Sapientiſſimo Vaſquez; qui verè relatæ ſtuduit materiæ; Tomo enim primo in 3. partem diſp. 124. cap. 3. cujus titulus eſt *apud Judæos virginitas in magno honore habita eſt*, nu. 41. ait: *Ex ipſis verò Judæis, & Gentilibus habemus hujus rei pręclarum teſtimonium. Nam Joſephus lib. 2. de bell. judic. cap. 7. & lib. 18. antiquit. judaic. cap. 2. Plinius lib. 5. hiſtor. natur. cap. 17. & Solinus cap. 36. memoriæ prodiderunt, Eſſenos abſque fæminis, atque omni venere abdicata in communi ſocietate, non quidem cũ ignorantia, & infamia, aut tanquam legis transgreſſores, ſed ſumma cũ laude vixiſſe; Cum in Evangelio multa contra Phariſeos, qui erant alterius ſectæ; contra Eſſenos tamen nihil ſcriptum inveniamus. Et quamvis Cardinalis Baronius tom. 1. annal. ſub anno 64. Chriſti non longè à principio contra Scriptores Gentiles contendat, hanc Eſſenorum Sectam non fuiſſe antiquiſſimam apud Judeos, & forſan ſi poſſet, hoc genus vivendi*

Digitized by Google

vendi ſolis Chriſtianis poſt Chriſtum reſervaret ; *tamen auctoritate Joſephi convictus, non potuit negare eos ante Chriſtũ vixiſſe*; *& ita in apparatu annalium horum exemplo Probat Virginitatem, & Caſtitatem tempore legis antiquæ non vetitam fuiſſe* ; *ſed in magno honore*. Ecce quomodo ex Eminentiſſimo Baronio conſtat, quod tempore Moyſis non erat prohibitum Caſtitatis votum. Ex Vaſquez igitur liquido patet ſtatum Elianum permanſiſſe uſque ad Eſſenos cum tribus votis Obedientiæ ſcilicet, Paupertatis, & Caſtitatis, quoad ſubſtantiam, & Eſſentiam, præciſis ſollemnitate, & poteſtate Clavium. Attamen in ratione ſtatus Religioſi veri, & proprii juxtà ſenſum, quo Sancti Patres docent in ſtatu legis veteris fuiſſe veros Monachos. Quia hoc nomen *Status Religioſus*, ſicut, & *Monachus*, quamvis apud Witcleff, ſit nomen novum, & illud non recognoſcat, niſi poſt tria ſæcula Chriſti, tamen juxta Auguſtinum non eſt nomen novum hoc nomen, *Monachus*, quia ut benè explicat contra Donatiſtas ſciſcitantes ab eo, ubi nomen *Monachi* ſit repertum in Scriptura, ſupra pſal. 132. ſic reſpondet: *Oſtendant Nobis, ubi ſcriptum eſt nomen Agoniſticorum. Sic eos, inquiunt, appellamus propter agonem*. Et infra: *Tamen quia certant dicitis Agoſtiniſticos, & inveniſtis undè appellatis, quia dicit Apoſtolus, bonum certamen certavi. Quare* 1. ad timot. 6.
ergo, & nos non appellamus Monachos, cum dicat Pſalmus, Ecce quam Pſal. 132.
bonum, & quam jucundũ habitare fratres in unum? Monos enim unus dicitur, & non unus quomodocumque, nam, & in Turba unus eſt, ſed unus cum multis poteſt dici. Monos non poteſt niſi unus ſolus, monos enim unus ſolus eſt. Qui ergo ſic vivunt in unũ ut unum hominem faciant, ut ſit illis verè, quod ſcriptum eſt, una Anima, & unum Cor; multa Corpora, ſed non multæ Animæ; multa corpora, ſed non multa corda; rectè dicitur Monos, ideſt unus ſolus. Non ſolitarius, ſed vita Monaſtica, quæ eſt una in ſtatu, & de ipſa prædicatur in corpore, in corde, & anima Monos, ideſt ſolus. ***Repatriet ergo*** (inquit noſter Waldenſis) ***illud in-*** to. 1. doct. Fid.
ſidioſum motivum, non tunc vocati ſunt Religioſi; Ergo non erãt. lib. 3. art. 1. c.
Firmatur enim Religio veritate rei, deficiente quandoque voca- 4.
bulo competente, qua ſatis contra improbos defenſatur. Sed quia confuſo Eccleſiæ inimico qualis eſt Witcleff novam addere confuſionem Chriſtianæ Charitatis partes non eſſe non dubitamus, adeamus D. Hjeronymum eos Monachos audacter appellantem: *Filii* (inquit) *Prophetarum*, to. 1. in Epiſt.
quos Monachos legimus in veteri teſtamento, ædificabãt ſibi Caſulas jux- ad Ruſtic. de
ta fluenta Jordanis, & Turbis Urbium derelictis polenta, & herba agre- Inſtruct. Mo-
ſti victitabant. Et Macharius in ſermone *Fratres Chariſſimi*, clarè Mo- nac.
nachos veteris teſtamenti appellat; Undè Suarez ſcribit: *Eliam, & Eli-* to. 3. de Relig.
ſeum, ac Filios Prophetarum, quos conſtat veraciter veteris teſtamenti cap. 1. nu. 1.
Monachos fuiſſe, imitari curate.

LXXV. At quomodo non vidit Witcleff Prophetam Danielem in trium Puerorum hymno, poſt omnium Creaturarum, memoria recoluiſſe illius temporis perfectorum Religioſos, quos verè extare dignoſcebat in veteri teſtamento à vulgari, & communi cœterorum Religione diſtinctos, eos ſpecialiter exhortans ut Deo benedicerent? Nonnè dicit Daniel: *Benedicite* cap. 3.
Religioſi omnes Deo Deorum, laudate, & confitemini ei, quia in omnia ſecula miſericordia ejus? Et benè eos hortatur in fine hymni, ut per hoc quod præpoſuerat Sacerdotes, & Iſrael, ideſt Populũ, & Ananiam, Azariam, & Miſaelem, & deindè ſubjunxit Religioſos, intelligeretur tales quoſdam ſanctos fuiſſe alios à Sacerdotibus templi, & à vita, & converſatione Populi Segregatos, qui quamvis ab antiquo fuerint inſtituti, numquam tamen fuere uſque ad Eliam publicè, & regulariter congregati, ut benè notat Waldenſis loco ſupracitato. Quomodo ergò perfidus Witcleff audet

Digitized by Google

qui inſigni gratia ornabantur, ut Elias, Eliſeus, Jeremias, cœterique filii Prophetarum nonnulla vota fecerint, aliaque conſilia obſervaverint. Quinimmò oppoſitum foret contra ſuavem, & connaturalem Dei providentiam; Nam ut egregiè docet Angelicus noſter Præceptor: *Non eſt conveniens quod Deus minus provideat his, quos diligit ad ſupernaturale bonum habendum, quam creaturis, quas diligit ad bonum naturale habendum; Creaturis autem naturalibus ſic providet, ut non ſolum moveat eas ad actus naturales, ſed etiam largiatur eis formam, & virtutes quaſdam, quæ ſunt principia actuum, ut ſecundum ſeipſas inclinentur ad hujuſmodi motus. Et ſic motus quibus à Deo moventur fiunt Creaturis connaturales, & faciles, ſecundum illud ſapientiæ 8. & diſponit omnia ſuaviter: multo magis illis, quas movet ad conſequendum bonum ſupernaturale æternum infundit aliquas formas, ſeu qualitates ſupernaturales, ſecundum quas ſuaviter, & promptè ab ipſo moventur ad bonum æternum conſequendum.* Ergò hac gratia ſuffulti Eſſeni, ac Filii Prophetarum poterant moveri ad conſimilia vota Deo dicandum. Cum enim talis gratia etiam daretur Patribus antiquis non eſt dicendum fuiſſe in eiſdem otioſam, ſed exercuiſſe virtutum opera, & quidem egregia in his, quos Scriptura vocat perfectos; atque adeo illos ante ſtatum legis evangelicæ vota obſervaſse, inſigniaque alia virtutum opera exercuiſse, Chriſtum Dominum ut Doctorem, & Auctorem illorum operum, quia illuſtrati fide divina, qua ipſi incorporabantur, cognoverunt eum docturum, & conſulturum fore prædicta opera; volueruntque illa exequi, ut à tanto Doctore, & Auctore approbata; ſicut proportionaliter ſe geſſerunt Apoſtoli, qui oculis, & auribus eamdemmet doctrinam à Chriſto Domino præſenti perceperunt; ſupplebat enim fides in antiquis hujus præſentiæ defectui. Quapropter Alcazar ait: *Vitæ evangelicæ exemplum in nullo alio Prophetarum ita extat, atque eminet, ut in Elia, cujus vita non tam ex veteri teſtamento Prophetam, quam ex novo, virum planè apoſtolicum redolet.* Et ſimilia de Jeremia, Eliſeo, & quibuſdam valdè perfectis proferunt Philaſtrius lib. de Hæreſibus, hæreſi 61. Gliſſerius in cap. 35. Jerem. & alii: Ergò non obſtat, quod ſi gratia Dei eſt eadem in quocumque ſtatu, Eſseni, ac filii Prophetarum ſimplicibus votis Religioſum Eliæ inſtitutum ſecuti ſint.

1.2.q.110.ar. 2.

cap.11. Apoc. verſ.3.

LXXVII. Eſsenos per tot ſęcula ante Chriſti nativitatem, & paſſionem monaſticam Eliæ vitam profeſsos fuiſse à tempore Concilii facti poſt captivitatem Babilonicam á Propheta Egeo, Zaccharia, & vetuſtioribus Rechabitis, à quibus Collegium, & Congregatio Eſsenorum, ſeu Aſſideorum originem ſumpſit, clarè inſinuat Magiſter Sotus loco ſupracitato. Et Joſephus, & Solinus referunt: *Ante Chriſti adventum Eſſenorum Collegium in deſerto Judaę more noſtrorum Anacoretarum Sanctiſſimam degiſſe vitam, ab Vxoribus prorſus, & ab omni femineo conſpectu remotiſſimā, quorum inſtitutum, ſecutus eſt Joannes Baptiſta: Vndè quamvis nullam aliam habuiſſet Beata Virgo revelationem, exemplum in ſua gente haberet Virginitatis colendæ.* Intellige ly exemplum modo, & formà nobis ſupra explicatis. Quod autem hoc monaſticum Eſsenorum inſtitutum ab Elia acceptum, & ab eo fundatum, uſque ad adventum Chriſti, & ultra ſine aliqua interruptione perduraverit, in dieſque floruerit clarè conſtabit cum de ininterrupta Eliani inſtituti ſucceſſione uſque ad præſentem diem ſuo loco dicemus.

LXXVIII. Sed antequam deveniamus ad Joannem Baptiſtam, qui ut conſtat ex relatis ſapientiſſimo Soto, & egregiis Scriptoribus Joſepho, & Solino Eſsenorum inſtitutum ſecutus eſt, ut etiam fuſius infrà conſtabit, aliqua præmittenda de Emerentiana Virgine, quę floruit ſiculo antecedenti ad Chriſti Nativitatem, congruum ducimus, ut clarius conſtet Elianum

inſti-

inſtitutum ab Eſsenis amplexatum uſque ad Chriſti Nativitatem ininterrupta ſucceſſione perduraſse, Deumque Carmeli Eremitis, ac Monachis peculiares contuliſse gratias. Petrus enim Dorlandus Carthuſianus gravis, & doctus Auctor, ut ipſius ſcripta apud Poſsevinum: *In apparatu ſacro littera P. demonſtrant*: Et qui teſte eodē Poſsevino anno 1490. in vivis erat: *In lib. de Vita S. Annæ*: Quem ex theutonico idiomate vertit Badius, & habetur in fine *libri de Vita Chriſti* Lodulphi de Saxonia etiam Carthuſienſis cap. 1. ſic de Emerentiana ſcribit: *Appropinquante plenitudine temporis, qua per Filium ſuum Deus humanum genus redempturus erat, Septuaginta ſeptem, ut D. Cyrillus Carmelita ait ante Divini Verbi Incarnationem annis, floruit in Judea Virgo quædam generoſiſſima ex David ſtyrpe nata, dives admodum, mirequè formoſa, optimè morata, valideque cordata, ac ſpei de redemptione Iſrael refertiſſima. Quæ cum Parentum venia filios Prophetarum in Carmelo viſitare ſolita, ab eiſdem moribus, & prudentia, ac ſanctitate plurimum illuſtrabatur, donec jam matura Viro jam plenis nubilis annis, matrimonio ad generis propagationem à parentibus optimis, & prudentiſſimis ex veteri inſtituto addiceretur. Quibus tamen Virgo caſtis colloquiis imbuta, virginalique vitæ aſſueta, animo deſtinato primum refragata rem ad Carmelitas retulit. Qui in jejunio, & oratione Deum conſuluerūt, donec eorum tres in ſpiritu rapti, radicem videre pulcherrimam, geminam ex ſe arborem emittentem, è quarum altera natus eſt ramus ſpecioſiſſimus tria diffundens ramalia; è quorum primò longè decentiſſimo natus eſt flos puriſſimus, atque fragrantiſſimus, odore Cælum, ac terram perfundens optimo. E reliquis quoque prioris arboris ramalibus flores nati ſunt, ſi ſeorſum ſpectentur, pulcherrimi, ſed ad primi floris comparationem nihil. Ex altera vero arbore orta eſt Virga ſanè pulchra, pulchriorem producens florem, nec tamen primo comparabilem. Hac radice ſic viſa, audita eſt ſimul vox dicens: Hæc radix eſt Emerentiana noſtra magnæ Propagini deſtinata. Qua re intellecta, Virgo Deo, & Parentibus obediens, Stolano viro juſto & Deum timenti nupſit.* Et Joannes Palæonydorus Batavus Dorlando fermè Coetaneus, & inter Carmelitici Ordinis Hiſtoricos valdè cœlebris ſic de hac re loquitur: *Scribit etiam Beatus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in lib. de Ortu Beatiſſimę Marię Virginis, quem poſt habitum Concilium Epheſinum miſit Cæleſtino Papæ I. quomodo ante Chriſti Nativitatem Virgo Emerentiana Deo devotiſſima ex Civitate Bethlehem frequenter conſuevit cum ſua Genitrice Viros Sanctos in Monte Carmeli viſitare. Quæ licèt animo ſuo continentiam conſervare ſtatuerit, tamen Parentum voluntate, & divina poſtmodū revelatione, ac ordinatione ex conſilio Carmelitici Montis tunc Eremitarū Dei oraculum conſulentiū Stolano viro fuit matrimonio juncta. Poſt hæc peperit Sanctiſſimam Annam Dei Genitricis Mariæ Matrem, & Eſmeriam Matrem Eliſabeth Uxoris Zachariæ Patris Joannis Baptiſtæ.* Hoc idem & diffusè refert Guillelmus Pepinus Doctor Pariſienſis, clariſſimi Prædicatorum Ordinis egregius Alumnus: *In tom. concionum de Sanctis Serm. 2. de Sancta Anna.* Quod ex quodam antiquo libro Bibliothecæ Vallenſianenſis Ordinis Prędicatorum extraxiſſe fatetur queſticula 3. Joannes de Robles Canonicus regularis in Vita Sanctæ Annę. Joannes Carthagena minorita tom. 4. hom. lib. 7. hom. 1. Silveſter Marulus Ciſtercienſis in Oceano Relig. lib. 4. Honuphrius Maneſcalcus tom. 4. Concion. in Concion. Beatę Marię de Monte Carmeli. Didacus de Coria in Cronic. Carmelit. lib. 2. cap. 13. Thomas de Jeſu de antiquit. Carmel. lib. 1. cap. 15. Franciſcus Vaertius in lib. cui titulus Giardino de teſori ſpirituali della Religione Carmelitana. Emmanuel Roman. in Indice alphabetico de antiq. Ord. Mugnoz in Propugnac. Elię lib. 2. tit. 1. cap. 3.

de antiquit. & Sanctim. eremit. mont. Carm. lib. 1. cap. 5.

ar.

Digitized by Google

art. 3. Laurentius Coperus lib. de Vita S. Annæ, & alii; Quibus omnibus addimus teſtimonium Petri Morales inter celebres Societatis Jeſu Scriptores, nobilis Auctoris. In Commentariis enim in Matthæum cap. 1. lib. 1. tract. 6. Sic ſcribit: *Conceptio Sanctiſſimæ Annæ fuit divino munere à Deo revelata quibuſdam Sanctis viris religioſam vitam in Monte Carmeli agentibus, ut refert Petrus Dorlandus Carthuſianus in tractatu, quem de noſtraGlorioſiſſima Anna compoſuit, & habetur in fine vitæ Chriſti à Ludolpho Senenſi etiam Carthuſiano deſcriptæ. Inquit enim Dorlandus, Annam noſtram filiam fuiſſe Stolani, & Emerentianæ Sanctorum Conjugum, & quod Emerentiana procreata fuit (ſecundum Sanctũ Cyrillum) anno ſeptuageſimoſeptimo ante Incarnationem Chriſti, quæ ſemper in maxima Religione, & virtutum ſplendore, Caſtitatis, & Virginitatis precipuè vitam geſſit, quoadusque convenit Religioſos viros in Monte Carmelo habitantes, qui poſt longam jejuniorum, & orationum præparationem debitam, tres eorum in ſpiritu rapti viſionem hujuſmodi acceperunt. Radicem videre pulcherrimam geminam ex ea arborem emittentem, e quarum altera natus eſt ramus ſpecioſiſſimus, ex altera verò Arbore nata eſt Virga ſanè pulchra, pulchriorem producens fructum, & florem. Hac radice ſic viſa, audita eſt ſimul vox dicens: Hæc radix eſt Emerentiana noſtra magnæ propagini deſtinata. Quare intellecta Virgo, Deo, & Parentibus obediens, Stolano viro juſto, & Deum timenti nupſit. Ex quo matrimonio, & ex radice Emerentianæ duæ frugiferæ arbores prodiere: Altera fuit Sobe, Mater Sanctæ Eliſabet, & Avia Præcurſoris Baptiſtæ; altera verò arbor ſpecioſior, noſtra glorioſiſſima Anna, Mater Sanctiſſimæ Deiparæ Mariæ, & Chriſti Avia.* Conſtat igitur his præclariſſimorum Scriptorum teſtimoniis ex D. Cyrilli auctoritate deſumptis ſeptuaginta ſeptem annis ante Chriſti nativitatem in Carmeli Mõte Eliani Inſtituti Monachos ininterrupta ſucceſſione perduraſſe, Sanctamque Emerentianam eos frequentèr adiiſſe, ſuiſque in nuptiis conſuluiſſe.

LXXIX. Exortâ indè illo eodẽ ſæculo ex Emerentianę radice glorioſiſſima Anna, & ex ea Deipara Virg. Chriſti Salvatoris puriſſima Genitrice, Carmeli Montis vicinitate, & Sanctitate, ac priſcorum Prophetarum, qui ibi commorati ſunt, & à quibus in nubecula parva præviſa fuerat, devotione allecta, eum quandoque viſitavit, ſanctumque illum Montem ſua nõ tàm decoravit, quàm conſecravit præſentia, ut colligitur ex verbis Joannis de Cimineto, qui loquendo de Virgine Deipara, ſic ſcribit: *Ipſa enim perſonalitèr in ipſo Sancto Mõte Carmeli cum Sanctis Virginibus, & Religioſis ejuſdem loci frequentèr dicitur habitaſſe, tum propter Sanctitatem loci, & devotionem ibidem habitantium, tum propter vicinitatem locorum.* Et ex egregio Doctore omnibus noto Baptiſta Mantuano ſic in Apologia pro Carmelitis affirmante: *Quoniam Mons Carmelus erat Sanctitatis nomine diffamatiſsimus, accedebant illuc frequentèr, cum vacabant ex vicinis locis Religionis amatores viri, ac mulieres, & præſertim cum Matre, Virgo parvula, & jam adulta, & cum viris illis Sanctiſsimis tantam familiaritatem contraxit, ut quoties poterat, vel ad eos accederet, vel eos ad ſe accerſiret, ſubminiſtrans etiam eis ſecundum facultates multa neceſſaria, erant enim Pauperes, ac mendici, contemplationi divinorum penitus addicti.* Hinc gravis Auctor Arnoldus Boſtius de Sacra hujuſmodi Carmeli, Carmelicolarumque viſitatione per Angelorum Reginam facta loquens, Monachorumque Eliani Inſtituti illius temporis invidens, ſic fatur: *Fœlices illi, & planè fœlices, multumque Beati, quos tam Sublimis, Superpiiſſimæque Matris Conſpectu, affatu, Conventu, benevolentiſſima dignatione, tam favorabili complacentia, familiarique Contubernio frui licuit, ac moribus, virtutibus, & exemplis*

in tract. ſpecul. Ordinis cap. 4.

lib. de Patron Virg. cap. 1.

tam

Digitized by Google

tam virtuoſiſſimæ Dei Cultricis inſtrui (Cujus omnis actio virtus fuit, & ſermo doctrina) ſua honeſta, & Virginali facie firmari, per quam, & ipſa tacente omnis virtutis exemplaritas loquebatur, quos ab olim ſibi dicatos acceptavit placidè, ſicut ubiq; jam inter ſui titulos affixit, & tāquam ſub alis cæleſtem illam militiam comprehendit. Quot putes gratiarum munera, quot Sanctitatis exempla (cum ex convictu formentur mores) quot flores gaudii multiplicis ex horto deliciarum tàm redolentiſsimo, à fonte tàm vivido; à Religionis Magiſtra perfectiſsima, ab omnis modeſtia, virtutis, & honeſtatis ſpeculo relucentiſsimo ſacri illius temporis Carmelitæ dignoſcuntur hauxiſſe? Si vel uno ingreſſu Mariæ, ad Eliſabeth in ipſo ſalutationis occurſu tantus venit profectus gratiæ, ut infantis necdum nati anima liquefieret, in motum exultationis erumperet, eique gratanter occurreret ſervitio dulciori, quem virginali ſubſtantiæ perſenſit infuſum, repleretur inſuper Spiritu Sancto Mater infantis ac revelatione ſecretorum, & actu prophetandi donaretur; quantum putamus uſu multi temporis fratribus Carmelitis Beatiſsimæ Mariæ cōtuliſſe præſentiam, tam fælix, & amoroſum intemeratæ Virginis Conſortium, Sanctificium, & divinitùs afflatum Charitatis ejus alloquium? Cujus ipſa Corporis ſpecies (teſte Ambroſio) Simulacrum fuit mentis, & figura probitatis.

LXXX Inter alia mira, quibus Deiparæ Virginis Sanctitas hoc tempore, quo in templi ſacris ædibus cum aliis Sodalibus habitans, emicabat, illud erat, quod Virginitatem ſuam Deo ex voto modo ſupra explicato conſecraſſe, Summo Templi Pontifici indicaſſe credatur, & quod is ea re cognita prophetici Ordinis Profeſſoribus, qui tunc Jeroſolimis erant Eſſenis videlicèt, ſeù Aſſidæis, qui propter ſpecialitatem devotionis erga Dei cultum veluti Templi familiares perſepè eum alloquebantur, Sāctum Virginis Deiparæ propoſitum manifeſtaverit. Cum verò ipſi utpotè in Eliana Schola educati animadvertiſſent id, quod quaſi per manus traditum à majoribus tenebant, videlicèt Virginem illam per Eliæ Nubeculam deſignatam, eam futuram, quæ inſtar Eliæ votum Virginitatis emiſſura, & Verbum Incarnatum enixura eſſet, ſtatim cogitare cœperunt Adventum Chriſti jam propè, & in januis fuiſſe. Quæ omnia cum

lib. de Inſtit. Monac. cap. 34.

aliis concernentibus Joannes 44. Patriarcha Jeroſolymitanus, doctè ſatis in ſenſu preſertim allegorico perſtringit ſequentibus verbis: *Quemadmodum hac Nubecula (ſcilicet Beata Virgo Maria) in ſeptima generationum prædictarum ætate fuit nata, ita etiam in eadem ſeptima ætate fuit à Diſcipulis Eliæ viſa in Carmelum Spiritualitèr aſcendere. Nam antequam decem generationes aſcendiſſent à Melchi, à quo ætas una incepit fuerunt edocti Profeſſores hujus Religionis in Jeruſalem à Summo Templi Pontifice, quod Beata Maria Virginitatem Deo ſervare propoſuerat, &c.* & infra: *Interpretatur autèm Carmelus Scientia Circumciſionis, ad quam ſcientiam ille precipuè aſcendit, qui ita ſcit præputium impudicitiæ à ſua Carne, & mente circumcidere, ut non ſolum ſe ab illicito Carnalis cogitationis cœno alienum per Caſtitatem reddat, verū etiam ab omni impudicæ voluptatis experimento ſe immunem per Virginitatem cuſtodiat, &c.* & tandem infra: *Ad Montem quoque Carmeli, ideſt ad hanc altā Circumciſionis Sciētiam Nubecula illa ſcilicèt B. Maria aſcendebat.* Ex quibus omnibus conſtat ante Chriſti Incarnationem in lege veteri Sacrum Eliæ Inſtitutum, quod Eſſeni amplexati fuere in interrupta ſucceſſione continuaſſe, cum illis à Templi Pontifice, Deiparæ Virginis Caſtitatis Votum fuerit manifeſtatum; Et cum Deipara Virgo Carmeli incolas Montis vicinitate, & illorum Monachorum devotione allecta, ſuis Sanctiſſimis Colloquiis, ac Sacratiſſima præſentia non tàm decoraret, quàm conſecraret, conſtat etiam ex eo quod anno ante Chriſtum

ſtum natum quadrageſimo, degentes in Monte Carmelo Eſſeni ſub gubernio cujuſdam dicti *Ephreuus* magnæ virtutis Vir conſignavit, ac edidit Sanctæ Emerentianæ D. Annæ Matris vitam, ut teſtatur Simlerus, & Frigius in additionibus ad Bibliothecam Geſneri bibliopolæ apud Suricum anno 1583. ſequentibus verbis: *Ephreuus vir pius, ac futurorum præſcius ſub Antipatro Judæorum Rectore Carmelum Phenicia Montem inhabitans, à Diſcipulis rogatus Emerentiæ mulieris Dominæ Annæ Matris vitam litteris mandavit lib. 1. claruit anno 40. ante Chriſtum natum.* Aſſerentes paritèr, quod nomen pius ab Eſſenis, Ethimologiam duxit, qua de cauſa, quia Manahem erat Eſſenus, ejus Collegium fuit ab Herode liberatum, & exemptum à juramento: *Eſſenos* (inquiunt) *qui de Collegio Piorum erant à juramento exemit.*

LXXXI. Et quia relatus Solinus loquendo de Eſſenorum Inſtituto, dixit: *Quorum inſtitutum ſecutus eſt Joannes Baptiſta*, inveſtigandum venit quo tempore, & à qua ejusdem Joannis Baptiſtæ ætate tale amplexatus ſit inſtitutum; & ut veritatem attingere valeamus, adeamus quæſò Angelicum Præceptorem, ejuſque doctrinas tamquam mentis noſtræ duces, ac luminaria anteponamus. Hic chariſſimus Magiſter hanc nobis doctrinam præbet: *Dicendum* (inquit) *quod Summum in vita humana poteſt accipi dupliciter. Vno modo ſecundum Comparationem ſtatus ad ſtatum, Secundum, quod in humana vita unus ſtatus eſt major alio, & aliquis eſt Summus, & ſic nihil prohibet, aliquem fieri repentè Summum, & hoc apparet tàm in Spirituali, quàm in Seculari; inveniuntur enim aliqui ſtatim à pueritia ad ſtatum Religionis, qui eſt perfectiſsimus convolaſse, vel proprio arbitrio, ſicut Beatus Joannes Baptiſta, & Beatus Benedictus, &c.* Ergò ex D. Thoma habemus Joannem Baptiſtam Præcurſorem Domini antequam Chriſtus cæpiſſet prædicare ſuam legem aſſumpſiſſe Religionis ſtatum. Ergò juxta D. Thomæ doctrinam ante legem evangelicam fuit verus Religionis ſtatus, in quo vixit Sanctus Joannes Baptiſta. Et ſi quis voluerit relegare à tali ſtatu monaſtico D. Joannem Baptiſtam, pari etiam ratione debet etiam relegare à Religionis ſtatu S. Benedictum: Ergò ſi Joanni Baptiſtæ ante legem evangelicam hanc Deus conceſſit monaſtici inſtituti inſpirationem, cur erit impoſſibile aliis etiam donaſse in lege antiqua? Et quamvis verum ſit Joannem Baptiſtam fuiſse poſtea à Chriſto baptizatum, non per hoc infertur, quod in lege veteri religioſum Eſſenorum Inſtitutum, ab Elia fundatum non acceperit, utpotè de ipſo prædicatur, quod venerit in Spiritu, & virtute Eliæ, & in corporis Caſtitate.

quodlib. 5. ar. 21. ad primū.

LXXXII. Joannem Baptiſtam à pueritia relatum amplexatum fuiſſe Religionis ſtatum oſtendit D. Gregorius Niſſenus; libro enim de Virginitate cap. 6. ad noſtrum intentum ſequentia refert: *Ob eam cauſam* (inquit) *magnus in Prophetis mihi videtur Elias, & is qui poſtea in ſpiritu, & virtute Eliæ in vitam venit, quo ſanè in natis mulierum nemo major exortus eſt. Quæ porrò de ipſis narratur hiſtoria, & ſi quid aliud obſcurè, illud tamen maximè indicat, quod vitæ rationem docet, ut qui ſe contemplandis rebus, quæ minimè ſub aſpectu cadunt ſe dedit, hic ab humanæ vitæ conſuetudine alienus fiat, ne hujuſmodi fraudibus, quæ ſenſibus concipiũtur addictis perturbatione, atq; mentis errore in illius judicio afficiatur, quod revera bonum eſt. Hi ambo ab adoleſcentia ſeſe ſtatim ab humanæ vitæ conſortio removerunt. Cum enim potionis, atque cibi, qui cæteris ad vitæ ſuſtentationem eſt datus deſpicientia, dum vita, quam in ſolitudine egerunt, ſe quaſi à natura alienarunt inſtituto, ut vel aures obſtruſas, neque in ſublimi loco poſitas haberent, oculorumque obtutu, & guſtatu ſimplici eſſent, & ad nullam rem parato; nimirum cum neceſſitatem victus ex quibuſvis rebus, quæ utrique obviam fierent*

fierent, ſanè explerent: *Quamobrem ab externis perturbationibus remoti in ſumma vitæ tranquillitate; atque otio ſeſe conſtituerunt, indeque ad tantam divinorum munerum altitudinem elati ſunt, quantam hæc de utroque commemorat oratio*. Et D. Ambroſius loquens de illis, qui vitam monaſticam, ſeu eremiticam exercuerunt, inquit: *Hinc illi preceſſerunt Viri Elias, Eliſeus, Joannes, Eliſabeth, qui pelliceis tunicis, & caprinis exuviis induti; inopes, atque egentes, anguſtiis, & doloribus afflicti in ſolitudinibus errabant inter alta, & condenſa montium, invia rupium, ſpeluncarum horrida, fovearum vadoſa, quorum converſatione dignus Orbis terrarum non erat*. Quibus verbis planè conſtat inter antiquos eremitas, & prophetici Ordinis Cultores, de quibus intelliguntur verba Pauli ad Hebr. 11. Eliſabetham cum Joanne inter ipſorum Collegium recenſere: Undè Salianus ſcribit: *Eliſabetham Beatæ Virginis Cognatam referunt Auctores idonei, cum infantulo Joanne in Eremum profugiſſe; eam declinantem carnificinam, quam immanis Tyrannus adverſus Innocentium infantium exercebat, ibique denique defunctam*. Quibus auctoritatibus clarè patet Joannem Baptiſtam ex relato Religioſorum Eſſenorum fuiſſe Collegio. Et quod Joannes fuerit verè Religioſus oſtenditur pariter ex Angelico Præceptore; Inquirens enim utrum Religioſis liceat ſæcularia tractare negotia, cum pro parte negativa tertium propoſuerit argumentum, fundatum in auctoritate Divi Hjeronymi, affirmantis non licere, ſatisfaciens eidem argumento reſpondet: *Quod frequentare Palatia regia propter delicias, vel gloriam, non competit Religioſis, ſed ea adire propter pias cauſas competit*: *Undè dicitur 4. Reg. 4. quod Eliſeus dixit ad Mulierem Sunamitidem*: *Numquid habes negotium, & vis ut loquar Regi, ſeu Principi Militiæ? Similiter competit Religioſis adire Regum Palatia ad eos arguendos, vel dirigendos ſicut Joannes Baptiſta arguebat Herodem, ut dicitur Matt. 14*. Tunc ſic, D. Thomas probat exēplo Eliſei licere Religioſis adire Palatia Regum propter pias cauſas: Ergò ſentit quod Eliſeus, qui vixit ante legem evangelicam fuit verè, & ſubſtantialiter Religioſus, aliter ſi non fuiſſet verè talis non probaret exemplo Eliſei licere Riligioſis propter ſimiles cauſas Regum adire Palatia. Sicut ſi pro matrimonio contrahendo inquireretur an Religioſis liceret ipsū contrahere, & reſponderet, quod liceret Eremitæ, qui Religioſus verè non eſt, inutiliter, & inefficaciter probaret. Itidem hoc eodem tenore loquitur de Joanne Baptiſta, ac de Eliſeo: Sed juxta Angelici Præceptoris ſententiam Joannes Baptiſta eſt verè Religioſus uti Benedictus: Ergò & Eliſeus.

lib. 1. Epiſtol. Epiſt. 82. ad Vercel. Eccl. propè mediū.

tom. 14. ann. ſub ann. 3124 nu. 7.

2. 2. qu. 117. ar. 2.

LXXXIII. Confirmatur ex eodem Doctore, qui inquirens, utrum Religioſis liceat vilioribus veſtibus uti quam cœteri utantur, & argumentis interpoſitis, pro parte negativa reſpondens, ait: *Sed contra eſt, quod ad Heb. 11. Apoſtolus dicit, circuierunt in melotis in pellibus caprinis ut Elias, & alii*: Sed Joannes Baptiſta vilioribus uſus eſt veſtibus: Ergò angelicus Præceptor recognovit in Elia verum Monachatum, & ſtatum Religioſum, alias inutili probaret exemplo. Nec valet ſi dicatur, quod argumentum *ſed contra*, non ſemper propriam continet ſententiam, ſed locum relinquat ad aliam tertiam eligendam; nam licèt hoc verum ſit, tamen argumenta negativa, & affirmativa, & reſolutio, & ſi diverſa concludant, nihilominus verſantur circa idem ſubjectum, circa quod eſt controverſia: Ergò cum ſubjectum quæſtionis propoſitæ ab Angelico Præceptore ſint verè Religioſi, ut patet ex contextu, & littera, exemplumque conſtituat in Elia, ſequitur ex mente D. Thomæ, Eliam Prophetam fuiſſe verè Religioſum, præcipuè cum ipſe ſanctus Doctor in corpore articuli, teneat ſemper ſententiam argumento *ſed contra* propoſitam, in Eliæ exemplo firmatam, quam præcipuè ſupracitatum Apoſtoli locum illuſtrat

2. 2. qu. 107. ar. 6.

lectione

Digitized by Google

lectione 8. in qua relatis illis verbis *circuierunt in melotis, &c.* inquit: *Et dicuntur de Elia 4. Reg. 1. quod erat Vir piloſus, & Zona pellicea accintus renibus.* Et D. Auguſtinus loquens de talibus veſtibus aſſerit: *Quod poteſt eſſe in tali veſte intentio mala, ſi quis utatur ad vanam gloriam, bona autem ſi ad contemptum mundi, & macerationem carnis. Præcipuè autem qui profitentur ſtatum pœnitentiæ debent oſtendere ſigna profeſſionis, & ideò licet eis uti talibus veſtibus, non tamen ad oſtentationem, & ſic utebantur Prophetæ. Quantum autem ad ſtatum perſonæ, dicit, Egentes, quia carebant divitiis, in quo præfigurabat ſtatum perfectionis novi teſtamenti, de quo dicitur Matt. 19. ſi vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ poſſides, & hoc fuit ſpecialiter ab Elia.* Quibus verbis non obſcurè demonſtrat Eliam Obedientiæ, & Paupertatis ſtatum profeſſum fuiſſe, atque adeò verè Religioſum extitiſſe, quia carētia temporalium nec ſolitariè ſumpta, nec voto firmata verū conſtituit Monachorum ſtatum, niſi aliis aſſocietur votis, eis verò adjuncta verum conſtituit monachatus ſtatum. Et ſi aliquis illis verbis *in quo præfigurabant*, interpretari voluerit Angelicum Præceptorem ſolummodò innuere voluiſse in veteri lege religioſæ. perfectionis figuram fuiſſe, non verò realitatem ejuſdem; ipſi reſpondere non omittemus optimè cohærere, quod ſtatus Eliæ, & ſuorum filiorum præfiguraverit in veteri teſtamento perfectionem legis evangelicæ, & quod paritèr ſimul fuerit in ſe, & verè Religionis ſtatus, ut patet in fide, juſtitià, & gratia à nobis ſupra relatis, quæ licèt ſint figuræ in lege veteri, & repreſentent perfectionem Fidei, Juſtitiæ, & Gratiæ novi teſtamenti, nihilhominus paritèr in ſe ſunt verè, & propriè virtutes. Ut etiam patet in merito antiquorum Patrum, Martyrio Machabeorum, gratia adoptionis, ac etiam in Eccleſia, quæ ante tempus legis evangelicæ erat vera Eccleſia ſecundum eſsentiam, & ſubſtantiam, & quamvis illa fuiſset figura Eccleſiæ legis evangelicæ, erat nihilhominus in ſe verè, & propriè Eccleſia, licèt Synagoga diceretur. Et quamvis Witcleff, uti refertur in Concilio Conſtantienſi, recognoſceret Venerabilem Waldenſem ipſius errores detexiſſe, diluiſſe, & acritèr oppugnaſſe, quo motivo frequentèr apud ſuos clamabat: *Cavete à Carmelitis*, in eodem ſenſu, quo Waldenſis illum refutat ſequentes in præſenti Angelici Præceptoris mentem, concedimus, & affirmamus verè, & propriè in Elia, Eliſeo, Rechabitis, Eſſenis, & Joanne Baptiſta ſtatum monaſticum; & ſicut Sanctus Doctor Præcurſorem Domini, ut verum recognoſcit Religioſum ante Apoſtolos, & legem evangelicam, præciſa ſolemnitate, poteſtate Clavium, aliis privilegiis, quæ modo ſunt, ità & nos talem ſtatum in lege ſcripta concedimus, non ortum ducere ex ipſa lege, aut ex illius viribus, ſed ex conſiliis evangelicis per gratiam Dei, & lumen fidei in Chriſto venturo prævisis, eaque vota obſervata in aliquibus fuere per gratiam datam mediante fide in Chriſtum docentem, & prædicta conſilia conſulentem in lege gratiæ, & hoc modo homines illa Conſilia obſervantes ad legem gratiæ pertinebant, ut docet Angelicus Præceptor ſequentibus verbis: *Sic illi, qui in veteri Teſtamento Deo fuerunt accepti per fidem, ſecundum hoc ad novum Teſtamentum pertinebant; non enim juſtificabantur, niſi per fidem Chriſti, qui eſt Auctor novi Teſtamenti.* Hoc idem teſtatur Sanctus Doctor, inquiens: *Quod differentia præteriti, & futuri non contingit ex aliqua diverſitate rei creditæ* (nota ut Angelici Præceptoris mens nulli lateat cum ſupra relatis ex D. Paulo, Auguſtino, Sacræ Paginæ Textibus, aliiſque Sanctis Patribus) *ſed ex diverſa habitudine Credentium ad unam rem creditam.* Et 3. part. qu. 8. art. 3. ad tertium aſſerit, quod *Patres antiqui pertinebant ad idem Corpus Eccleſiæ, ad quos nos pertinemus.* Vndè D. Auguſtinus inquit: *Lex tua ſcripta eſt in Cordibus hominum,*

lib. de ſerm. Domini.

1.2.q.106.ar.2.ad tertium.

2.2.q.1. ar.7. & q.4. ar.6. ad ſecundum.

lib.2.confeſſ.

num,

num, quam nec ulla iniquitas delet? Et relatus D. Thomas inquirens
1.2.q.103.ar. 3.ad tertium. uſque ad quod tempus lex ſcripta duraverit, his verbis ſatisfecit: *Myſterium Redemptionis humani generis completum fuit in Paſſione Chriſti; Undè tunc Dominus dixit, Conſũmatum eſt, ut habetur Joan. 19. & ideò tunc totalitèr debuerunt ceſſare legalia, quia jam veritate eorum conſummata. In cujus ſignum tẽpore Paſſionis Chriſti velum templi legitur eſſe ſciſſum, Matt. 27. & ideo ante Paſſionem Chriſti, Chriſto prædicante, & miracula faciente, currebant ſimul lex, & Evangelium; quia jam myſterium Chriſti, erat inchoatum, ſed non conſummatum. Et propter hoc mãdavit Dominus leproſo, ut legales ceremonias obſervaret*. Et 1. 2. qu. 98. art. 1. ad primum hoc idem confirmat in reſponſione his verbis: *Dicendũ quod jugum legis ſervari non poterat ſine gratia adjuvante, quam lex non dabat, dicitur enim ad Rom. 9. non eſt volentis, neque currentis, ſcilicèt velle, & currere in præceptis Dei; Undè in Pſal.* 118. *dicitur Viã mandatorum cucurri cum dilataſti Cor meum, ſcilicet per donum gra-*
li.3.con.duas. Epiſt. Pelagia cap.4. *tiæ, & charitatis*. Undè D. Auguſtinus ait: *Abſit ut Noë juſtum, & prioris temporis juſtos ad ſupernam Jeruſalem, quæ Mater noſtra eſt, & libera, pertinere negemus, quod apertè teſtatur Paulus ad Gal.* 4. Ergò quamvis lex ſcripta non juſtificaret, tamen dona gratiæ, & charitatis dilatabant corda illorum fidelium; ideſt quamvis præceptã ceremonialia gratiam non conferrent, per quam homines à peccato mundarentur, tamen per gratiam, & fidem, & charitatem juſtificabantur: Ergo in veteri Teſtamento ſicut ambulabant per fidem ad juſtificationem, ita poterãt ambulare per conſilia, quæ non erant in illa lege impoſſibilia, vt vidimus, & conſequentèr ambulare in via Obedientiæ, Paupertatis, & Caſtitatis per votum, cum talia vota non eſſent in tali lege impoſſibilia.

LXXXIV. Veniamus jam ad novum Teſtamentum. Suarez referens ver-
tom.3. de Relig.lib.3. cap. 1.nu.1. ba Macarii loquentis de Monachis ſui temporis, ſic ſcribit: *Veniamus ad Monachum novi Teſtamenti Joannem ſcilicet Baptiſtam, qui propter Sanctitatem, & munditiam à Domino vocatus eſt Angelus: Hic ab Angelo in Spiritu, & virtute Eliæ Dominum præcurſurus prædicatur, & ab ipſo Domino de eo dicitur, ſi vultis ſcire Joannes ipſe eſt Elias. Quorũ exemplo Fratres chariſſimi in Ordine Monaſtico, quem ſectari cæpiſtis, debetis ſollicitè curare, ut ab eorum recto tramite, ideſt* (nota) *monaſtica vita nullatenus recedatis, quos ſecuti ſunt Paulus Antonius &c.* Et Hjeronymus ſæpè relata Epiſt. 13. ad Paulinum, quæ eſt de Inſtit. Monach. *Nos autem inquit habeamus propoſiti noſtri Principes, Paulos, Antonios &c. & ut ad Scripturarum Authoritates redeamus, noſter Princeps eſt Elias &c.* Et in Epiſtola ad Ruſticum ait: *Filii Prophetarum, quos Monachos in veteri teſtamento legimus, ædificabant &c.* Ex quibus auctoritatibus inquirens eximius Suarez an Sanctus Hjeronymus fuerit verè,
tom.3. de Relig.lib.8.cap. 7.nu.17. & propriè Religioſus, reſpondet: Nemo autem credo negabit Sanctum Hjeronymum fuiſſe verè, ac propriè Religioſum, cum ipſe multis aliis locis, præſertim verò Epiſt. 13. ad Paulinum dicat: *Nos autem habeamus* (nota) *Propoſiti noſtri Principes Paulos, Antonios, &c.* Ex quibus ſic argumentatur, Divus Hjeronymus dicit Principem Propoſiti ſui fuiſſe Antonium: ſed hic fuit verè, & propriè Religioſus: Ergò & Hjeronymus; quæ conſequentia nullius eſſet roboris, ſi ſequens argumentatio nõ eſſet vera, & propria, videlicet, D. Hjeronymus dicit Principem ſui inſtituti eſſe Eliam; Sed hic non fuit verè Monachus: Ergo nec Hjeronymus. Sed illa conſequentia eſt recta doctiſſimo Suarez: Ergo hæc: Hjeronymus verè, ac propriè Monachus Principẽ habuit Eliam: Ergo Elias verè, & propriè fuit Monachus Carmelitis, erit infirma? Nequaquam cũ conteſtus idem ſit, & verba ſimilia ſint. Aut igitur infertur Hjeronymum fuiſſe, & non fuiſſe verè Monachum, aut fateri neceſsè eſt Eliam verè,

& pro-

Digitized by Google

& propriè extitiſſe Monachum, ne ſimilis interpretatio illuſoria D. Hjeronymi verba reddere intendat; quam conſequentiam an ſit legitima poteſt inferre, & attentè cognoſcere quilibet Theologus ex verbis Divi Macarii.

LXXXV. Confirmet totum hoc ex Divo Hjeronymo à nobis relatū D. Iſidorus Doctor Hyſpanus jàm ſupra à nobis citatus: *Undè autem* (inquit) *ad Monachos ſtudium effluxerit paupertatis* (voluntariæ ſcilicet, & monaſticæ, de quo loquitur, & non de paupertate purè à natura indita, ſed liberè electa) *vel quis Monaſticæ converſationis auctor extiterit? Quantum attinet ad auctoritatem veterum ſcripturarum, hujus Propoſiti Princeps Elias, & diſcipulus ejus Eliſeus fuerunt, ſivè alii Prophetæ qui babitabant in ſolitudine, Urbibuſq; relictis faciebant ſibi caſulas propè fluenta Jordanis. Hujus denique Propoſiti in Evangelio Joannes auctor extitit, qui Eremum ſolus incoluit; locuſta tātum, & agreſti melle nutritus. Jàm deniq; progeniti ſunt converſationis hujus nobiliſſimi Principes Paulus* (Ecce Eliæ, & Joannis Baptiſtæ Vitæ imitatores) *Antonius, Ilarion, Macarius, cæterique Patres.* Et Joannes Jeroſolimitanus inquit: *Hic Propheta Dei Elias Monachorum Princeps primus extitit, à quo ſancta eorum primæva inſtitutio ſumpſit exordium.* Et ut benè noſter Corneyus: *Per imitationem in alijs, ſucceſſione verò hæreditaria in Carmelitis.* Et Divus Petrus Damianus ſcribit: *Hujus vitæ normam, ut anteriora prætercam, Elias cæpit, Eliſeus verò aucto diſcipulorum Collegio dilatavit.* Et Rupertus Abbas ad illa verba *Capilli tui ſicut greges Caprarum*, inquit: *Hæc dixit, & hæc fecit ille* (Elias videlicet, de quo loquitur) *primus auctor, & inſtitutor eorum, qui dicti ſunt Filii Prophetarum, quos fuiſſe Monachos in veteri teſtamento, conſentit auctoritas Patrum venerabilium.* Et Bernardinus Caſſinenſis ait: *Attende benè, quod in veteri teſtamento Elias, & Eliſeus Monachorum inventores extiterunt.* Joannes Caſſianus rerum monaſticarum Sapientiſſimus, ſic ſcribit: *Itaque Monachum, ut militem Chriſti in procintu belli ſemper poſitum, accinctis lumbis jugiter oportet incedere; hoc enim habitu illos ambulaſſe, qui in veteri teſtamento hujus profeſſionis fundavere primordia Eliā ſcilicet, & Eliſeum divinarum Scripturarū auctoritate demonſtratur.* Et alii quamplurimi, quos quilibet videre poterit apud Salmanticenſes tom. 7. tract. 20. de Statu Religioſo diſp. 3. dub. 7. §. 4. Sylveiram, & alios de hac materia tractantes. Ex relatis igitur auctoritatibus clarè patet Monachos, & Religioſos legis evangelicæ ſecutos eſſe per imitationem Eliæ, Eliſei, Filiorum Prophetarum, Rechabitarum, & Eſſenorum Inſtitutum; Carmelitas verò hæreditaria ſucceſſione ſine aliqua interruptione, ut infra patebit.

lib.2.de orig. offic.cap.13. — *lib. de Inſtit. Monac. ad Capraſium c. 2.* — *tom. 1. opuſc. 15. de orig. vitæ monaſt. c. 2* — *in expoſit. Regulæ D. Benedicti.* — *lib. 1. de inſtit Monac. c. 2.*

LXXXVI. Accedat pariter Eminentiſs. Baronii hoc idem affirmantis teſtimoniū, qui loquens de Monachatu, ſic ſcribit: *Erat quidem in Oriente ſummum illud vivendi genus inſtar Eliæ, & Joannis Baptiſtæ cunctis hominibus etiam Etnicis, & Imperatoribus venerandum.* Et anno Chriſti 31. contra Magdeburgenſes, ſequentia refert: *Eo* (inquit) *devenerunt ſtultitię, vel potius iniquitatis, ut malint corrumpere verbum Dei, & Joannis vitam otiosè, & deliciosè infamare, quam monaſticam ab eodem Joanne dimanantem vitam in Eccleſia Altiſſimi defixam radicibus Evāgelica atteſtatione, ut ſubripi, aut evelli unquam poſſit adſtipulari, vel profiteri velle.* De quo Monachiſmo, & Religione loquatur Baronius pro illo tempore, judicet Theologus benevolus, dum dicit ad inſtar Eliæ, & Joannis Baptiſtæ. Non erat igitur in primo ſæculo apud Baronium impoſſibilis, licèt nomine Carmelitæ illam non expreſſerit; quamvis alias clarè conſtet Eliam in Monte Carmeli Monachum fuiſſe, & Joannem in Jordane, in quo Prophetarum Filii ſub Eliſeo denuò Montis Carmeli Religio-

tom.4.ad ann 340.n.80.

Digitized by Google

4.Reg.6. ligionem dilatarunt, juxtà illa verba à nobis ſupra relata: *Eamus uſque ad Jordanem, & tollant ſinguli de Silva Materias ſingulas, ut ædificemus nobis ibi locum ad habitandum*. Itidem Joannes frequenter à Patribus nominatur Monachus, & Religioſus, in ſpecie à D. Chriſoſtomo hom.1.in Mar. Caſſiano collat. 18. cap. 6. D. Thoma, aliiſque quampluri-mis, quos omittimus brevitatis cauſa, cum de his ſufficienter ſupra. Et ſolum addimus Divum Gregorium Niſſenum, & aliā Divi Bernardi auctoritatem. Nam Sermone de Privilegiis Joannis Baptiſtæ loquens, ſic ait: *Joannes ætatis ſupergreſſus infantiam* (alii ſcribunt à Pueritia, & ab Adoleſcentia) *& nobilioris generis generoſitatem oblitus, ſolum vacabat Divinitati, factus forma vitæ Monachorum propoſitum, Anachoretarum principium, totius Religionis aſſertio*. Igitur ambigendi non eſt locus, quod Joannes fuerit verus Monachus, ac Religioſus.

LXXXVII. Qualis inde fuerit Joannis vita, quodvè ſecutus ſit inſtitutū,
Cap.2. clarè explicat D. Lucas, qui loquendo de Joanne Baptiſta, Domini advētus Præcurſore ait: *Ipſe precedet ante illum in ſpiritu, & virtute Eliæ*. Et Divus Hjeronymus, & Suarez addunt: *Etiam in Corporis Caſtitate*. Quibus verbis eundem Spiritum fuiſſe in Elia, & Joanne Baptiſta probant Sancti Patres; & primo D. Hjeronymus relatus in Catena D. Thomæ, qui ſupra illud Matt. 11. *Elias ergo Joannes dicitur*, inquit: *Elias ergo Joannes dicitur, quod juxtà aliud teſtimonium Evangelii venerit in ſpiritu, & virtute Eliæ, & eandem Spiritus Sancti, vel gratiam habuerit, vel menſuram, ſed & vitæ auſteritas, rigorque mentis Elias, & Joannes pares ſunt*. Hoc idem adſtruit D. Thomas inquiens: *Sed quid*
ſup.cap.1.Jo-lect.12. *eſt hoc quod dicit Joannes, non ſum ſcilicet Elias, cum Chriſtus dixerit Matth. 11. Ipſe eſt Elias? Hanc autem queſtionem ſolvit Angelus Lucæ 1. ipſe præcedet ante eum in Spiritu, & virtute Eliæ, in ſuis ſcilicet operibus, quia ſcilicet ſimilitudinem Eliæ in ſuis operibus oſtendebat*. Et poſt pauca addit: *Fuiſſe ſimiles quantum ad vivendi modum*. Hoc idē
ſerm.88.de S. Joanne Bapt. aſſerit D. Petrus Chriſologus, his verbis: *Joannes ergo Eliæ venit in Spiritu, & in ejus virtute graditur, quia totum victu, veſtitu, honore, caſtitate, abſtinentia, & omnibus Eliam virtutibus repreſentat*. Hinc Divus Hjeronymus loquendo de Elia, & Joanne, inquit: *Quorum habitus, ſermo, vultus, inceſſus, doctrina virtutum eſt*. Et Caſſianus inquit:
t.1.in Epiſt. ad Ruſt. lib.1.de inſtit Monac.c.1. *De inſtitutis, ac regulis Monaſteriorum dicturi, undè competentius, donante Domino, quam ex habitu Monachorum ſumemus exordium? Quorum interiorem cultum conſequenter tunc poterimus exponere, cum exteriorem ornatum ſub oculorum depinxerimus obtutibus*. Et ſequitur: *Hoc enim habitu etiam illos ambulaſſe, qui in veteri teſtamento profeſſionis hujus fundavere primordia, Eliam ſcilicet, & Eliſeum, divinarū Scripturarum auctoritate monſtratur*. Et ulterius ſequitur: *Quorū prior, qui in veteri teſtamento Virginitatis flores, jam & Caſtimoniæ, continentiæque prefigurabant exemplum* (intellige relatè ad legem gratiæ cū realitate virtutis obſervatæ) *cum fuiſſet à Domino miſſus ad increpandos nuncios Ochoziæ ſacrilegi Regis Iſrael; decumbenti Regi expoſita veſtitus qualitate, compertus eſt. Reverſos ad ſe nuncios, ac referentes ſibi Prophetæ ſententiam, ſciſcitatus eſt, cujus eſſet figuræ, & habitus vir ille, qui occurriſſet eis. Vir inquiunt piloſus, & Zona pellicea accintus renibus. Ex quo habitu confeſtim Rex Contemplatus hominem Dei, ait, Elias Theſbites eſt; Zonæ videlicet indicio, & hirſuti, incultique Corporis ſpecie, virum Dei indubitanter agnoſcens, eo quod iſtud ei inter tot Iſraelitici populi millia commoranti, Cultus proprii, velut quoddam impreſſum ſpeciale ſignum perpetuò cohæreret*. (Nota dicit Waldenſis, quod Doctor appropriationē habitus prophetici deſignat ſegregati ab habitu Populi, cum dicit, *inter tot millia velut quoddam impreſſum ſpeciale*

ciale ſignum. Et quod ipſum ſine variatione ſervavit, cum dicit: (*Quod ſicut ſpeciale ſignum perpetuò cohereret*.) Inde Caſſianus deſcendens ad Habitum Joannis Baptiſtæ ſubjungit: *De Joanne quoque, qui veteris, novique teſtamenti velut quidam Sacratiſſimus limes, finis initiumq; proceſſit, ità Evangeliſta narrante cognoſcimus. Ipſe* (inquit) *Joannes habebat veſtimenta de pilis Camelorũ, & Zonam pelliceam circa lumbos ſuos*. Hoc idem etiam affirmat Dioniſius Cartuſianus exponens illa verba: *Elias jam venit*, inquiens: *Elias jam venit, non perſonaliter, ſed equivalenter, videlicet alius in ſpiritu, & virtute ejus*. Quomodo intelligendi ſunt Evangeliſtæ, quando dicunt, quod Elias venit, ideſt Joannem in ſpiritu, & virtute Eliæ veniſſe aſſerunt? In perſona enim veniet in ſecundo Chriſti advẽtu, juxtà Malachiam, Apocalypſim, Sanctos Lucam, & Matthæũ. Hinc loquẽs de Joanne Enricus Helmeſius, ait: *Joannes ergo non eſt Elias in perſona, quia non idem homo. In Spiritu Elias fuit, propter ſimilitudinem operationis, paritatem officii, & conformitatem converſationis*. Et tandem Aubertus Mireus concludit: *Omnia quippè capita hęc in cœnobiis laudatiſſima, ſic in eo Propheta* (Elia videlicet) *ſplenduerunt, ut Joanni Baptiſtę laude Chriſtus verterit, imagine Elię ad vivum expreſſiſſe, quaſi animi ſuſpenſio, herenlus, aſperitas, caſtimonia, inopia, cętereque monaſtici inſtituti notę, quibus Joannes claruit, totidem Elię dotibus armonicè conſentirent. Conſtat igitur, ſimillimos in officio, zelo, prędicatione, ſanctitate, & fuiſſe, & fore Eliam, & Joannem, quocirca unus ſortitur nomen alterius*; Ut benè explicavit Cornelius à Lapide ſupra Malachiam cap. 4. verſ. 5.

Matt. 17. — *Serm. 3. Dom. 3. Advent.* — *in lib. de orig. ord. Carmelit. n. 6.*

LXXXVIII. Ex his igitur Sanctorum Patrum, & Interpretum auctoritatibus planè conſtat Joannem Baptiſtam fuiſſe verè, & propriè Monachum, cum vitam ſolitariam duxerit ad ſimilitudinem, & in ſpiritu Eliæ, & ex eo quod Sancti Patres ipſum abſolutè appellant Monachum, & Monachorum Principem; ſed etiam ex Scriptura conſtat Eliam Vitam duxiſſe ſolitariam, & Patres illum abſolutè vocant non tàm Monachum, quàm Monachorum Principem: Ergò redit quod prius, Eliam ſcilicet verè, & propriè non tàm Monachum fuiſſe, quàm Monachorum Principem. Quod Joannes Præcurſor Chriſti Redemptoris in ſpiritu, & virtute Eliæ præcederet, vitamque monaſticam, ſeu heremiticam ab Elia inſtitutam aſſumeret, neutiquam tacuit D. Lucas Evangeliſta; Nam cap. 1. de illo loquens, ait: *Puer autem creſcebat, & confortabatur, & erat in Deſertis*. Undè Jacobus de Vitriaco ſic ſcribit: *In ſolitudinibus Jordanis Joannes Baptiſta fugiens hominum turbas, ut liberius vacaret Deo ab annis puerilibus delituit*. Et D. Ambroſius ſcribit: *Cum ergò venit ſacri plenitudo temporis, fuit ad dictos Monachos* (nota ly dictos Monachos, ſupponit enim jam Monachos extitiſſe, eorumque inſtitutum Joannem aſſumpſiſſe) *in deſerto miſſus homo ille à Deo, cui nomen erat Joannes, monaſticæ uitę ab Elia inſtitutę Cultor eximius*. Et D. Bernardus ait: *Antiqua hęreditas Eccleſię Dei eſt à tempore Prophetarum pręmonſtrata. Jamque novę gratię ſole exorto in Joanne Baptiſta inſtaurata, & renovata* (nota ly inſtaurata, & renovata, denotat enim jam ab antiquo fundatam fuiſſe, ac extitiſſe) *& ab ipſo Domino Jeſu Chriſto familiariſſimè celebrata, & ab ejus Diſcipulis, ipſo pręſente, concupita*. Hoc idem Philippus Abbas Jeropolitanus affirmat, inquiens: *Miſerunt Judęi ab Jeroſolimis Sacerdotes, & Levitas ad Joannẽ Baptiſtam habitantem cum Carmelitis Confratribus ſuis in propè fluenta Jordanis*. Et tandem Joannes 44. Patriarcha Jeroſolimitanus ſic aſſerit: *Hic Joannes venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Prębit enim antefaciem Domini parare vias ejus. Factum eſt autem Verbum Domini per Joannem habitantem in deſerto juxta fluenta*

in lib. Hiſtor. Oriẽt. & Occi. cap. 53. — *Ad Vercellen. cap. 14.* — *ſup. Jo. 1.* — *Cap. 33. de inſtitut. monac. ad Capraſiũ.*

 Jorda-

Jordanis, ubi prediĉti Religioſi filii Prophetarum manebant. Propter hoc & alii in heremis terrę ſanĉtę habitantes, fuerũt tunc à Sanĉto Joanne eorum Duce, ſicut cœteri de Populo baptizati. Cum ergò voce prçconis intellexiſſent Dei Filium preſentem eſſe in mundo, quem diù videre totis prçcordiis cupiebant, volebant eidem inſeparabiliter adhçrere. Conſtat igitur ex his Sanĉtorum Patrum auĉtoritatibus, Joannem Baptiſtam Præcurſorem Domini monaſticum Eliæ inſtitutum aſſumpſiſſe, renovaſſe, & inſtauraſſe, & cum ſufficienter viſum ſit in illo ſtatu Prophetarum filios, Eſſenos, &c. perpetuam Caſtitatem, Paupertatem, & Obedientiam, in quibus conſiſtit eſſentia, & ſubſtantia veri, & proprii ſtatus monaſtici Deo dicaſſe, & voviſſe; ſequitur verè, ac propriè in lege veteri talem extitiſſe ſtatum, illumque à Joanne Baptiſta fuiſſe aſſumptum.

LXXXIX. Quod autem Joannes monaſtici Eliani inſtituti ſeĉtator, inſtaurator, & innovator fuerit in lege gratiæ, Monachorum, ac Eremitarum Princeps, clarè demonſtrat Bellarminus, inquiens: *Denique Joannem Baptiſtam Monachorum, & Eremitarum Principem fuiſſe ferè omnes Patres affirmant.* Hoc etiam teſtatur D. Chriſoſtomus ſequentibus verbis: *Sacerdotum Principes ſunt Apoſtoli, ſic Monachorum Princeps Joannes Baptiſta.* Hoc idem adſtruunt Hjeronymus, ad Euſtochium de ſervanda Virginitate. Caſſianus Collat. 18. cap. 6. Sozomenus lib. 1. hiſtor. cap. 12. Iſidorus lib. 2. offic. c. 15. D. Bernardus in ſerm. de Excell. Joannis Baptiſtæ, & relatus Chriſoſtomus ſic clarè loquitur: *Conſiderate Monachi dignitatem veſtrã, Joannes Princeps eſt veſtri Dogmatis. Ipſe Monachus.* Hoc idem Iſidorus Peluſiota, maximè autem Joannes Jeroſolimitanus id aſſerit ſequentibus verbis: *Succeſſores igitur illorum Sanĉtorum Prophetarum qui ſicut diĉtum eſt in eremo Montis Carmeli, & in ſolitudinibus propè fluenta Jordanis, ac in aliis deſertis, & in Urbibus Terrę promiſſionis habitabant, ab ipſis Prophetis incunĉtanter traditum (ut prçmittitur) tenebant Chriſtum pro humani generis redemptione incarnandum, moriturum, & glorioſè reſurreĉturum, quem ex totis eorum præcordiis deſiderabant, & ſperabant venturum. Quos ſicut Deus per Eliam, & cœteros ejuſdem propoſiti Prophetas inſtruere de Adventu Chriſti futuro dignatus fuit; ità etiam, & de præſentia Chriſti in Mundo per ejus Præcurſorem eos doceret, diſpoſuit, quod diĉtus Præcurſor ſic ante Chriſtum in Spiritu Eliæ, & virtute præcederet, ut jam in ſua præſentia monaſticam eorum vitam eremiticam, ab Elia Propheta inſtitutam aſſumerent. Quod nec Lucas Evangeliſta ſiluit, inquiens, Puer autem creſcebat, & confortabatur ſpiritu, & erat in deſertis. Notãdum autem, quod ait Lucas in deſertis, quia Joannes tàm in deſertis ſolitudinis Jordanis, ſicut filii Prophetarũ, quàm in deſertis Montium latuit, ſicut Elias, & Eliſeus.* Ergò ex his Sanĉtorum Patrum auĉtoritatibus conſtat Joannem Baptiſtam fuiſſe in lege gratiæ Monachorum Principem, cum dicat Chriſoſtomus ſupra relatus: *Sacerdotum Principes ſunt Apoſtoli, ſic Monachorum Princeps Joannes Baptiſta.* Ex quibus verbis conſtat ſolùm fuiſſe Principem in lege evangelica, ſicut in eadem lege Apoſtoli fuere Sacerdotum Principes, cũ quo ſtat, quod in lege veteri fuerint veri Sacerdotes, & Monachi.

lib. 2. de Monac. c. 5.
Hom. 1. in Marc.
Epiſt. ad Paul 13.
in hom. ejuſd. Joan.
lib. 1. Epiſt. 5. ad Nilum.
lib. de Inſtit. monac c. 18.

LXXXX. Ex eo autèm quod Joannes Baptiſta Monachus, & Monachorũ Princeps nuncupetur, benè infert Suarez, eum non ſolùm Virginalem vitam duxiſſe, ſed illam etiam ex voto Deo conſecraſſe; hoc enim ad veram monaſtici ſtatus rationem requiſitum eſſe apud omnes pro certo habetur; Et ex eadem Monaci, & Monachorum Principis appellatione, aliorum votorum Obedientiæ ſcilicèt, & Paupertatis profeſſorem fuiſſe pari jure dicendum eſt, cum ratio monaſtici ſtatus hæc omnia ſibi eſſentialitèr vindicet. Ex quo etiam magis firmatur id, quod diximus, Joannem ſcilicèt intèr Eliæ, Eliſei, & filiorum Prophetarum Aſſeclas connu-

merari

Digitized by Google

merari. Immò ſi ex Evangelii textu rem intimiùs examinare voluerimus, facilè dignoſcemus Joannem Præcurſorem Domini Diſcipulos habuiſſe, adeoque Monachorum Principem meritò appellari. Nam Matt. dicitur, quod *acceſſerunt Diſcipuli Joannis ad Chriſtum dicentes quare nos, &c.* Item Marci dicitur: *Et erant Diſcipuli Joannis, & Phariſei jejunantes, &c.* Clariùs tandem D. Lucæ legitur: *Quare Diſcipuli Joannis jejunant frequentèr, &c.* Ex quibus Scripturæ teſtibus clarè patet Joannem Baptiſtam Præcurſorem Domini ſui inſtituti, quod amplexatus fuerat ſequaces habuiſſe Diſcipulos, adoque jure meritò Monachorum legis evangelicæ Principem nuncupari. Ergò ut in lege gratiæ pergere valeamus, cõcludendum eſt quod Joannes Baptiſta fuerit verè, & propriè Monachus, & quod Eliæ, Eliſei, filiorumque Prophetarum, ac Eſſenorum inſtitutum in Caſtitate, Obedientia, & Paupertate ſecutus fuit, in quibus ſtatus monaſticus eſſentialitèr, ac ſubſtantialitèr conſiſtit. Quocirca examinandum venit utrum in Legis evangelicæ primordiis, hujuſmodi Eliæ inſtitutum adhuc viguerit, incrementaque ſuſceperit, & an uſque ad præſens tempus, adjectis tamen ſolemnitatibus, Clavium poteſtate, & uſu indulgentiarum, & privilegiorum continuare non omiſerit. *cap.9.ver.14.* *cap.2.n.18.* *cap. 5.n.33.*

LXXXXI. Cum igitur legi Chriſti nihil perfectionis deeſſe poſſit, in omni enim legis ſtatu ſuam contulit perfectionem, etiam Monachorum ſtatum, ac perfectorum Religionem in naſcentis Eccleſiæ primordiis approbare decrevit, juxtà illud Pauli ad Primevos Gentis hebræorum credentes: *Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum, contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei.* Et cap. 13. *Jeſus Chriſtus heri, & hodie, ipſe & in ſæcula.* Item ad Rom. 3. *Juſtitia Dei per fidem Jeſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum, non enim eſt diſtinctio; Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei. Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per Redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem poſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ per remiſſionem præcedentium delictorum.* Et Apoc. 13. dicitur: *Agnus occiſus ab origine mundi.* Quæ verba explicans Angelicus Præceptor ait: *Non autem hoc dicitur, quaſi ſit alius, & alius Spiritus; ſed quia idem eſt Spiritus Sanctus, qui in quibuſdam facit timorem ſervilem quaſi imperfectum, in aliis autem facit amorem quaſi quoddam perfectum.* Ne igitur contemplationis gratia deeſſet Eccleſiæ viros contemplativos, quos incenſio Spiritus Sancti inſtituit ipſa complevit, & perpetuitatis donum ſub corruptibili lege filiis Jonadab promiſſum per illa verba: *non deficiet vir de ſtirpe Jonadab in conſpectu meo cunctis diebus*, non per carnalem copulam, ſed per Spiritualem generationem, æterna futuræ proximæ Chriſti fidei ſucceſſione percepit, ut affirmat Apoſtolus illis verbis: *Æternum Sacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech, ſolum impletum in Chriſto.* Et Religio monaſtica, quæ in agris, & eremis prius extabat, cæpit eſſe in templo, & eremitica Joannis Baptiſtæ Religio in evangelicam, & cœnobiticam tranſiit, diſcipulique ejus, quorum Princeps fuit, Catholicæ fuere incorporati Eccleſiæ, ut legitur in prima lectione ſecundi Nocturni Officii Commemorationis ſolemnis à Sac. Rit. Congreg. pluriès approbati, & à Summis Pontificibus confirmati illis verbis: *Viri plurimi, qui veſtigiis Sanctorum Prophetarum Eliæ, ac Eliſei inſtiterant, & Joannis Baptiſtæ præconio ad Chriſti adventum comparati fuerant, rerum veritate perſpecta, evangelicam fidem confeſtim amplexati ſunt.* Non enim prima illa Religio fuit exhauſta, & evacuata, ſed tranſiit cum ſua Eſſentia, & Subſtantia ad majorem perfectionem in lege evangelica, in qua Chriſtus peculiarem Religionem ſuperadditam vulgari inſtituit, ſine qua Religione vulgari nemo poteſt ſalvari, licèt ſine illa peculiari poſſint quamplurimi, *ad Heb.12.* *lect.3.ad locũ Pauli circa finem.* *ad Hebr. 7.*

 uti

uti defacto ſalvantur, quia hæc nempè vulgaris continet præcepta evangelica, divina, & naturalia; illa verò peculiaris Religio Chriſti ſuperaddita vulgari continet etiam conſilia expreſsè, & explicitè, quæ tantum erant implicitè per fidem in lege veteri, licèt in aliquibus eſſent etiam expreſsè vi peculiaris inſtinctus Spiritus Sancti, quo fuere à Deo illuminati.

XCII Et ne dicat impius Witcleff, *quidam eliciunt ex ſigno triplici, quod eſt diabolica diviſio, in legis Sectis. Primo ex hoc quod carent fundatione in rationibus vivacibus, vel ſcriptura, & quod vel oportet negare Deitatis Chriſti Omnipotentiam, ac omniſcientiam, vel dicere, quod cauſa neceſſitatis inducendi iſtos Ordines, uti ſunt* (inquit) *Religioſorum Ordines, qui adventitii ſunt, aut factitii à puro homine, & maximè ut ſint inter ſe profeſſione diſtincti, vel patebat in rationibus, aut latebat in theſauro Diaboli per tempus, quo regnaverat Jeſus Chriſtus.* Ne inquam tam diſſona, & ſacrilega proferat, reſpondemus cum Waldenſi, perfectorum Religionem eſſe fundatam à Jeſu Chriſto à tempore quo regnavit, & hùcuſque regnat, & regnavit à ligno, & regnabit uſque in æternum, & ultrà. Et primo, quod Religioſorum Ordines non ſint adventitii, & factitii à puro homine, oſtendit à paritate ordinis Diaconatus, & cæterorum Ordinum, qui non ſunt adventitii, & ab hominibus factitii, ſed inter ſe diſtincti. Undè alii ſunt Diaconi ſimplices, Archidiaconi alteri, Subdiaconi, Clerici, Sacerdotes, Plebani, & Parochiarum Rectores. Et quod Religioſorum perfectorum Ordines fuerint à Chriſto facti, & approbati, & non ab hominibus in primordiis legis evangelicæ, conſtat; Nam & ipſi Apoſtoli in unum convenere cœnaculum, juxtà præceptum Domini Lucæ ult. *Petrus, & Joannes, Jacobus, & Andreas, & cæteri Apoſtoli.* Et omnes iſti ſecundum illud Act. 1. *erant perſeverantes unanimitèr in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Jeſu, & fratribus ejus cum cætera hominum turba ſimul ferè centum viginti, &c.* Quod confirmat egregius Hyſpaniarum Doctor D. Iſidorus inquiens: *Primum Monachorum genus eſt cœnobitarum, ideſt in communi viventium, more Sanctorum illorum, qui temporibus Apoſtolorum in Jeroſolimis vendita, & diſtributa omni ſua ſubſtantia indigentibus, habitabant in Sancta Communione vitæ, non dicentes aliquid proprium, ſed erant illis omnia communia, & anima, & cor unum in Deum. Horum igitur inſtitutione Monaſteria ſumpſere principia.* Chriſtus igitur qui nunc regnat, regnauit à ligno, & in æternum regnabit Dominus, perfectorum Religionem fundavit, ut viva voce, & ratione probat Auguſtinus inquiens: *Sub lege quidem non erat, ſicuti illi, qui ſervilitèr eam operabantur, ſed tantum in lege Dei, & Chriſti. Non enim alia eſt lex iſta, & alia lex Dei, uti perfidi Manichæi arguebant, legem veterem aliam à lege Dei.* (Dicebant enim Manichæi loquendo de Chriſto, quod nova lux erat orta Judæis, ideſt nova lex diſtincta à lege Dei) *quia lex Dei nova* (inquit Auguſtinus) *quam attulit Chriſtus, ipſa eſt lex Dei. Non enim alia erat lex Chriſti, & alia lex Dei, ſicut perfidi Manichæi ſolent dicere.* Sic nec eſt alia Religio Auguſtini, alia Eliæ, alia Benedicti, alia Chriſti, ſicuti perfidi Witcleffiſtæ blaſtemare ſolebant. Diviſus eſt ergò Chriſtus? Numquid Elias, vel Auguſtinus crucifixus eſt pro vobis? Aut in nomine Eliæ in profeſſione veſtra ſecundum gradum in Baptiſmo abluti eſtis? Forma quæſtionis eſt Pauli: *Ego ſum Pauli, ego ſum Apollo, ego ſum Cephæ.* Numquid ſicut Witcleff audire inſtat Carmelitam dicere, ego ſum Eliæ intuitu prophetico Matris Dei; aut Monachum: Ego Benedicti, ego Auguſtini, ego Dominici. Diviſus eſt ergò Chriſtus? Recognoſcat Witcleff, quod Sacerdotes omnes fundantur generalitèr in evangelio, qualitèr Religioſos perfectos neſcit ibi fundaſſe. Quid ad hæc dicemus? Diviſus eſt

tract. de contrar. duor. Dominor. c. ult.

tom. 3. de Sacramentali tit. 9. cap. 83.

lib. 2. de offic. cap. 15.

lib. de opere Monac. c. 11.

1. ad Corinth. 1.

ergò

ergò Chriſtus? In verbo igitur Pauli unuſquiſque noſtrum adiiciat: *Si quis confidit ſibi Chriſti ſe eſſe, cogitet hoc iterum apudſe, quod ſicut ipſe Chriſti eſt, ita & nos*. Hoc in noſtro propoſito dicit Paulus ad illos, qui famam Apoſtolatus ſui decolorabant in Populo, quod non à Chriſto, ſed ab hominibus factus eſſet Apoſtolus. Et hoc idem argumentum facimus & Nos cum Waldenſi contra Witcleffiſtas. Recognoſcat igitur Witcleff, quod utraque lex eſt Chriſti, & ex inſtitutione Chriſti, ſicut hæc ſtella, & illa, quæ item differũt claritate. Et quinq; millia hominum, qui diſcubuerunt per centenos, & quinquagenos omnes in una Chriſti menſa, refectionem acceperant, nec aliquis ſic reficiendò menſam refecerat ſibi, aut multiplicaverat ſibi panem. Sic paritèr Religioſorum Conventus ſub uno Magiſtro Chriſto diſcubitus eligunt ſub remiſſiori regula per quinquagenos, aut per centenos ſub regula arctiori: Sed ſivè hi, ſi illi, videlicet ſive Auguſtini, ſive Dominici, ſive alterius inſtituti, qui peculiares habent Conſtitutiones, omnes ſunt ſub una Chriſti regula. Quilibet in conſenſu Eccleſiæ de manu Chriſti accipit vitæ regulam, & nullus ſibi conſtituit. Audiamus Paulum loquentem pro ſtatu Religioſorum perfectorum tàm in lege veteri, quàm in lege Chriſti, cum utraque ſit Chriſti, & Dei, nè Manichæus dicat lex vetus, ideſt Dei, alia eſt à lege Chriſti, cum utraque ſit Chriſti, & ex inſtitutione Chriſti. Audiamus inquam Eccleſiæ Doctorem ſequentia ſcribentem: *Nolo enim vos ignorare fratres quoniam Patres noſtri omnes ſub Nube fuerunt*, nota ly Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, *& omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſè baptizati ſunt in nube, & in mari, & omnes eandem eſcam Spiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum Spiritualem biberunt: bibebant autem de Spiritali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus*. Ecce igitur quomodo Chriſtus eadem eſca, eadem vita, eodem fõte, ac petra refecit fratres, eoſque vivificavit tàm in lege veteri, quàm in lege gratiæ, quia omnes fratres de manu Chriſti accipiunt eandem vitam ſub una regula Chriſti.

2. ad Corinth. 10.

1 ad Corinth. 10.

LXXXXIII. Audiat ſimiliter Witcleff Scripturæ textus, ex quibus recognoſcere valeat peculiarem Chriſti Religionem in Evangelii Conſiliis fundatam, ut ſciat non eſſe à puro homine factitiam, ſed à Deò homine dimanantem. Audiat in primis illud Matthæi Conſilium: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes*. Numquid Chriſtus hoc dixit ante quam Apoſtoli Petrus, & Andreas paupertatis votum Deo voverent? En igitur in Chriſto fundamentum Paupertatis votum. Quis caſtitatem de tertio genere Eunuchorum, qui ſeipſos caſtraverunt propter Regnum Cœlorum, conſiliavit? Nonnè Chriſtus qui dixit: *Quis poteſt capere capiat?* Et non quis poteſt facere ſibi faciat? En pariter in Chriſto fundatũ Caſtitatis votum. Quis dixit: *Qui vult poſt me venire abneget ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam, & ſequatur me?* Quis dixit: *Venite poſt me, & faciam vos fieri Piſcatores hominum?* Nonnè Chriſtus? Et en tũdem Obedientiæ votum. Quomodo ergo negare audet impius Witcleff ſtatum monaſticum à Chriſto fuiſſe fundatum, ſi omnia votorum conſilia Chriſtus dedit, in quibus ſimul ſumptis, & unitis Obedientia; *ſcilicet ſequere me, venite poſt me, & ſecuti ſunt eum*. Paupertate, *vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*, & demum Caſtitate in illis verbis: *Qui ſe caſtraverũt propter Regnum Cælorum*: Conſiſtit vetus ſtatus monaſticus quoad eſſentiam, & ſubſtantiam? Tunc ſic, ſed hæc omnia amplexati ſunt Apoſtoli, & Evangeliſtæ: Ergo ſi in illis peculiaris perfectorum Religio conſiſtit, & hæc omnia diſpoſuit Chriſtus Dominus, ſequitur ipſum fundaſſe, & inſtituiſſe in Lege Evangelica perfectorum Religionem: Ergo ex Scriptura liquet, Chriſtum Dominum perfectam vitam monaſticam inſtituiſſe, & fundaſſe. Immò non ſolum Religioſorum perfectionem in Chriſto Jeſu quis inveniet, ſed etiam elemoſynas,

cap. 19.

Matt. 19.

Matt. 16.

Matt. 4.

Digitized by Google

nas, prædicationes, hymnorum cantus, hoſpitalitatem, ſilentium, & noctis vigilias comperiet. Et inſuper omnia pietatis opera, omneſque tàm præſentium, quam futurorum Religioſorum poſſibiles perfectiones inveniet; ità ut extra Chriſtum nullum peragere quidqvam valeat, ſed ab ipſo quodcumque accipere debeat. Undè Waldenſis concludit: *De plenitudine nos omnes accipimus, & Chriſto ſemper aſſirmante, quis poteſt capere capiat, qui non poteſt capere ardua, ſaltem ſi vis ad vitam ingredi ſerva mandata.* Recognoſcat igitur Witcleff vulgarē vitam à Chriſto inſtitutam per hæc Scripturæ verba: *Si vis ingredi ad vitam ſerva mandata*, & peculiarem Perfectorum Religionem ab eodem inſtitutam ex relatis conſiliis ex Scriptura adductis.

XCIV. At quia reſpondere præſumit Witcleff: Si omnes eſtis de peculiari Chriſti Religione, cur non omnes eſtis ejuſdem Religionis præcisè? Ideò ipſi obiicere non omittimus; ſi omnes ſunt de Religione vulgari Chriſti, quare alii ſunt Apoſtoli, alii Evangeliſtæ, alii Doctores, ſecundum Divum Paulum? Nonnè in eadem Univerſitate omnes ſunt graduati, & tamen omnes non ſunt ejuſdem gradus præcisè? Quare igitur etiā omnes Monachi non erunt ejuſdem Religionis peculiaris Chriſti, quamvis non ſint ejuſdem inſtituti præcisè? Audiat igitur D. Bernardum, quid circa hoc ſcribat: *Sicut itaque* (dicit Sanctus) *multæ illic manſiones in una Domo* (loquitur de Cœlo) *ita hic Ordines multi ſunt in una Eccleſia. Et quomodo hic diviſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus, ita ibi diviſiones gloriarum, ſed una domus. Porrò unitas tàm hic, quam ibi una, conſiſtit in una Charitate; diverſitas hic vel Ordinum, vel operationum multifaria diviſione, ibi verò in quadam meritorum notiſſima, ſed ordinata diſtinctione intelligitur. Denique Eccleſia habet ſuam quodammodo diſcordem concordiam, & concordem diſcordiam.* Et Venerabilis Beda eundem quaſi conceptum habet de diverſis in Arca Noè receptaculis, eaque reducit ad diverſos in Eccleſia ſtatus; nam lib. 1. ſuper Gen. ſic ait: *Manſiunculas in Arca facies: Undè idemtitas Eccleſiæ Chriſti, & Religionis ejus communis non aufert, ſed magis confert ad diſtinctionem Ordinum, & varietatem Religionum in eadem: Poſſet eſſe* (inquit) *ſi fundari poſſent in lege Chriſti, omnes iſtæ ſectæ, quas addis: Ergo video pro fundatione Religionum inſtas, quas omnes ſatis dives eſt Eccleſia fundare in lege Chriſti; ſed nos non poſſumus omnia ſimul proferre pro omnibus ſigillatim. In evidentiam tamen generalem fundationis, peto primo, quid vult dicere apud te fundatio Religionis, vel Sectæ? Approbationem Chriſti, inquis. Sed adhuc quæritur, nonnè approbatio converſationis ſufficit, aut etiam vocabuli correſpondentis? Siquidem hoc non detur, non approbatus eſt Ordo Sacerdotum, quia non impoſuit Chriſtus ſimul officium, & vocabulum. Non enim legitur Chriſtum nuncupaſſe ſuos Diſcipulos Sacerdotes, aut Epiſcopos, ſed nec nuptos, aut conjuges, ſed tantum imponens eis manus dixit; Accipite Spiritum Sanctum*: Jo: 10. *quorum remiſeritis &c. Non enim dixit ſitis Vos Sacerdotes, & Vos Epiſcopi. Nec oportet*, inquit, *ſed ſufficit, quod jungat officium, & poſt officium ſequitur vocabulum.* Et ſicut Chriſtus inſtituit Apoſtolos, Sacerdotes, Epiſcopos, &c. & Sanctum Petrum caput Eccleſiæ, & Epiſcopum Romanum, & dignitas Epiſcopatus Romani non eſt diviſibilis in plures, alias eſſent Epiſcopi Romani bicipites, quod abſit, & Witcleff indicat; Ità (ſubjungit Beda) *Chriſtus inſtituit Religionem peculiarem, cum inſtituit quoſdam profiteri voluntariam paupertatem; Quoſdam cum hoc continentiam, & vivere obedientes; quamvis non tùc vocavit eos Monachos, aut Fratres, quia quamvis non dixit peculiare nomen, converſationem tamen peculiarem inſtituit. Aut dicat Magiſter meus, quod approbavit Chriſtus Ordinem militarem, pro eo quod Joannes*

in Epiſtol. ad Cluniac. Abb

Digitized by Google

nes eum non reprobavit: de quo tamen dixit Chriſtus, quod inter natos mulierum nemo ſurrexit major; & erit ſatis magna blaſphemia. Chriſtum ergo approbare aliquem ſtatum, eſt ejus ceremonias eſſentiales imponere, quamvis de vocabulo nominis non egerit mentionem. Sic enim Divus Ambroſius dicit Chriſtum fundaſſe ſtatum ſanctimonialium. Videbatur enim Ambroſio, quod aliquis imputaſſet illi Religionis improbitatem, aut novitatem, aut inutilitatem, & ſolvit omnia dicens: *Jacere* (inquit) *ſemina integritatis, & Virginitatis ſtudia provocare. Quæro* *tom.1.lib.3. de Virginib. verſus mediū* *utrum quaſi improbum hoc, aut quaſi novum, aut quaſi inutile reprehenditur. Si quaſi improbū Ergo Vota ſunt omniū improba. Improba vita eſt Angelorum, quam gratia reſurrectionis imitatur. Qui enim non nubunt, neq; nubentur erunt ſicut Angeli in Cælo. Sed eſtò non ſit im-* *Matt.22.* *probum, numquid novum eſt? Nos enim nova omnia, quæ Chriſtus non docuit jure damnamus. Diſcutiamus ergò utrum Chriſtus integritatem docuerit, an repudiandam putaverit. Et ſunt, inquit, Spadones, qui ſeipſos Caſtraverunt propter Regnum Cælorum. Eſt ergo præclara militia,* *Matt.19.* *quæ Regno Cælorum militat. Itaque jam tunc Dominus docuit eſſe debere intemerata ſtudia Caſtitatis.* Et infra: *Poſt hoc verbum offeruntur Pueri ad benedicendum, qui corruptelæ expertes, integritatis munus immaculata ætate ſervarent. Talium eſt enim Regnum Cælorum, qui in puerilem caſtimoniam, tāquam in natura infantiæ corruptelæ, ignoratione remeaverint.* Et ſequitur benè poſt: *Nec improbum ergo, nec novum integritatis eſt ſtudium. Videamus ne fortè inutile judicetur. Nonnullos enim dixiſſe audivi, quod mundus periit, defecit genus humanum, conjugia labefacta ſunt. Quæro, quis tandem quæſivit Uxorem, qui non inveniret? Quando fuerunt bella pro Virgine? Quis unquam pro Virgine ſit peremptus? De conjugiis autem iſta naſcuntur, ut perimatur Adulter, Uxoris raptor præliis adaptetur. Iſta Reipublicę ſemper damna fuerunt, pro Virgine ſacra nemo damnatus eſt, quia Caſtitatem non pœna cohibet, ſed Religio auget, fideſque conſervat. Si quis ergo putat Conſecratione Virginum minui genus humanū, conſideret, quia ubi paucæ Virgines, ibi etiam homines pauciores. Ubi virginitatis ſtudia crebriora, ibi numerum quoque hominum eſſe majorem. Diſcite quantas Alexandrina, totiuſque Orientis, & Africana Eccleſia, quot annis Sacrare conſueverint: pauciores hic homines prodeunt, quam illic Virgines cōſecrentur.* Ergo inique aſſerit Witcleff perfectorum Religionem eſſe opera hominum factitia, non verò à Chriſto in Eccleſiæ primordiis approbatam, inſtitutam, & collaudatā, ſcripturarumq; fundamentis deſtitutā eſſe, ac in Diaboli theſauro extitiſſe, cum tot Scripturæ teſtimoniis verè prodierit ex Chriſti corde, & licèt varia ſint perfectorum inſtituta, nihilominus in lege Chriſti una, ac indiviſa eſt. Et ut convincantur impius Witcleff aliis Scripturæ textibus, videat quiſquis eum convictum deſiderat noſtrum Waldenſem, ubi clarè cum Scriptura probat peculiarem Perfectorum Religionē à Chriſto fuiſſe inſtitutam ab initio naſcentis Eccleſiæ, diſtinctam à vulgari, quam in principiis neceſſariis ad ſalutem *tom. 1. doc. fid.lib.3.ar.3 cap.32.* conſequendam neceſſitate medii fundatam eſſe dicit, ad differentiam peculiaris Religionis, quæ fundatur in operibus ſupererogationis, exemplo Jeroſolimorum Fidelium, & Antiochenſiū; nam illis jubebatur, quod erat ſupererogationis; iſtis vero tantum neceſſaria imponebantur: *Act.15.* Ergo alterius Religionis erant Jeroſolimitani, & alterius Antiocheni: ſed juxtà Witcleff, Chriſtus non fecit niſi unam Sectam: Ergo ſi fecit primam Jeroſolimis, non fecit ſecundam Antiochiæ: ſed Spiritus Sanctus fecit ſecūdam affirmante Conſilio Apoſtolorum, textu relato: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & Nobis &c.* Ergo Spiritus Sanctus fecit unam Sectam, quam Chriſtus numquam fecit: Et ſic ex hac opinione inducetur Schiſma inter

ter

Digitized by Google

ter Filium, & Spiritum Sanctum, quod principalitèr intendit omnis Hæreticus, eoquod omnis Hæreticus eſt Schiſmaticus, quamvis non è contrario. Tunc ſic, Fideles Jeroſolimitani erant perfectioris Religionis, ſeu Sectæ, quam eſſent Antiocheni: ſed Antiocheni erant de Religione vulgari, Jeroſolimitani verò de Religione particulari: Ergò perfectior ſimpliciter eſt Religio peculiaris, quam illa vulgaris. Conſequentia patet, & pro veritate, tàm majoris, quàm minoris audiamus, quæ dicit Hjeronymus: *Quod quia* (inquit) *nuper ex Gentibus credidit Eccleſia, ideò leviora dat eis præcepta, & quaſi Parvulis, & Infantibus lac eis potum dat, non ſolidum cibum*. Et Venerabilis Beda vocat eos Antiochenos Carnales, Jeroſolimitanos vocat Perfectos, & ipſos, dicit, debuiſſe vivere ſuis ſtipendiis; Undè explicans illum textum: *Ædificavit atrium interius*: & ponitur in communi Gloſsa, ſic habet: *Multitudo credentium, qui relictis Poſſeſſionibus uno Corde, & una anima Deo ſerviebat, ipſa eſt Templum, & locus intra Atrium Sacerdotum ſpecialiter illi conſecratur. Porrò Baſilica grandis, & orantes in ea circa Atrium Sacerdotis in giro, eos ſignificat, qui eorum tempore credebant ex Gentibus in Syria, & Antiochia, cæteriſque Provinciis, & aliis civitatibus: quibus Apoſtoli, & Seniores qui erant Jeroſolimis, non plus imponebant oneris, quam ut abſtinerent ab Idolis immolato ſanguine, ſuffocato, & fornicatione; quorum tamen oblationibus volebant Pauperes Sanctorum, qui erant Jeroſolimis ſuſtentari, ut ea carnalia miniſtrantes Spiritualium eorum eſſent participes. Atrium ergo poſitum inter locum Vulgi, & Sacerdotum, illam diviſionem ſignificat, quam Carnales in Eccleſia nuper incipientes ab arce perfectorum, non ſorte electionis, ſed meritorum qualitate ſecernit. Carnales enim ſufficere ſibi credunt, ſi fidem, ſpem, charitatem, & operum munditiam habeat. Perfecti ſuper hæc omnia verbo prædicando laborant, Pauperibus omnia ſua tribuunt, vigiliis, jejuniis, hymnis, canticis ſpiritualibus, & Sacris lectionibus operam dant: Perſecutiones, pericula propter juſtitiam tolerant, & cætera, quæ ſe Paulus feciſſe gloriatur, prompta mentis devotione exequuntur*. Quis hìc non intuetur Venerabilem Bedam affirmare fideles Antiochenos fuiſſe Carnales, Jeroſolimitanos verò fuiſſe perfectos, à quorum arce dicit, Carnales illi longè diſtabant tàm loci virtualis in Eccleſia, quam correſpondentis meriti qualitate?

tom.2. lib. 1. con.Iovin.

ſup.c.6.lib.3. Reg.

XCV. Hanc Perfectorum Religionem in lege veteri exortam, & in evangelica à Chriſto, laudatam, approbatam, & auctam, in genere cauſæ efficientis, & principalis inſtitutam à Chriſto in omni ſua perfectione cum ſollemnitate, & poteſtate clavium, & quam in lege veteri in genere cauſæ finalis, exemplaris, & efficientis meritoriæ ſaltem moraliter inſtituit, & Elias ſpeciali Dei inſpiratione in genere cauſæ principalis ſecundæ intuitu Deiparæ prius quoad eſſentiam, & ſubſtantiam fundavit, hanc, inquam, Perfectorum Religionem qui primi profeſſi ſunt in gloriam Monialium more clauſtrali fuit Deipara; & in gloriam Dei, & Chriſti, & in exemplum futurorum hominum fuit Apoſtolorum cœtus; ut lucidè probat D. Hjeronymus in Aſſumptione Beatæ Virginis ad Paulam, & Euſtochium dicens: *Cæterum ad exemplum humanæ vitæ converſatio ejus* (ideſt Mariæ) *poſt Aſcenſionem Chriſti generaliter cum Apoſtolis fuit, quouſq; diſperſi ſunt, ſicut meminit Lucas dicens: Quod egreſſi quidem à Monte Oliveti Jeroſolymam venerunt, & aſcenderunt in Cœnaculum, ubi manebant Joannes, & Jacobus, Andreas, Philippus, Thomas, Bartholomæus, & Thaddæus, Matthæus, Jacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Judas Jacobi: Hi omnes, inquit, erant perſeverantes in oratione, cum Mulieribus, & Maria Matre Jeſu, & Fratribus ejus. Ecce Jeſu aſcendente, cum quibus Virgo vacat in Schola virtutum, & meditatur in lege*

act.1.

ge

ge mandatorum Dei, & ut ipſa forma ſit diſciplina Chriſti; & exemplū perfectionis Virginibus, &c. & infra ſubdit: *Quos & vos ô Filiæ imitamini, quæ in ſchola Chriſti permanere voviſtis. Perſeverate in orationibus unanimiter viventes, quouſque intrare poſſitis gaudia æternæ vitæ.* Deiparam, & Apoſtolos in vita clauſtrali in Cœnaculo viventes, ut exemplaria adducit Hjeronymus pro ſuis Filiabus. In qua quidem vita permanſit Deipara uſque dum per Orbem terrarum fuerunt Apoſtoli diſperſi: & poſtea habuit commune commercium cum Carmelitis; Nam cum Eliani inſtituti Profeſſores poſtquam ab Apoſtolis baptizati, & in fide Chriſti Inſtructi fuiſſent, plenè intellexerunt myſterium illud eorum Parenti Eliæ in Carmeli Monte revelatum de Nubecula parva ſimili veſtigio hominis de mari aſcendenti, viſa ab Elia, poſtquam Puer ipſius per ſeptem vices contra mare perſpexerat, ipſaque denotari tum Incarnationis Myſterium, & quo tempore adimplendum eſſet, tùm puriſſimam Virginis Mariæ Verbi incarnati Matris Conceptionem, ac Virginitatem, etiam voto firmatam ut ſupra diximus, prout & ipſe Elias, & Filii Prophetarum Rechabitæ, & Eſſeni etiam obſervaverant, hacque viſionis intelligentia, dignitatiſque, ac Sanctitatis eminentiſſimæ ejuſdem Sanctiſſimæ Virginis Matris notitia veluti cauſa primordiali ſibi ipſis propoſita, eam ſpecialiſſimè, & aſſidua devotione venerari cæperunt, & ſibi in patronam elegerunt, ut propterea glorioſus titulus Fratrum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Garmeli, quò uſque ad hoc tempus hæc Religio gaudet, ab eo tempore cœperit. *3. Reg. 18. ver 46.*

XCVI. Quod Eliani inſtituti Alumni poſt ſuam ad Chriſti converſionem ſingularis devotionis affectu Deiparam Virginem venerari cœpiſſent, conſtat ex Eccleſiæ teſtimonio; in quarta enim lectione Commemorationis ſollemnis ejuſdem Dei Genitricis in Carmelitano Breviario approbato, ſic legitur: *Cum Sacra Pentecoſtes die Apoſtoli cœlitus afflati variis linguis loquerentur, & invocato auguſtiſſimo Jeſu Nomine mira multa patrarent, Viri plurimi, qui Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Eliſei inſtituto inſtiterant, & Jo: Baptiſtæ præconio ad Chriſti Adventum comparati fuerant, rerum veritate perſpecta, atque probata, evangelicam fidem confeſtim amplexati ſunt, ac peculiari quodam affectu Beatiſſimam Virginem (cujus Colloquiis, ac familiaritate fœliciter frui potuere) adeò venerari cæperunt, ut primi omnium in eo Montis Carmeli loco, ubi Elias olim aſcendentem Nebulam Virginis typo inſignem conſpexerat, eidem puriſſimæ Virgini ſacellum conſtruxerint.* Hoc idem ſuadet relatus Joannes Jeroſolymitanus illis verbis: *Recenſentes ergò Religionis hujus Profeſſores Deum prædeceſſoribus eorum per viſionem prædictam ſpecialiter revelaſſe, infantulam quandam naſcituram, quæ ex utero Matris ſuæ munda ab omni peccati ſorde egrederetur, & inſtar eorum ſpontaneam Virginitatem amplexaretur; de qua Virgine Deus homo naſceretur:* *Contemplantes etiam ipſi hæc omnia, poſtmodum fuiſſe adimpleta, & genus humanum per hanc Virginem accepiſſe à Dei Filio deſideratum ab eis pluviæ (ideſt gratiæ divinæ) beneficium, curaverunt cum devotione aſſiduè deſervire huic Virgini, dudum eorum Profeſſoribus revelatæ, ac deſideratæ, & poſtea eis exhibitæ.* Favet etiam Generalis Groſſi teſtimonium, ſic enim ſcribit: *Ipſi tamen Eremitæ propter eorum vitam legem Domini non prætermittentes, ſingulis annis ter in Jeruſalem veniebant, ibidem feſta celebraturi, ſcilicet Paſcha, Pentecoſtes, & ſcenopegiæ, & ob hoc dum Spiritus Sanctus venit ſuper Apoſtolos, dicitur, quod erant Viri Religioſi in Jeruſalem habitantes ex omni natione, quæ ſub Cœlo eſt, Act. 2. & tunc recepto una cum Apoſtolis Spiritu Sancto, baptizati ſunt ab Apoſtolis, Virgine Matre, ad cujus honorem ſe in contemplatione poſuerunt ibidem preſente.* Ex quo in memoriam tanti beneficii ab immemorabili

loco ſup. cit. cap. 36.

In viridario clav. 1.

tempore Eliani inſtituti Sectatores Carmelitarum Religioſi in toto Ordine ante Miſſam Conventualem flexis genibus Antiphonam: *Veni Sancte Spiritus*: Cantare ſolent.

XCVII. Quod vero Eliani inſtituti Alumni Deiparam Virginem non ſolum colere, & venerari cœperint, ſed etiam in ſui Ordinis tutelarem Patronam tunc elegerint ex eodem Joanne relato cap. 36. colligitur, inquit enim: *Et ſtuduerunt hanc ſpecialiter Virginem ideò ſibi ipſis in Patronam eligere, quia noverunt ipſam ſingulariter eis conformem in primitiis Virginitatis Spontaneæ. Quemadmodum enim Virginitas Spontanea fuit primo* (intellige primitate temporis) *per priſcos Profeſſores hujus Religionis inchoata, & in Viris introducta, ità eadem virginitas fuit poſtmodum per Dei Genitricem primo in Fœminis introducta, & incœpta.* Non tamen credendum eſt ea ſolum de cauſa Beatiſſimam Virginem ab iis noſtris priſcis Patribus in Patronam electã fuiſſe, quod ipſius Virginis ſimilitudinem in Virginitate Spontanea, ſeu voto Deo dicata, ipſi præſeferrent, plures enim aliæ ad id faciendum congruitatis rationes aderant. Aderat enim urgentiſſima ad id ratio, quod ſcilicet eandem Virginem, quam tunc in terris degentem videbant, à Parente Elia ſub ſpecie nubeculæ parvæ de mari aſcendentis à multis ſæculis præviſam, in ſui & Poſterorum Patronam adoptatam, & veluti ſcopum, & finem Religionis à ſe inſtitutæ præelectã fuiſſe, facile ex Priſcorum traditione noſcere deberent. Aderat quod in illa celebri nubeculæ viſione quam in Carmelo habuit magnus Propheta Elias, ut jàm diximus, Incarnationis Myſterium expreſſius cognovit, & Verbi incarnati Matrem futuram puriſſimam, tùm corpore propter virginitatem, quam ſpontaneè ſecutura erat, tum Spiritu propter præſervationem ab omni peccato, etiam ex utero Matris, undè nullus extat ambigendi locus, quin in tantæ Virginis Matris Meſſiæ futuræ amorem, reverentiam, & devotionem, piiſſimus Propheta veluti eſtuans, & ſuccenſus, quidquid in ipſius obſequium facere poſſet, opere perfeciſſet. Ordinis igitur inſtitutionem, quam tunc cogitabat proculdubio in Virginis Beatiſſimæ gloriam, & honorem direxit. Expendunt aliqui ad intentum illud: *Iſaiæ* 35. *verſ.* 2. Ubi inter ea, quæ per accommodationem ſaltem, data Virgini dicuntur, numeratur: *Decor Carmeli*. Quid ergò, inquiunt, *Decor Carmeli*, niſi Virorum cœtus, qui inhabitabat, Eliæ nempè Poſteritas? Hæc ergò Virgini Matri dicata. Expendunt alii illud Cantic. 7. verſ. 5. Sponſæ, ac proindè Virgini Sanctiſſimæ dictum: *Caput tuum ut Carmelus*. Cum enim per Carmelum eadem Virgo decoretur, dignum eſt credere, quod Carmeli Religio ipſi à primo Fundatore oblata fuerit. Sed de iis, & aliis ad intentum doctè Palæonydorus lib. 2. cap. 8. Ergò Elias Virginis Mariæ intuitu, & Virginitatem ſervavit, ac cœtum hominum cœlibem vitam agentium, inſtituit, occaſione ſumpta ex Nubeculæ viſione, prout tenet Petrus Sarracenus in Monolog. Carmelit. in Vita S. Eliæ, & de exteris vir pius, & doctus Hippolytus Maraccius Lucenſis in libro cui titulus: *Fundatores Mariani* cap. 1. ſumere id potuit ex Carthagena tom. 4. homil. lib. 17. hom. 3. Nec incongruè id dicitur ex Joanne Geometra antiquo Deiparæ Virginis laudum eccleſiaſte, in hymno 1. ejuſdem Federico Morello interprete in tom. 8. Bibliot. editione 4. Pariſienſi.

XCVIII. Quod verò Elias Ordinem ſuum Deiparæ Virginis honori, ac venerationi dicaſſet, ac proindè hac etiam de cauſa ejuſdem Patronatu jure gaudere, teſtatur in primis Joannes Groſſus Ordinis Anthiſtes; ſic ſcribens: *Elias Propheta aſſumens in Socios Eliſeum, Abdiam, Jonam, & multos alios Prophetas, quos docuit vivere in Virginitate ad honorem prædictæ glorioſæ Virginis, quæ ſine corruptione parere debebat mũdi Salvatorem, cujus caput debebat eſſe ut Carmelus Cantic. 7. & ob hoc Eremitæ dicti Montis Carmeli fratres Virginis Mariæ dicti ſunt, cum ad* *in virid. clavi 1.* *hono-*

honorem ipſius Ordinem incaperunt ante ejus adventum, & Nativitatem. Ad idem Joannes Bacchonius inter ſcholaſticos Doctores illuſtriſſimus *in cōpendio hiſtor., & jurium pro defenſione Ordinis*, quod incipit: *In primis attende*: Sic ſcribit: *In primis attende quod Beata Maria per Carmelum decoratur, & commendatur. Cum enim Iſaias de Chriſti Incarnatione prophetaret, promiſit, quod ſola Virgo ipſum foret paritura, pariterque decorem Carmeli poſſeſſura. Undè de Virgine dicitur Iſaiæ 35.* Solitudo florebit ſicut Lilium: *Sequitur.* Datus eſt ei Decor Carmeli. *Sic de ea Gloſſa, hæc exponit Cantic. 1. & Bernardus in ſermone* Loquamur *dicens,* datus eſt ei decor Carmeli, *dum virtute Altiſſimi obumbrata, & ſinè corruptione fœcundata. Per Carmelum commendatur. Salomon enim commendans pulcherrimam Mulierum per Carmelum, ait Cantic. 5. & 6.* Quam pulchra es, & quam decora chariſſima, caput tuum ut Carmelus. *Cantic. 7. ſed & hæc de Beata Maria canit Eccleſia: & quia per Carmelum honoratur, & commendatur, dignum eſt, quod in Carmelo ei dato, Carmelitas habeat eam ſpecialiter venerantes, & ſic habuit ab antiquo, nam prophetiæ per facta aperiuntur. Sed & Saul in Carmelo Beatæ Mariæ dato fornicem ſuum triumphalem, ideſt ſignum victoria erexit, 1. Reg. 15. Elias ibi ſacrificavit 3. Reg. 18. & Achab per hoc experimento ibi didicit quis eſſet Deus. Eliſeus ibi ſedem ſuam collocavit 4. Reg. 4. ecce quod Prophetas, & Reges habuit Carmelitas, & eorum factis Dominam loci Beatam Mariam venerantes. Pro veneratione quoque Beatæ Mariæ in ejus Carmelo continuanda orta eſt Fratrum de Carmelo Religio.* Accedat Vir graviſſimus inter Eccleſiæ luminaria jure recenſendus, qui contra Witcleff impiè latrantem, & Deiparæ Virginis Patronatum in Ordinem noſtrum refragantem expreſsè ait Eliam ipſum inchoaſſe ad *Sanctæ Virginis Patronatum*. Cum ipſam in Nubeculæ parvæ ſymbolo futuram Dei Matrem agnovit. Palæonydorus lib. 2. cap. 8. Thomas Beauxamis in armon. evang. to. 2. fol. 565. Doctus Angelus de Paz Minorita tom. 1. in ſimbol. lib. 5. cap. 22. affirmans Beatiſſimam Virginem à noſtris veneratam antequam natam, & alii.

tom. 3. de Sacrament. tit. 9. cap. 89. nu. 9. con. Witcleff.

XCIX. Reſtat igitur examinandum an Apoſtoli fuerint monaſtici, & Religioſi ſtatus inſtitutores ad Chriſti imitationem, regulam ſibi à Chriſto datam ceteris communicando. Inter alios priùs accedit Evangeliſta Matthæus, de quo legitur Sanctam Iphigeniam Virginem Deo conſecraſſe, illamque præfeciſſe pluſquam ducentis Virginibus, ut teſtatur Waldenſis. Accedit ſecundo loco Gentium Doctor Paulus Apoſtolus, qui & ipſe Sāctam Teclam Deo dicavit, de qua ſcribit Beatus Ambroſius alloquens quandam Virginem: *Sancta Maria* (inquit) *diſcipulam vitæ informet. Tecla doceat immolare.* Et ſequitur benè poſt: *Dicet aliquis Cūr exemplum tuliſtì Mariæ? Quaſi reperiri queat, quis Matrem Dei poſſit imitari? Cur etiam Teclæ, quam Gentium Doctor inſtituit? Da hujuſmodi Doctorem ſi diſcipulam requiris.* Hinc Waldenſis alloquens Witcleff, ait: *Recognoſce Beatam Teclam conſecratam eſſe à Beato Paulo, imò tradunt Doctores Beatum Paulum multas fœminas conſecraſſe, de quibus meminerit 1. ad Corinth. 11. cum diceret, omnis mulier orans, aut prophetans. Gloſſa, & Scripturas reſerans, non velato capite, deturpat caput ſuum, vel prophetans ideſt legens Prophetias in Eccleſia, quorum neutrum potuit vulgaris fœmina facere, dicente Apoſtolo 1. ad Thimoth. 2. docere autem mulierem non permittas. Gloſſa, hoc Apoſtolus dixit, ut docendi officium ſolis viris adveniat. Capiunt ergo famoſi Doctores mulieres prophetantes, ideſt legentes Prophetias, fuiſſe religioſas, & à Beato Pau-*

lib. de S. Virginit. lib. 2.

 lo

Digitized by Google

lib.3.ar.1.ca. 7. *lo inſtitutas in Eccleſia, qualiter fuerit Sancta Tecla.* Undè Caſſianus inquit: *Nequaquam credas rationabilius quempiam, vel perfectius novellam conſtitutionem in Occidentium Galliarum partibus reperire potuiſſe, quam illa inſtituta, quæ ab exordio prædicationis apoſtolicæ, & Sanctis Patribus fundata Monaſteria ad nos, uſque perdurant.*

C. Paritèr in Actis Apoſtolorum habetur in Sanctos Alexandrinos D. Marci operà ejuſdem Religionis regulam derivatam eſſe, ſicuti in Prologo Commentarii ſuprà Marcum, ex libro D. Hjeronymi de illuſtribus Viris ſcribit Venerabilis Beda, ſequentibus verbis: *Aſſumpto itaque Evangelio, quod ipſe confecerat perrexit in Ægyptum, & primum in Alexandria Chriſtum annuncians, conſtituit Eccleſiam tanta devotione, & vitæ continentia, ut omnes ſectatores Chriſti ad exemplum ſui cogeret.* Hinc Philo diſertiſſimus Judæorum Doctor, videns Alexandriæ primam Eccleſiam adhuc judaizantem quaſi in laudem Gentis ſuę librum ſupra eorum cõverſationem ſcripſit, & quomodo Lucas enarrat quod Jeroſolimis credentes omnia communia habebant, ſic & ille quæ Alexandriæ fieri ſub Marco Doctore cernebat, memoriæ tradidit. Et Euſebius aſſerit Philonē ſcripſiſſe de modo vivendi Religioſorum Sancti Marci unum volumen egregium, Philoniſque Textum nudis verbis recitat, in quo textu ab Euſebio relato, omnes ille ceremoniæ, & regulæ, quas pro Eſſenis notavimus Eliani inſtituti hereditarii ſucceſſores reperiuntur. Hic tamen unam, vel alteram regulam brevitatis gratia referemus. *Quod primo omnium renūciant facultatibus ſuis, qui ſe ad hujuſmodi Philoſophiam dederint, & bonis ſuis, quibus intereſt cedant. Tum denique ut omnem vitæ ſollicitudinem procul abiiciant, & extra Urbem egreſſi in hortulis, vel exiguis quibusvis Agellulis degant, refugientes imparis propoſiti conſortia, & vitæ diſſimilis contubernia: Scientes impedimento eſſe hæc volentibus iter arduum virtutis incedere. Secunda eſt autem in ſingulis locis conſecrata Orationi Domus, quæ appellatur Semmon, vel Monaſterium. Semmon autem in noſtra lingua ſignificare poteſt honeſtorum Cōventiculum, in quo Sacerdotes honeſtæ, & Caſtæ vitæ myſteria cælebrabant, nihil prorſus quo ad Cibum, potumque pertinet inferentes, vel ad reliqua humani corporis miniſteria, ſed legis tantum libros, & volumina Prophetarum, hymnoſque quoque in Deum, cęteraque his ſimilia, in quorum diſciplinis, atque exercitiis inſtructi, ad perfectam, beatamque vitam ſtudiis jugibus convaleſcunt.* Nonnè ſi hæc omnia benè percipiātur ſunt clara perfectæ Religionis teſtimonia? Facultates renunciare, ſimpliciter bonis cedere ſuis, ſollicitudinem temporalis vitæ neutiquā quærere, ſecreta fovere loca, in agris à vulgo ſeparatis, Oratorium habere, in quo Deo ſuas effunderent preces, ac miſſas audirent, libros legere Prophetarum, & Sacræ Scripturæ textus, nonnè ſunt nunc Religionis magis perfectæ, & ſtrictæ uberiores regulæ? Ergò Sanctus Evangeliſta Marcus verè inſtituit Religioſorum Conventum, & renovavit antiquorū Eſſenorum, & Joannis Baptiſtæ, de quibus ſupra, Sacrum utriuſque ſexus Monachorum inſtitutum, vocans eos ſingulari nomine *Cultores, ſeu Cultrices.*

CI. Iſtos Alexandriæ Eſſenos, qui veteris legis Eſſenis ſucceſſere, quorum Præcurſor Domini anteſignanus fuit, ut conſtat ex Regulis, quas deſcribit Philo, & de quibus fit mentio in Joſepho, Solino, & Plinio, ſufficiēter apparet fuiſſe ejuſdem monaſtici Inſtituti cum illis, & quod inter eos, quos Sanctus Evangeliſta Marcus in Eccleſiis quas denuò erexit in Civitate Alexandrina media ſui Evangelii prædicatione ad ejus Sacrum inſtitutum, quod renovare ſtudebat, invitaverat, principalitèr connumerādum eſſe Enoch Amatin, qui Puer velut alter Samuel à Parentibus in Carmeli Monte adductus perpetuam Deo voverat Virginitatem. Hic in

præ-

Digitized by Google

præfati Carmeli Montę Religioſorum in eo degentium Præpoſitus , ac
Rector inſtitutus , ut refert Palæonydorus , cum Religioſorum Collegium *lib.2.cap.2.*
propè fluenta Jordanis conſtitutum viſitaret , audiviſſetque Joannem Bap-
tiſtam Chriſtum Dominum commendantem illis verbis : *Ecce Agnus Dei,
ecce qui tollit peccata mundi* , cum quibuſdam ſuis Fratribus deinceps
Chriſto adiunctus eſt , & ab eo ſeptimus in numero diſcipulorum ſeptua-
gintaduorum Ordinatus fuit ; Et hoc non ſine magno myſterio factum
creditur . Nam primus Enoch , qui fuit ſeptimus ab Adam in linea Seth,
translatus in Paradiſum , ſignificat ſeptimam ætatem , in qua Beatus E-
noch Carmelita beatam , & eremiticam vitam perrexit , de quo fit mẽ-
tio in Carmelitarum bullis , illis verbis : *Eliæ , Eliſei , & Enoch , necnon
aliorum Sanctorum Patrum ſucceſſionem hæreditariã tenentes* : Non au- *Gen.5.*
tem de Enoch legis naturæ , quia quamvis ſupra probavimus , quod *E-
noch ambulavit cum Deo* , ideſt tota mentis intentione ferebatur in Deũ,
Religioſos noſtros præfigurans , & Patronus eorum exiſtens , & perlucidè
probat Venerabilis Beda fuiſſe Profeſſum Religionis perfectæ in illa legę
modo diſtincto à Religione communi , & vulgari , licet illum venerentur
Carmelitæ , non tamen intelligunt illum eſſe de quo fit mentio in Bul-
lis ; Nec Sanctiſſimi Pontifices illum referentes ignorarunt , quod ille E-
noch præceſſit Eliam , & Eliſeum ; Quocirca ſi de illo loquerentur in
Bullæ narrativa , anteponerent prælatum Enoch , Eliæ , & Eliſeo . De
hoc Enoch Amatin , quem Summi Pontifices inter Prophetarum In-
ſtitutum enumerant in Bullis pro Carmelitis conceſſis , utpotè quia Elię,
& Eliſei amplexatus eſt inſtitutum teſtatur Palæonydorus poſt Chriſti A-
ſcenſionem in Epiſcopum Nicopolis ab Apoſtolis fuiſſe Ordinatum , &
quod accerſitis quibuſdam Fratribus ibi Monaſterium conſtituerit ; Et
quod tantum trium annorũ ſpatio illi Eccleſiæ præfuerit adhærendi cau-
ſa Beato Marco . Indè Marcus diſcipulus , & Interpres Petri rogatus à
Fratribus Romæ Evangelium ſcripſerit , quo aſſumpto tamquam appro-
bato à D. Petro in Ægyptum perrexit , Eccleſiamque Alexandriæ conſti-
tuit tanta doctrina , & Vitæ Continentia , ut Chriſti Sectatores ad ejus
inſtituti ſequelam alliceret . Undè ſuprarelatus Philo ſcribit : *Itaq; Mar-
cus aſſumpto Enoch Eremita Montis Carmeli cum Evangelio , quod ip-
ſe confecerat perrexit in Ægyptum ; Ubi conſtructis Monaſteriis , & Fra-
tribus religiosè inſtitutis ; Enoch ad terram Sanctam poſt martyrium S.
Marci reverſus in Monte Carmeli , Contemplationi , & Orationibus va-
cans , die ſeptima menſis Julii diem clauſit extremam , ubi anno Domi-
ni 64. à Fratribus digno cum honore traditus eſt Sepulturæ . Nam cum
in primordiis fidei pauci quidem , ſed probatiſſimi Monachorum nomine
cenſerẽtur , qui B.Marco , qui primus Alexandrię pręfuit , ſuadente Enoch
Chriſti Diſcipulo normã ſuſcepere vivendi , eo fervore lectioni , orationiq;
ac operi manuum diebus , & noctibus incumbebant , ut nec eſcarũ quidẽ
appetitu , vel memoria , niſi altero tertiovè die incideret , corporis interpel-
lante inedia.* Hæc clarè in Alexãdrina legũtur hiſtoria , & in libro de Mo-
nachorũ inſtitutis , ſicut & paritèr in Sigisberti de illuſtribus Viris ſupple-
mento. Et ne de hac materia aliquis dubitare , aut ambigere poſſit , certè
neutiquã ignorare deberet nullã ſimilem tractare poſſe materiam, niſi illi,
qui eadem tractavere negotia , ut benẽ notat reſolutus Doct. Joannes Bac-
conius , hoc idem referens de Eremitis Terræ Sanctæ, quod de Alexandri-
nis teſtatur Philo , ait enim : *In Paleſtina Viri quidem Spirituales in-* *diſt.14. qu.1.*
habitant , plures jam quam quatuor millia Sancti vulgaritèr nominati , *ſup.Prudent.*
& æſtimati , quoniam Dei cultores præcipuè ſunt (Quomodo igitur an-
te Hilarionem non fuere Monachi in Paleſtina , ut aliqui ſuadere conan-
tur?) *non animalia , ſed mentes ſuas virtute munitas Deo offerendas eſ-
ſe putantes , cultu morum , & converſatione optimi , in Civitatibus non*

habi-

Digitized by Google

habitant, exiſtimantes ut contagionem aeris corporibus, converſationem vulgi animo nocere. In ſingulis tamen Civitatibus ex eodem Collegio, & ſpecialis Procurator conſtituitur, qui eorum veſtimenta cæteraque uſui neceſſaria tueatur. Alba ſemper veſte induuntur, (en Eliæ, & Joannis Baptiſtæ Melota) *habentes illud dignum, & valdè mirabile, quod non in aliis invenies Gentibus tàm græcorum, quàm barbarorum, quod omnes illis opes in medio ſunt, & ab eis omnia communitèr poſſidentur.* Hæc & omnia alia relata à D. Hjeronymo, & Euſebio ſcribit, & docet Philo. Igitur ſi D. Hieronymus Philonem inter Eccleſiaſticos collocat Doctores ex eo, quod librum de prima Evangeliſtæ Marci in Alexandria ſcripſit Eccleſia, & ſi Eſſenos non ſolum ibi, ſed etiam multis in aliis Provinciis in eodem libro fuiſſe commemorat, eorumque habitacula Monaſteria vocat; qua fronte tàm audacter iniquus Witcleff in Sacram perfectorum irrumpit Religionem? *Videtis* (inquit Waldenſis) *ignorantiam hoc facere, quæ dedit erroribus quidem cauſam, tamen non veniam ſic erranti: quia in materia hæreſis habet locum illud comune, quod ignorantia juris non excuſat à peccato, imò nec facti.* Sciat igitur Witcleff, quod poſt Chriſti Aſcenſionem immediatè per excelſam fundavit Evangeliſta Marcus perfectorum Religionem, atque adeo non eſſe Sectam novitèr adinventam, improbam, inutilem, & ab homine factitiam. Recolimus ex Apoſtolorum Actis Feſtum audientem Paulum Apoſtolum prophetias aperientem, lumenque Fidei Gentibus, ac Populo manifeſtantem, voce magna exclamaſſe: *Inſanis Paule: multæ te littera ad inſaniam convertunt.* Undè & nos ad Witcleff, qui de Pauli ſchola non eſt, ſermonem convertentes ſecurò exclamare poſſumus: Inſanis Witcleff, ac te inſanum eſſe opinamur, quia quæ deſunt iſtæ Sanctæ litteræ faciunt. Opinamur tamen quod non inſaniſſes, ſi has litteras forſitan intellexiſſes: *Nam* (Subjungit Waldenſis,) *Si furore nimio nō expugnaſſes Eccleſiam Religioſorum, vidiſſes planè non eſſe novam adinventionem Religionis perfectæ, nec multis centenis annis ſecutam eſſe Aſcenſionem Chriſti, nec auctoritatem ejus eſſe quamminimam, quam tantus Doctor Philo contemporaneus Petri Apoſtoli ſacris ſuis ſtudiis compulit in Volumen.*

Act. nu. 24.

CII. Nec arduum, aut diſſonum aliquibus apparere debet, quod Marcus Evangeliſta ſibi aſſumpſerit Enoch Amatin Montis Carmeli Incolam, & eremitam, & in Egyptum cum eo perrexerit, Monaſteriaque, & Religioſorum inſtituta eodem coadjuvante Enoch conſtruxerit, nam ad fidem Chriſti Petri cæterorumvè Apoſtolorum prædicatione cōverſi Carmelitæ, qui de Carmeli Monte, aliiſq; Collegiis juxta fluenta Jordanis adjacentibus, acceſſerant, ad feſtum Pentecoſtes, recepta Spiritus Sancti gratia una ſimul cum Apoſtolis, eorundem coadjutores ſtrenuiſſimi effecti ſunt, & in Eccleſiæ obſequio ſollicitè cum Apoſtolis operari ſtuduere, ut teſtantur tàm noſtrorum, quam exterorum egregia teſtimonia, & quidem de noſtris Scriptoribus, qui meritò primi vocandi ſunt, tàm neuterici, quàm vetuſti Chronicorum quorundam Romanorum mentionem faciunt, in quibus dicebatur *Tempore Beati Petri Antiochia Cathedrati, ipſi,* (ſcilicèt fratres de Monte Carmeli, de quibus ſupra fuerat ſermo) *in circumquaque Regione adjacente diverſis locis catholica pro Fide inſiſtebant.* Hanc Chronicam, ejuſque verba adducta referunt Philippus Ribbottus in Speculo Ordinis lib. 5. cap. ultimo. Joannes de Cimineto in Tractatulo, Speculum Ordinis nuncupato cap. 3. Joannes de Malinis in Speculo hiſtoriali cap. 4. Joannes de Vineta in tract. Cum quidam fratres cap. 2. Bernardus Olerius Generalis in informat. pro Ordine noſtro ad Papam

Cronica Rom.

art.

Digitized by Google

art. 1. Hi, aliique hiſtorici Carmelitici Inſtituti Eliani ordinis Aſſeclas, Petri, & aliorum Apoſtolorum, tum ipſa die deſcenſus Spiritus Sancti ſuper illos, tum tempore miſſionis, & diviſionis ipſorum, doctrina inſtructos, eam, quam ab ipſis fidei rationem acceperant, eiſdem aſſociatos per Phœniciam, Paleſtinam, & alia loca Chriſti dogmata prædicantes fœlicitèr propagaſſe ſuis ſcriptis commendarunt. Hinc Joannes Jeroſolimitanus loquens de eiſdem nuper ad Chriſtum converſis ait: *Denique eorum multi ea quæ ab Apoſtolis hauxerant cæteris effundentes fidem Chriſti per Phœniciam, & Paleſtinam prædicabant, dilatantes dogma Chriſti, & moribus vitæ monaſticæ converſationem Eccleſiæ Dei inſigniſſimam demonſtrantes*. Hoc idem Petrus Waſtelius in notis variarum lectionum. Joannes Groſſus in ſuo Viridario Clavi. 1. Percælebris citatus Waldenſis tom. 1. doctrinalis fidei lib. 4. art. 2. cap. 27. Joannes de Cimineto loco ſupracit. cap. 3. Quibus accedit Venerabilis Joannes Soreth, qui in expoſitione parænetica regulæ Carmelitarum, de ipſis ſic loquitur: *Iſti etiam vitæ Apoſtolicæ formam prætendentes, ſunt de quibus dicitur act. 2. erant in Jeruſalem Viri Religioſi habitantes, qui ſe Apoſtolorum conſortio junxerūt poſt Spiritus Sancti repletionem prout aſſerit Joſephus Antiochenus*. Et alii citati à Sapientiſſimo Lezzana tom. 2. Annal. in apparatu cap. 6. num. 3. *lib. de Inſtit. Monc. cap. 31.*

CIII. Ex eſteris verò primus occurrit Joſephus Antioch. ſic ſcribens: *Perfectorū Militū Chriſti Apoſtolorū coadjutores ſurrexerunt Viri ſtrenuiſſimi, ſolitarii, contemplationi dediti, Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Eliſei ſequaces, qui de Monte Carmeli deſcendentes per Galilaam, Samariam, & Paleſtinam fidem Chriſti conſtantiſſimè ſparſerunt*. Item Sigibertus Gemblacenſis ſic ſcribit: *Cum Carmelitæ in Sancta pœnitentia perſeveraſſent à tempore Sanctorum Eliæ, & Eliſei Prophetarum, tandem Chriſtum prædicantem audierunt. Qui Religioſi fidem Catholicam confitentes in Chriſto baptizati ſunt. Denique perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, habentes gratiam ad omnem Plebem veritatis evangelicæ Nuncii Fideles, & Religionis Chriſtianæ legitimi Confeſſores effecti ſunt*. Item Armacanus relatus à Waldenſi, ſic aſſerit: *Inſuper in principio naſcentis Eccleſiæ in partibus illis prædicādo Evangelium ſollicitiſſimè laboraverūt*. Idem ſequuntur Jodocus Badius Aſcenſius, & Sebaſtianus Murrho commentatores Baptiſtæ Mantuani circa illa ejuſdem Mantuani carmina. *in ſpecul. perfect. milit. primit. Eccleſ. cap. 12. verſ. 72. in hiſt. Jeroſolim. tom. 3. de Sacrament. tit. 9. cap. 89. lib. 3. Parthenices.*

Namque ipſi ſeſe mox ut vulgata ſalutis
fama fuit, Chriſti magnis junxere miniſtris
Fautores operis Sancti, ſocioſque laborum.

Et Joannes Bonifacius ſic ſcribit: *Neque ſolum ſe Apoſtolorum benevolos, & dociles auditores, ſed etiam Adjutores prebuerūt, & cum ex Monte Carmelo deſcendiſſent Chriſti fidem per Galileam, Samariam, & Paleſtinam univerſam conſtantiſſimè prædicaverunt*. Et Joannes Carthagena ex relato Joſephi Antiocheni teſtimonio id confirmans ſubjungit: *Ecce quomodo Chriſtianæ militiæ ſtrenui jam Milites effecti ab iis Montibus deſcenderunt, ut Religioſæ vitæ magiſteria preberent*. Idem fermè teſtatur Laurentius Bejerlynch, dum de Carmelitarum Ordine agit §. *in lege autem*, & ante ipſos Jodocus Clicthoveus in ſermone de excellentia, & laudibus Carmelitarum inquiens: *Tertio comprobatur hujus Religionis utilitas eam ob cauſam, quod adiutrix Apoſtolorum in diſſeminanda fide, & doctrina evangelica, &c.* Imò aliqui aſſerunt Deiparæ Virginis hortatu primos Eliani, & prophetici inſtituti Alumnos in Fidei Chriſtianæ primordiis ſtrenuè, ac imperterritè cum Sanctis Apoſtolis in Evangelii, & nominis Jeſu promulgatione, & prædicatione uſque ad mortem collaboraſſe. Inter hos Palæonydorus ex relata Romana Chronica id refert, & Auctor Opuſculi, cujus titulus eſt Funiculus triplex nodo *hiſt. Virg. lib. 2. cap. 1. tom. 4. homil. pro Carmelit. in Teat. Vit. hum. lit. R. verbo. Relig. in Religio. lib. 2. cap. 1.*

Digitized by Google

in lib. de Patron. Virgin. cap. 2. do ſeptimo, & Arnoldus Boſcius ſic ſcribit: *Divina natura nuptiis in Virginalis uteri Cappella mirificè celebratis, mellifluì facti ſunt Cœli, & per univerſam terram præ magnitudine lætitiæ proclamata ſunt ſollemnia torneamenta. In quorum proclamatione ſanctiſſimis Chriſti Apoſtolis adhortatu Virgineæ Dei Matris (prout Sunamitis illa magna, & honorata pro Filii reſuſcitatione Carmelum viſitans lucidè præſignarat) ſe junxerunt Fratres ſui Carmelitæ, induti cum eis virtute ex alto.* Undè tanta inde fuit Carmeli Monachorum erga Deiparam Virginem veneratio, cujus poſt Chriſti mortem, & Apoſtolorum in diverſis terrarum Orbis partibus legem Chriſti prædicantium diſperſionem familiaribus colloquiis, & converſatione fruebantur, ut teſtatur antiquus, & egregius Doctor Joannes Baptiſta Mantuanus in Apologia pro Carmelitis illis verbis: *Poſt Chriſti paſſionem cum jam Apoſtoli, & præſertim Joannes Evangeliſta, cui fuerat à Chriſto commendata, pulſi à Judæis ad gentes transmigraſſent, domum ſe retraxit, Nazareth pervenit, & frequenter veniebat in Carmelum, familiariter alloquebatur Viros illos, curas eis ſuas explicabat, & cum fiducia lamentabatur, & ipſi cum ea pariter affecti triſtabantur mutuo, & collacrymabant. Reſtabat ei ſolum hoc ſolatium, non habebat alios, cum quibus poſſit liberè loqui, & mitigare ſuſpiriis mentis ardorem.* Quod poſt ejus obitum, cui & ipſi intereſſe dignati fuere, ut aſſerit relatus Mantuanus ſequentibus verbis: *Tandem moritura eos advocavit, & in medio eorum tradidit ſpiritum,* in ejuſdem honorem circa annum á Chriſto nato 83. primum eidem Virgini extruxerint Sacellum prout affirmat relatus Joſephus Antiochenus loco ſupracitato, inquiens loquendo de Carmelitis: *Quique Virginis Mariæ honore in Carmeli Montis declivio fabricantes Oratorium Salvatoris Matri ſpecialiſſimè ſervierunt.* Et Armacanus apud Waldenſem in ejus ſermone coram

tom. 3. tit. 9. cap. 89. Cardinalium cœtu habito Avinione anno 1342. ſic habuit: *Ut dicunt fide digna hiſtoriæ à tempore Eliæ, & Eliſei, qui ſæpius morabantur in Monte Carmeli juxta Nazareth Civitatem Dominæ noſtræ ad tria milliaria, ſolebant homines devoti ſecretius habitare uſque ad tempora Salvatoris; tunc illi Eremitæ prædicantibus Apoſtolis inter cæteros ſunt converſi, & in uno latere Montis ipſius primo Eccleſiam, ſeu Oratorium in honorem Beatæ Virginis conſtruxerunt in loco illo ſcilicèt, in quo didicerant ipſam in vita ſua cum ſodalibus Virginibus habitaſſe, & ob hoc nimirum inter omnes Religioſos Dominæ noſtræ primitus ſunt adſcripti, ut vocarentur fratres Beatæ Mariæ de Monte Carmelo.* Et Joannes Tri-

in lib. de laud. Carm. cap. 7. themius ſic ſcribit: *Enimverò non diù poſt Domini paſſionem creſcente per Judæam fide chriſtiana, Fratres Montis Carmeli Cappellam in ejuſdem Montis latere in Dei Genitricis honorem conſtruxerunt, eamque in Ordinis ſui advocatam, & patronam elegerunt, & Fratres ejus deinceps appellati ſunt.* Hoc idem aſtruit Aſcenſius Badius clariſſimi Baptiſtæ Mantuani Commentator, qui ſupra ejuſdem Carmina lib. 3. Parthenices ſic ait: *Audito Phato ideſt morte illius ſcilicet Virginis poſuere primi Sacellum, ideſt templum parvum (vulgus Cappellam vocat) ſed ſublime, quia in apricis jugis, ideſt ſub vertice Carmeli, ac ipſi inſtaurantes, ideſt renovantes ſacra, ideſt ſollemnitatem quotannis, ideſt ſingulis annis ferebant, ideſt offerebant ei hymnos, & thura.* Idem fermè proſequitur Sebaſtianus Murrho alter ejuſdem Mantuani Scholiaſtes ſuper eadem ipſius Carmina ſic: *Propterea dicit Beatiſſimæ Virgini audito ejus Phato, ideſt exceſſu, viros qui ſpeluncas Carmeli habitabant, tetricam, ac ſanctam illic ducentes vitam, primum ſacellum in Carmelo Virgini poſuiſſe, quotannis ſacra hymnis, & thure fac\taſſe.* Id ipſum affirmant Iodocus Clictoveus in quadam Concione pro Ordine Carmelitarum. Eximius Navarrus tract. de Horis Canonicis c.21. ep.1. n.27. Didacus Yepes tiraſonienſis

nientis Epiſcopus in vita S. Thereſiæ cap. 1. Alphonſus Caſarubius in compend. mendicant. & alii quamplurimi, quos refert Sapientiſſimus Lezzana tom. 2. annal. in appar. cap. 6. n. 7.

CIV. Et quia in rebus ad Carmelitas ſpectantibus audiendi ſunt illi qui de eis tractare debent, adeamus Joannem Jeroſolymitanum loco ſupracitato, eumque ſic ſcribentem audiamus: *Et in memoriam* (ait) *viſionis de ortu hujus Virginis peroſtenſæ Sancto Prophetæ Eliæ ſub ſpecie nubeculæ aſcendentis de Mari in Carmelum, Monachi prædicti anno Incarnationis filii Dei octuageſimotertio diruentes eorum ſeunion antiquum ædificaverunt ad honorem hujus primæ Virginis Deo dicatæ Cappellam quamdam in Monte Carmeli juxtà fontem Eliæ in ſitu illo, in quo Elias orans, viderat Nubeculam illam quaſi veſtigium hominis de mari aſcendere in Carmelum, ubi Profeſſores prædicti ſeipſos huic Virgini commendantes ſingulis diebus in ſeptem horis canonicis ad effundendum dictæ Virgini, & ejus Filio ſedulas praces, ex nunc ſemper convenerunt, ibique de Verbo Divino, culpiſque vitandis, & animarum ſalute procuranda humili colloquio adinvicem contulerunt. Et propterea ceteri etiam ab eorum Religione exteri eos deinceps Fratres Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli ſemper appellaverunt.* Item Joannes Bacho perilluſtris Doctor agens de cauſis propter quas Summi Pontifices titulum Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Eliano inſtituto concedunt, inquit: *Poſt Incarnationem quoque Oratorium in Carmelo ſub titulo Beatæ Mariæ erexerunt, propter hoc ab ea recte ſunt intitulati*. Et Joannes de Malinis vetuſtus etiam Auctor, hæc habet: *Poſt Aſcenſionem verò D. Jeſu Chriſti, quia ipſi Eremitæ in Monte Carmeli ad honorem B. Mariæ Virginis Cappellam Specialem conſtruxerant, ubi devotè eidem Virgini Glorioſæ Mariæ ſerviebant, idcircò ejus titulum retinere elegerunt, & ex tunc Fratres B. Mariæ Virginis appellari voluerunt*. Accinit & informatio quædam Religionis nomine jam olim Summo Pontifici oblata per Generalem Olerium, in qua informatione art. 1. ſic legitur: *Qui tandem per prædicationem Apoſtolorum fidem Chriſti ſuſcipientes in honore B. Virginis Mariæ Dei Genitricis in declivio ipſius Montis conſtruxerunt, & ipſam in ſpecialem patronam elegerunt, ut patet Rubr. 1. antiquarum conſtitutionum Ordinis prædicti.* Hoc idem afferunt Joannes de Vineta in tractatulo *Cum quidam Fratres*. Joannes Groſſus in ſuo Viridario Clavi. ſ. Baptiſta Mantuanus li: 3. Parthenices. Martinus Italus apud Palæonydorum lib. 2. cap. 8. Sed quæ Eccleſia, Sacra videlicet Rituum Congregatio non ſemel, ſed iterum, videlicet ſub Paulo V. & Vrbano VIII. in lectionibus ſollemnis Commemorationis Beatiſs. Virginis Mariæ de Monte Carmelo legenda præcepit, hic apponere ducimus, ut ea quæ Hiſtorici tùm noſtri, tùm exteri dixerunt, majoris auctoritatis fulcro, communita perſiſtant. In prima igitur lectione ſecundi nocturni ſic legitur: *Ut primi omnium in eo Montis Carmeli loco, ubi Elias olim aſcendentem Nebulam Virginis Typo inſignem conſpexerat, eidem Puriſſimæ Virgini Sacellum conſtruxerint. Ad novum ergò Sacellum ſepè quotidiè convenientes ritibus piis, præcationibus, ac laudibus Beatiſs. Virginem velut ſingularem Ordinis tutelam colebant. Quamobrem Fratres Beatæ Mariæ paſſim ab omnibus appellari cæperunt, eumque titulum Summi Pontifices non modo confirmarunt, ſed & indulgentias peculiares iis, qui eo titulo, vel Ordinem, vel Fratres ſingulos nuncuparent, conceſſere.*

cap. 35. Aliàs 43.

in compend. hiſtor. cap. 3.

in ſpec. hiſtor. cap. 5.

CV. Et ne quis ſuſpicari poſſit de hujus Sacelli primo à Carmelitis constructi veritate, cùm relati auctores diverſimodè ſentiant in ordine ad locum, in quo conſtructum fuerat, cùm Joſeph Antiochenus, Olerius, Armachanus, & antiquiſſimæ Ordinis Conſtitutiones aſſerant in declivio

gularem, patet eorum excellentia ſupra cunctos. Nam ut fingunt Elias fundavit eos in Monte Carmeli, tanquam Filios Prophetarum (& ſequitur) *Fratres etiam Beatæ Virginis debent dici.* Taceat Zoilus iſte damnatus, nugetur emulator, dum Eccleſia, Summique Paſtores, (quos ſuis locis referemus, hunc titulum ſæpius Carmelitis confirmaverint. Audiāt interim ejus ſequaces, ſi qui ſunt, graviſſimum, & Reverendiſſimum Trithemium Ordinis Glorioſiſſimi S. Patriarchæ Benedicti percælebrem Doctorem ſic loquentem: *Cur invides Fratribus Carmelitis Ordinis ſui titulum, quem eis contulit Regina Cælorum? Enimverò ſi Domina Mundi ſe Carmelitis ſororē exhibere voluit, quis ei contradicere poteſt? An non licet ei, quod vult facere? An Oculus tuus nequam eſt, quia ipſa bona eſt? Noli turbari, noli iraſci, noli frendere: Nemo Reginam Cœli prohibere poteſt, quominus Barmelitas ſuos Fratres appellet, & Filios. Non frivola loquor, non falſa; Cum Sūmi Pontifices Romani, Petri Succeſſores, Carmelitas non aliter appellare conſueverunt, quam Fratres Dei Genitricis.* Et pro Coronide quæ idem Abbas Trithemius *in præfatione ad eum librum*, ſic ſcripſit: *Magnam hujus Ordinis inſtitutio laudem promeruit: quem Regina Cœli ſuo vocabulo inſignivit. O verè beata unio, quæ tantę Parentis munita præſidio in æternū firma conſiſtit! Sub Dei Matris protectione Carmeliticus Ordo quieſcit, & idcircò nullam unquā adverſa formidabit. Gaude decus Carmeli: Te mundi Sator ob Matris honorem diligit: Te Domina mūdi Virgo Maria, ut oculi pupillam, cuſtodit: Te ſuperna patrię Cives, colunt, amant, & laudant; nomen, & honorem Imperatricis ſuę in te ſedulò venerantes. Recti quoque diligunt te, memores pulchritudinis tuę. Te nemo veraciter diligit, niſi bonus: Nemo inſtructionem tuam odio habet niſi perverſus. Quam pulchri ſunt greſſus tui in Calceamentis Evangelii pacis, quam venuſta facies, quam elegans forma, quam decorus aſpectus. Beati Cultores tui, qui ambulāt in Semitis veritatis, qui contemptis mundi rebus, tua præcepta devota ſinceritate cuſtodiunt. Major es ò Carmeli Sacrata Religio, quam ut verbis meis valeas predicari. Silere à tuis laudibus, non valeo, quoniā quod virium negat infirmitas, Charitas ſubminiſtrat.*

de laud. Carmelit. lib. 1. cap. 1.

CVI. Attendat etiam Witcleff, & quiſquis cum eo credit monaſticā Perfectorum Religionem trecentis ſolummodo annis, & ultra poſt Aſcenſionem Chriſti ſumpſiſſe exordium. Attendat, inquam, ad ea, quæ antiquiſſimus Joannes Caſſianus in Epiſtola præfatoria ad Pontificem Caſtorem ſcribit: *In eo quoq; preceptis tuis ſatisfacere ſtudebo, ut ſi quid fortè non ſecundum typum majorum antiquiſſima conſtitutione fundatum* (nota ly antiquiſſima) *ſed pro arbitrio uniuſcuiſque inſtituentis Monaſterium vel diminutum, vel additum in iſtis Regionibus comprobavero; Secundum eam, quam vidimus Monaſteriorum regulam per Ægyptum, vel Paleſtinam antiquitus fundatorum* (nota ly antiquitus) *fideli ſermone vel adiiciam, vel recidam. Nequaquā credens rationabilius quippiā vel perfectius Conſtitutionem novellam in Occiduis Galliarum partibus reperire potuiſſe, quam illa ſunt inſtituta, in quibus* (nota ſequentia verba) *ab exordio predicationis Apoſtolicę à Sanctis, ac ſpiritualibus Patribus fundata Monaſteria ad nos uſque perdurant.* Et in lib. 1. c.3. ſubjungit *Idcirco hæc quæ à veteribus Sanctis* (Elia, Eliſeo, Filiiſque Prophetarū) *qui hujus profeſſionis fundamenta jecerunt, neque à Patribus noſtri temporis* (Chriſtiani ſcilicet) *qui eorum per ſucceſſiones inſtituta nuncuſque cuſtodiunt, tradita videmus exempla, ut ſuperflua, & inutilia nos quoque reſecare conveniet.* Et paulo poſt: *Illis debemus inſtitutis, ac regulis indubitatam fidem, & indiſcuſſam obedientiam per omnia commendare, non quas paucorum voluntas intulit, ſed quas vetuſtas tantorum temporum* (nota ly vetuſtas) *& innumeroſitas Sanctorum Patrum*

lib. de Inſtit. Cœnob.

con-

Digitized by Google

concordi definitione in poſterum propagavit. Et collatione 18. cap. 5. pertractans ex profeſſo quibus Auctoribus inſtituta ſit in Eccleſia Chriſti cœnobitarum profeſſio inquit: *Undè conſequens fuit, ut ex communione conſortii Cænobitæ, cellaque, ac diverſoria eorum, Cænobia vocarentur. Iſtud ergò ſolum fuit antiquiſſimum Monachorum Genus* (nota ly antiquiſſimum) *quod non modo tempore, ſed etiam gratia primum eſt, quodque per annos plurimos ſolum inviolabile* (nota ſequentia, nam demonſtrant ante Paulum, & Antonium fuiſſe Religioſorum perfectorum inſtitutum per annos plurimos) *uſque ad Abbatis Pauli, vel Antonii duravit ætatem; cujus etiam nunc in diſtrictis Cænobiis cernimus reſidere veſtigia*. Et in exordio cap. 6. ſcribit: *Undè profectò, ideſt de hoc perfectorum numero, & ut ita dixerim fæcundiſſima radice, Sanctorum etiam Anacoretarum poſt hæc flores fructuſque prolati ſunt. Cujus profeſſionis Principes hos, quos paulo ante memoravimus, Sanctum videlicet Paulum, vel Antonium vidimus extitiſſe. Qui non, ut quidam, puſillanimitatis cauſa, vel impatientiæ morbo, ſed deſiderio ſublimioris profectus, contemplationiſque divinæ ſolitudinis ſecreta ſectati ſunt; licèt prior eorum neceſſitatis obtentu, dum tempore perſecutionis affinium ſuorum devitat inſidias, Eremum penetraſſe dicatur. Ita ergò proceſſit exilia, quam diximus apoſtolica diſciplina aliud perfectionis genus, cujus Sectatores Anachoretæ, ideſt Succeſſores, meritò nuncupantur, eo quod nequaquam contenti hac Victoria, qua inter homines occultas inſidias Diaboli calcaverunt aperto certamine, ac manifeſto conflictu Dæmonibus congredi cupientibus vaſtos Eremi receſſus penetrare non timeant, ad imitationem ſcilicet Joannis Baptiſtæ, qui in Eremo tota permanſit ætate: Eliæ quoque, & Eliſei, atque illorum, de quibus Apoſtolus ita commemorat, circuierunt in melotis in pellibus caprinis, &c.* Legat Witcleff hæc verba, quæ non egent commentario, & fateri non dedignetur ſacram perfectorum Religionem non trecentis poſt Chriſti Aſcenſionem annis, ſed in primordiis legis evāgelicæ à Chriſto fuiſſe inſtitutam, & approbatam, & ab Apoſtolis amplexatam, & propagatam.

CVII. Nec obſtat quod D. Hjeronymus in vita S. Hilarionis dicat: *Nondum tunc erant Monaſteria, nec quiſquam Monachum ante Hilarionem in Syria noverat. Ille fundator, & Eruditor hujus converſationis, & ſtudii in hac Provincia primum fuit.* Nā hæc verba jactata contra Scriptores Catholicos, & præcipuè illos, quibus firmiſſima, & antiqua eſt auctoritas librorum S. Dionilii Areopagitæ D. Pauli Apoſtoli Diſcipuli, non obſtant; illa enim veriſſimè, & maxima cum claritate fuere expoſita à Viris doctiſſimis Bellarmino, ſcilicèt, Gaſeno, Seraro, & aliis, & reaſſumpta à quodam Viro Religioſo alioquin docto, cui nomen Matheſis fecit ad inveſtigandum ut credimus magis ingenuitatem Carmeliticæ traditionis de ſui Ordinis antiquitate: Egregiè enim ſic ſcribit: *Occurrit mihi de Monachis Montis Carmeli dubium intricatius quam nodus gordius.* Et relatis D. Hjeronymi verbis ſubdit: *Verba apertiſſima ſunt, & quę non admittunt ullam tergiverſationem. Si ergò ita eſt, & ante Hilarionem non erant Monaſteria in Paleſtina; ubi erat Monaſterium Montis Carmeli? Deinde ſi ſacrum hoc Monaſterium ob Sacellum Deiparę Virgini Sacrum à Paleſtinis, Phœnycibus, Galileiſque maximè fuit frequentatum, quomodo ante Hilarionem nemo Monachum in Syria noverat? An Monaſterium frequentabatur, & Monachi neſciebantur? Pręterea ſi ab hoc Monte ut à fonte quævis alia Monachorum inſtituta derivata ſunt (hoc enim volunt auctores hujus opinionis) quomodo Hilarion in Syria monaſticæ converſationis, & ſtudii primus fundator, & eruditor? An dicemus Hjeronymum hæc omnia ignoraſſe, qui ipſe monachus inter Syriæ Monachos bonam ætatis partem trivit, qui toties Paleſtinæ loca Sacra luſtratus eſt,*

Joan. Geometra.

qui

qui Monachorum non tantum Syriorum, ſed & Ægyptiarum inſtituta ſcrutatus eſt, vitas deſcripſit, hiſtorias proſecutus eſt? At non eget nodus ille Alexandri Gladio ut ſolvatur; Serarius enim cum ejuſdem illius D. Hjeronymi verborum contexturæ expoſitionem ſibi obiiciſſet Joſephi Scaligeri: *Partim* (inquit) *de primo Auctore non quorumcumque Monachorum, ſed Eremitarum, qui ſolis in locis degerent. Partim de Auctore certò prorſus, & perſpicuo.* Et cap. 24. cum ſibi iterum obiiciſſet ejuſdem Scaligeri verba, ſcilicet: *Nulli ante Beatum Paulum eremitam in Ægypto, ante Sanctum Hilarionem in Syria Monachi fuerunt. Reſpondeo* (inquit) *nulli qui propriè eſſent Eremitæ ante eos fuerunt, ut ſuperiori capite ad primum.* Non obſtat igitur relata D. Hjeronymi auctoritas, ut quis ſufficiens habere poſſit fundamentum aſſerendi cum Witcleff ante Chriſti Aſcẽſionem nullum extitiſſe Religioſorum perfectorum monachatum. Primo quia Divus Hjeronymus tantummodo in laudem Divi Hilarionis ipſum tamquam fundatorem ſui Monaſtici inſtituti in Syria conſtituit. Secundo, cum & ipſe qui verè Monachus erat in ſua Epiſtola ad Paulinum dicat: *Nos autem habeamus propoſiti noſtri Principes Paulos, Antonios, Hilariones &c. & ut ad auctoritatem Scripturarum redeam, noſter Princeps eſt Elias, Præpoſitus noſter Eliſeus, noſtri Duces Filii Prophetarum.* lib. 5. minerval. cap. 23.

Et quia impius Witcleff audacter dicit, ſolidis in Scriptura carere fundamentis, redeamus ad Acta Apoſtolorum. Nonnè illi centum viginti, qui ſimul manſerunt in uno loco, die, ac nocte in templo orantes monaſticam ſectati ſunt diſciplinam, de quibus dicere audet Waldenſis fuiſſe Religioſos peculiares Voto Religionis adſtrictos, magnamq; converſorum partem fuiſſe ejuſdem Religionis in actu? Audiat quicumque dubitat Divum Auguſtinum dilucidè probantem, & ponderantem illud Regii Vatis dictum: *Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare Fratres in unum*: *Iſta*, inquit, *verba Pſalmi, iſte dulcis ſonus, iſta ſuavis melodia tam in cantico, quam in intellectu, etiam Monaſteria peperit. Ad hunc ſonum excitati ſunt Fratres, qui habitare in unum cupierunt. Iſte verſus fuit tuba ipſorum, qui ſonuit per omnem Orbem terrarum, & qui diviſi erãt congregati ſunt.* Et infra proſequitur: *Undè illi pluſquam quingenti, qui Dominum poſt Reſurrectionem viderunt, quos commemorat Apoſtolus Paulus? Undè illi centum viginti, qui ſimul erant in uno loco poſt Reſurrectionem Domini, & Aſcenſionem in Cælum, quibus in uno loco conſtitutis, ſupervenit Spiritus Sanctus miſſus de Cælo in die Pentecoſtes ſic miſſus ſicut promiſſus? Omnes indè erant, & ipſi primò habitaverunt in unum, quia omnia, quæ habuerunt vendiderunt, rerũq; ſuarum pretia ad pedes Apoſtolorum poſuerunt, ſicut in actis Apoſtolorum legitur, & diſtribuebantur unicuique prout opus erat, & nemo dicebat aliquid proprium, ſed erant illis omnia communia, & quidem in unum; & erat* (inquit) *illis anima una, & cor unum*: *Ergo qui primi audierũt, Ecce quam bonum, &c. primi audierunt, ſed non ſoli audierunt. Non enim uſque ad illos tantum iſta dilectio, & unitas Fratrum venit, venit enim, & ad Poſteros iſta Charitas, & exultatio, & votum Deo voverunt; Voverunt enim & ipſi aliquid Deo, ut dictum eſt: Vovete, & reddite Domino Deo veſtro, &c. Ex voce ergo hujus pſalmi appellati sũt & Monachi*: Undè noſter Waldenſis contra Witcleff, & Lolardos: *Videtis* (ait) *quam planè fundat Auguſtinus Eccleſiam Monachorum in Pſalmo Monachos quoque illos fuiſſe, & ibi incæpiſſe in templo ubi fuerunt ſimul, quod in actibus legitur, & quod vitam illam voverunt. Undè non mirum cogimur omnes concedere ibi eos*

super Pſal. 132.

1. ad Corinth. cap. 15. nu. 6.

Act. 2. & 4.

pſal. 75. n. 12.

tom. 1. doctr. Fid. lib. 3. ar. 1. cap. 6.

Re-

Religionis Sanctæ cæpiſſe Chriſtiana primordia. Et ſi qui adhuc ex Lolardorum ſchola dubitant de vero ſtatu monaſtico in primordiis legis evangelicæ, textum actor. 5. perpendant, & per priùs cum relato Waldenſi D. Bernardi auctoritatem, qui libro ſuo de amore ultra medium loquendo de vita clauſtrali refert: *Quod laus hujus diſciplinę ab Apoſtolis ſumpſit exordium juxtà illud actor. 1. ut eſſet multitudinis cor unũ, & anima una, & unanimiter ſemper in templo*. De hac paritèr Clauſtrali Religioſorum vita ſcribens Abulenſis, ait: Quod: *Non à ſemetipſa, ſed à Sanctis Apoſtolis, & Sanctis fidelibus contemporaneis ejus ſumpſit Patrocinium. Undè forſan non omnes iſta tunc temporis facientes Religioſi Clauſtrales erant, ſed omnes habentes iſta ſub voto, & ex toto ſacrificantes ſe Deo, & voluntates, & corpora, quales multos tunc fuiſſe non eſt dubium*. Et quia Ananias, & Saphyra, qui ſuorum bonorũ renunciationem ſub voto fecerant, irritam fecere fidem, ideò pœnam mortis ſubjerunt. At verò fideles alii non minori fervore bona ſua Deo dedicaverũt, quam iſti proditores, licèt uniuſcuiſq; votum ſcriptura æqualiter taceat. Quocirca ſubinfert Waldenſis: *Videtur ergo magnam partem tunc converſorum fuiſſe ejuſdem Religionis in actu; maximè autem illos centum viginti*. Sciat ergo Witcleff licere addere communi Chriſti Religioni peculiarem perfectorum Religionem, etiam in evangelicæ legis primordiis, & ſic vel primos Fideles non condemnet, ſicut & Apoſtolos iſta approbantes, & eos neutiquam increpet, dicendo, quare omnia veſtra vendidiſtis? Cur omnia pro Chriſto dediſtis? Cur Orationibus, & Pſalmis in templo aſſiduè commorantes tempus cõſumitis? Tranſcendunt iſta legem Chriſti vulgarem. Undè ſine iſtis ſalvabitur Gens ſecura; vel taceat, vel reprobandum ſe ſciat ex eo, quod iſta depravat in Religioſis preſentibus. Ab iſtis enim omnis vita Clauſtralis Fidelium; qui illam ſequentes à Patribus cœnobitæ appellantur, exemplum deſumit, vivendique formam, dicente Iſidoro de Monachis:

lib.7. Ethimolog. ca.13. *Cœnobitę ſunt quos nos in communi viventes poſſumus appellare: Cœnobium enim plurimorum eſt. Anacoretæ, qui poſt cœnobialem vitam deſerta petunt*. Et ſubdit: *Sed Anacoretæ Eliam, atq; Joannem Baptiſtam,*

in lib. de Eccleſiaſt. Jerarch. cap.7. *qui ſolitariè vixerunt Apoſtolos imitantur*. Et Dionyſius loquẽdo de Religioſis illius temporis, dicit: *Domini noſtri Duces Sanctus Paulus, magiſter ejus, & cæteri Apoſtoli, quibus ipſe fuit immediatus, nominibus Sacris ipſos dignati ſunt, alii quidem Therapeutas ideſt famulos (dicitur enim à Therapeo, quod eſt curo, vel famulo) alii autem Monachos ipſos nominantes ex Dei puro ſervitio, & famulatu, & indiviſibili, & ſingulari vita, ut viventes indiviſibiliter Sanctis Convolutionibus ad deiformem unitatem, & amabilem Deo perfectionem: propter quod & perfectam ipſis donavit gratiam Sancta legiſlatio, & quadam ipſos dignata eſt Sanctificativa invocatione*. Hanc ſanctam legiſlationem declarat noſter Waldenſis inquiens: *Scriptura donavit eis quandam perfectionis ſingularis gratiam ſpecialem propter unitatem, quam ſervant, ſimul manendo in una Congregatione. Fuerunt igitur juxta relata Scriptura, & Sanctis Patribus, Apoſtoli, Jo: Baptiſta, & Elias Patroni vitæ clauſtralis, & religioſæ*.

CVIII. Ultra relata Scripturæ teſtimonia audiat Witcleff ſequentes ejuſdẽ Scripturæ textus videlicet: *Vos eſtis Filii Prophetarum, & teſtamenti,*

act.3.nu.25. *quod diſpoſuit Deus ad Patres veſtros*. Item: *Erant autem in Jeruſalem*

act.2.nu.5. *habitantes Judęi Viri Religioſi ex omni natione, quæ ſub Cœlo eſt*. Item:

act.4.nu.4. *Multi autem eorum, qui audierant verbum crediderunt, & factus eſt nu-*

act.13.nu.50. *merus Virorum quinquemillia*. Item *Judæi autem concitaverunt muliè-*

res

Digitized by Google

res religioſas, & honeſtas. Et ſciat his Scripturæ textibus non Religionē vulgarem, illamque profitentes intelligi debere, ſed Viros Religioſos peculiari Religione ſuperaddita vulgari, quia alias omnis Populus profeſſus fuiſſet Religionem peculiarem, & non ſingularizaret Scriptura, quod his diebus acceſſiſſent ex omni natione Viri Religioſi, ſingularem enim notam ſimilis ſpecificatio demonſtrat. Et illa verba: *Vos eſtis Filii Prophetarum*, minimè intelligi poſſunt ſine improprietate de Populo Iſrael, aut de Populo judaico, quia hoc nomen *Filii Prophetarum*, tantum eſt proprium, & appropriatum à Scriptura, & Sanctis Patribus Succeſſoribus hæreditarii Spiritus Eliæ, & Eliſei, ut conſtat expreſsè ex relatis Filiis Prophetarum, Rechabitis ſcilicet, & Eſſenis. Et hoc nomen *Unitas Fratrum* explicat Monachos, ſeu Religioſos, ut ſupra dictum eſt ex auctoritate D. Auguſtini explicantis illa verba Pſalm. 132. *Ecce quam bonum, & quam jucundum, &c.* Ex quò liquidò conſtat, quod hoc nomen *unitas fratrum*, ſolummodo competit propriè Monachis, de quibus prædicatur *Monos*, ideſt *ſolus*, anima una, & cor unum in Deum per vota, à quibus Charitas, exultatio, & Votum iu Poſteros venit. Ergò jam nomen *Monachorum*, *Religioſorum Perfectorum* erat tempore Chriſti ex actis Apoſtolorum ſub hoc nomine: *Vos eſtis Filii Prophetarum*, quod eſt nomen proprium inſtituti Eliani, & alias putamus quod in univerſa Scriptura nullus reperiet per hoc nomen Filiorum Prophetarum, populum ſignificari; ſed poſteritatem Sanctorum Eliæ, & Eliſei, ut conſtat ex act. 10. nu. 17.: *In his autem diebus ſupervenerunt ab Jeroſolimis Prophetæ Antiochiam*: Sed iſti Prophetæ non poſſunt intelligi ex nomine antiquo, niſi illi, qui erant in Schola, & Ordine Prophetarum Eliæ, & Eliſei, quia juxtà Hebræos hoc nomine Prophetæ non ſolum intelligebantur illi, qui futura prædicebant, ſed etiam Viri pii, & probi, qui laudabant, docebant, & prædicabant Deum, ſicut iſti in lege gratiæ dicuntur Apoſtoli, diſcipuli, & doctores: Ergò illi de quibus in actis Apoſtolorum, fit mẽtio ſub hoc nomine *Filii Prophetarum* ſunt Viri Religioſi Eliæ inſtituti. Ita explicat hæc omnia Joſephus Antiochenus, Euſebius Cæſarienſis, Sigisbertus, Joachimus Abbas. in concordant. novi, & veteris teſtamenti. Pater Antonius de Quintanaduegnas in lib. Sanct. Imperialis Eccleſiæ Toletanæ, & omnes Auctores Carmelitani.

CIX. Quod ſuprarelati ex actis Apoſtolorum Prophetarum filii ſint Carmelitarum Alumni Fratres, indè Deiparæ Virginis dicti, oſtendit noſter Waldenſis contra Witcleff tam in doctrinali fidei, quam in libro de Sacramentalibus tit. 9. cap. 84. Nam poſtquam cum D. Hjeronymo in ſermone de Aſſumptione Beatæ Virginis ad Paulam, & Euſtochium egit de Deipara, & ejus Converſatione poſt Chriſti Aſcenſionem cum Apoſtolis, quouſque diſperſi fuere ad diſſeminandum in Popolis Evangelium, acceptis priùs in Cœnaculo Spiritus Sancti donis, ſequentia capite relato cum Joanne Jeroſolymitano ſcribit: *Propè hoc Cœnaculum* (audiat quæſo quicumque legit) *contemplatione* (quæ juxta Enricum Stephanum tom. 2. in theſauro linguæ grecæ Conventum, publicum Concilium, ſeu Collegium ſignificat) *Beatæ Virginis Cultores Carmelitæ hoſpitium acceperunt, illuc ad Pentecoſtes feſtum de Carmeli vertice deſcendentès, prout in libro de peculiaribus geſtibus Carmelitarum ad Capraſium Monachum ſcribit Joannes*: *Anno ergò in quo Chriſtus Jeſus aſcendit in Cœlum, omnes Religioſi predicti mox poſt ejus Aſcenſionem in Jeruſalem convenerunt, ubi ut ibi feſtum Pentecoſtes celebrarent in ſanctis. Habitabant autem tunc in Jeruſalem Apoſtoli Domini propè manſionem dictorum Religioſorum, ſcilicet in Cænaculo grandi, & ſtrato, In quo Chriſtus in die Cænæ fecit ſibi Paſcha parare; Ubi Sacramentũ*

Eucha-

Digitized by Google

Eucharistiæ instituit, & Corpus ſuum ſub ſpecie panis ſumendum diſcipulis tradidit. Quod Cœnaculum erat in Monte Sion in parte Montis qui dicitur Mello; Ubi olim erat Palatium, quod Rex David ſibi conſtruxerat. Ex his Joannis verbis habemus Carmelitarum hoſpitium, poſt Chriſti Aſcenſionem in Jeruſalem deſcenſum ad celebrandum in Sanctis Pentecoſtis feſtum, necnon ipſorum habitationem propè Cœnaculum; Quod non obſcurè Divus Paulus commemorat in illis Viris pluſquam quingẽtis, & in illis centumviginti, qui poſt Chriſti Reſurrectionem, ejuſque in Cœlum Aſcenſionem ſimul erant eodem in loco, quibus ibi conſtitutis *Supervenit Spiritus Sanctus miſſus de Cœlo ſic miſſus ſicut promiſſus*. Quibus in verbis clarè demonſtratur Sanctum recepiſſe Spiritum: ob cujus tanti beneficii memoria (ut ſupra diximus) Carmelitæ ante Miſſam Conventualem Antiphonam *Veni Sancte Spiritus* quotidie canunt. Et quod eorum habitatio eſtò eſſet propè Cœnaculum, non erat Jeroſolymis in Cœnaculo grandi, & Strato, ſed quod propè Cœnaculum contẽplatione Deiparæ Virginis, ejuſdem Cultores Carmelitæ hoſpitium acceperunt. Nam ut diximus contemplatio ſecundum Theodoretum in Oſeam, *Prophetarum Cœtum*, ſignificat. Et Theophilattus in Gloſſa ordinaria, loquendo de Prophetis, ait: *Omnes vos facti eſtis laqueus*. Quod idem eſt, ac Conventus publicus, Concilium, ſeu Collegium, ut explicat ſupracitatus Enricus Stephanus. Non errat ergo relatus Joannes in ſimili narrativa, nec Carmelitæ errant in ſimili Deiparæ Virginis cultura; & contemplatione; quia ſicuti ab Elia intuitu Virginis acceperunt ejus inſtitutum, ità propter præſentiam ipſius Deiparæ, converſationem, & cum ipſa colloquia, benè Fratres Beatæ Virginis Mariæ nuncupantur. Confirmat hoc Philippus Abbas Jeropolitanus ſupra illud Joannis: *Miſerunt Judæi &c.* inquiens: *Miſerunt Judæi ab Jeroſolymis Sacerdotes, & Levitas ad Joannem Baptiſtam cum Carmelitis Confratribus ſuis in Eremo prope fluenta Jordanis*. Et indè in Carmelitici inſtituti laudem ſubjungit: *Carmelitarum Religio quam magna facta es in domo Domini! Numquid olim à modico fonte Eliæ Dei Prophetæ principium habuiſti? Et ecce nunc in magnum fluvium creviſti. Tu olim plantata in Eremo, nunc facta es Civitas plena populo. Tu fundatorem habes, adhuc in Paradiſo viventem, & glorioſam Virginem Mariam Reginam Cæli, Dominam mundi in Patronam ſingularem. Sicut enim olim de te proceſſerunt Patriarchæ, & Prophetæ, ſic nunc de te procedunt Sacerdotes, & Levitæ, Doctores, & Evangeliſtæ, qui Patres, & Patroni omniũ Religioſorum facti ſunt*. Et Romana Chronica antiquiſſima ſequentia profert: *At poſtquam Chriſti excellentiam audierant à Joanne commendari, quidam eorum ſecuti ſunt Jeſum. De iſtorum numero fuit Andreas frater Simonis Petri, ut habetur Joannis primo, ubi ſic dicitur: Stabant Joannes, & ex diſcipulis ejus duo*. Et ſequitur: *Quidam verò juxtà Jordanem à Sancto Eliſeo conſtructo in monaſterio manſerunt. De iſtorum numero fuerunt illi, qui à Joanne erant miſſi ad Chriſtum, dicentes tu es qui venturus es? Iſti audito quod Joannes fuiſſet decollatus in Carcere, tulerunt corpus ejus, & in ſepulcro Patrum* (nota) *Eliſæi, & Abdiæ honorificè ſepelierunt. Cum ergò in diverſis Collegiis ad diem feſtum in Jeruſalem conveniſſent, ab Apoſtolis baptizati ſunt, & Spiritu Sancto, repleti, de quibus dicitur actor. 2. erant in Jeruſalem habitantes Viri Religioſi, &c. tunc Beata Virgine adhortante in ipſis fidei Chriſtianæ crepundiis in promulgationem nominis Jeſu Chriſti, & fidei prædicationem, plantationemque primariam, imperterritè Sanctis Apoſtolis ad mortem collaboraverunt, totamque Eccleſiæ fabricam cum eis genuerunt.*

1. ad Corinth. 15.

CX. En igitur benevole Lector à quibus Carmelitæ, Fratres Deiparæ Virginis dicti in Jeroſolimitana, & Antiochena Eccleſia exordium, principium

pium, ac primordia deſumunt. En quomodo continuatam hæreditariam ſucceſſionem ininterruptam uſque ad Chriſti Adventum, Apoſtolorumvè prædicationem, quo tempore baptizati, ex Sāctorum Patrum, ex Doctorum auctoritatibus, necnon ex Sacris Scripturæ relatis textibus ſpiritualem eorum generationē non obſcurè defendunt. En quomodo Beata Virgine Maria adhortante in ipſis Fidei Chriſtianæ crepundiis duce Joanne, Redemptoris præcurſore, necnon Apoſtolis in creſcentis Eccleſiæ fabrica collaboraverunt. En quomodo primo converſi, & cum Apoſtolis generati propè Cœnaculum Pentecoſtes ſollemnia cœlebrarunt. En quomodo Apoſtolorum Coadiutores effecti amplexatum Eliæ inſtitutū à Chriſto collaudatum, in Jeroſolyma, Antiochia, aliiſque Provinciis propagarunt, teſte Euſebio Cęſarienſi ſic ſcribente: *Commendans Sanctiſſimi Patris Eliæ germina jam à millenis circitèr annis ſecus decurſus aquarum divini fontis ab eodem plantata, Apoſtolorum tempore, pro cœleſtis Regni ſpargendo ſemine etiam remotos adiiſſe populos, & ad Antiochiam perveniſſe teſtatur dicens; apud Antiochiā floritiſſima congregatur Eccleſia in qua etiam fuerunt prophetici Ordinis Viri quamplurimi, cum quibus Paulus, & Barnabas. Undè act. 13. erant autem in Eccleſia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ, & Doctores, in quibus Barnabas, & Simon, qui vocatur niger, & Lucius Cirenenſis, & Manahen, qui erat Herodis tetrarchæ collactaneus, & Saulus.* Et antiquiſſima romana Chronica ſic ſcribit: *Prædicatione Domini noſtri Jeſu Chriſti tempore Eremitæ de Monte Carmeli Jeruſalem acceſſerunt, quorum quidam illorum anno ſeptimo à paſſione Domini, uſque ad tempus Titi, & Veſpaſiani Imperatorum, apud Jeruſalem in porta aurea religiosè conſederunt. Alii vero Beati Petri Apoſtoli Antiochiæ Cathedrati temporibus in circumquaque Regione adjacentes, in diverſis locis Catholicam fidem ſubſtiterunt.* Quis igitur tot antiquiſſimorum Scriptorum auctoritatibus monitus, ac illuminatus, adhuc ambigere poterit Carmelitas Eliani inſtituti Sectatores in legis evangelicæ primordiis non extitiſſe, ac inter Apoſtolorū Coadiutores connumeratos non eſſe? Audiant nunc percelebrem Waldenſem in doctrinal. fid. lib. 4. art. 2. cap. 27. Veritatis Amatores, benevolique Viri, & Doctores. Hic enim Hæreticorum malleus adducta auctoritate Divi Hjeronymi ad Eliodorum, in qua: *Alia* (inquit) *eſt cauſa Monachi, & alia Clerici.* Et ad Ruſticū quæ incipit: *Nihil Chriſtiano fœlicius*, & in qua ſequentia leguntur: *Sic vive in Monaſterio, ut Clericus eſſe Merearis. Multo tēpore diſce, quod poſtmodum doceas, & inter bonos ſemper ſectare meliores. Quod ſi populus, vel Epiſcopus te in Clericum elegerit, age quæ Clerici ſunt.* Sequentia addere verba exiſtimavit: *Nec dedignentur Clerici moderni Monachos Religioſos in Eccleſia Dei Coadjutores habere, quos Sancti Dei Apoſtoli dedignari nolebant. Cum tamen præſentes Clerici nō ſint ſuis Patribus peritiores, ſed nec Sanctiores Apoſtolis.* Hoc idem de Carmelitis Sanctos Apoſtolos in prædicatione legis evangelicæ in infantili illi ſæculo coadjuvantibus aſſerunt Joſeph Antiochenus, qui vixit anno à Chriſto nato 130. Philo, qui Beatum Romæ allocutus eſt Apoſtolorum Principem, Euſebius, Caſſianus, & Joannes 44. aliique quamplurimi, qui primis illis legis evangelicæ vixere in ſęculis, cunctaque, vel inſpexere, vel creſcentis Eccleſiæ hiſtorias diligenter indagare non omiſere. Et tàm graves Eccleſiæ Scriptores, quos noſter citat Waldenſis pro ſui Ordinis antiquitate, hæreditariaque ab Elia ſucceſſione ſuſpecti erunt, & aliqui illos ſuſpectos accuſare non erubeſcunt, ex hoc quod de Eliæ Succeſſoribus Carmelitis, tàm benè, & equè benè loquantur? Parcat illis Deus, charitatiſque flammas in ipſorum cordibus infundat, cognitioniſque lumen præbeat.

in Eccleſ. hiſt. lib. 10.

CXI. Quod verò Carmelitæ Apoſtolorum Coadjutores, ut vidimus fidem

Chriſti per univerſum Orbem poſt Chriſti Aſcenſionem effundere ſtuduerint, teſtatur Luitprandus, ſeù Eutrandus in tract. ipſius nomine inſigni, qui vocatur *Fragmenta* ex Bibliotheca Thomæ Tamajo de Vargas Regis Catholici hiſtorici eruto, & ex variorum exemplarium fide recenſito, ubi num. 101. ſic ſcribit: *Sanctus Elpidius, quem S. Jacobus præfecit Toletanis primum Pontificem, Carmelita Monachus fuit, & in prima Petri concione converſus ad fidem* (novi ſcilicet Teſtamenti) *Cum ſociis multis venit in Hyſpaniam, & Toleti fundavit Monaſterium Virginum & Monachorum, ubi poſtea fuit Agallienſe, quod fuerat Beatæ Virgini Cura Monialium harum Matri*, Et num. 171. ait: *Magna pars eorum qui diſperſi in perſecutione S. Stephani ad varias partes trajecerant, & ad Hyſpaniam plurimi venerant, erant ex Monachis Montis Carmeli, prædicationibus Chriſti, & Apoſtolorum ad fidem converſis, in quibus Elpidius, & Socii, Pontifices à S. Jacobo creati, & poſt Martyres effecti.* Iſtos vocat Euſebius lib. 2. cap. 3. *Prophetici Ordinis*. Favet etiam in eiſdem Fragmentis, quod num. 100. ſcribit, nempè: *Sunt qui putant, quod & Ego credo, Sanctam Leocadiam Monialem fuiſſe Ordinis Carmelitarũ, quem Ordinem Monachi Carmelitani ad fidem Chriſti cõverſi in Hyſpaniam intulerunt. Ex quibus fuit Elpidius primus Toletanus Præſes à S. Jacobo conſtitutus.* Fidem meritò huic Luitprando adhibendam eſſe ſuadetur ex eo, quòd fuerit Othonis Imperatoris ad Summum Pontificem legatus, & Berengario II. Italiæ Regi à ſecretis: ac denique in Hyſpaniæ rebus verſatiſſimus, non ſolum quia Eccleſiæ Toletanæ Subdiaconus, & ſi poſteà Ticinenſis Diaconus, & Cremonenſis Epiſcopus, ſed etiam quia, ut ipſe teſtatur, *in Epiſt. ad Tractemundum Epiſcopum Iliberitanum*, quam etiam præfatus Thomas Tamajo typis evulgavit, ex Hyſpania ſecum in Italiam detulit: *aliquot hiſtoriæ libros, in quibus Ordine erat Series collecta multorum Hyſpaniæ Epiſcoporum, quos* (inquit) *in hac Bibliotheca reperi juſſu* (ut creditur) *S. Caroli magni Imperatoris ex Hyſpania allatos*. Relatus paritèr Luitprandus refert ſe videre potuiſſe in eadem Bibliotheca Vitam Sanctæ Sincleticæ ejuſdem Ordinis prophetici à D. Athanaſio adſcriptam, qui referens D. Antonii vitam, tamquam cœterorum Monachorum exemplar, voluit etiam enarratam Sanctæ Sincleticæ vitam deſcribere Virginum ad imitationem. Et meritò relatus Luitprandus dixit ſe illam videre potuiſſe, cum reperta fuerit in Hyſpania in magna Eſcurialis Bibliotheca, quam poſtea idiomate latino tradidit David Colvillus Scoticus, & inſeruit in actis Sanctorum ſapienteſſimus Pater Bolandus ſub die 5. Januarii. Similitèr ſedente Beato Petro Apoſtolo tamquam Apoſtolorum Principe, ac Chriſti Vicario, ſeptem annorum ſpatio in Antiochia Montis Carmeli Incolæ, ſeu prophetici Ordinis Sectatores, ut diximus in diverſis Terrarum Orbis partibus Chriſti Fidem conſtantiſſimè diſſeminarunt, Eccleſiamque in honorem Beatiſſimæ Virginis fabricarunt, ut aſſerit ex relata antiquiſſima Romanorum Chronica Joannes Groſſus ſequentibus verbis: *ut dicitur in Chronicis Romanis tempore prædicationis Apoſtolorum anno à Paſſione Domini 47. regnante Imperio Romano Titi, & Veſpaſiani apud Jeruſalem in porta Aurea, ubi Joachim, & Anna Progenitores Beatæ Mariæ ſibi mutuò obviaverunt, religiosè confederunt, & ibi ad honorem Virginis Mariæ, ubi concepta fuerat Eccleſiam fabricaverunt, & una cum Apoſtolis conſtantèr prædicaverunt*. De quo Tito, & Veſpaſiano Franciſcus Petrarcha pro confirmatione prophetici Inſtituti in primordiis legis evãgelicæ exiſtentis ſequentia ſingularitèr producit verba: *Cum igitur anno à Paſſione Domini 42. Titus, & Veſpaſianus Jeroſolimam veniſſent Eliæ Succeſſores ob reverentiam Chriſti honoratos muneribus illæſos dimiſerunt*. Et addit *Veſpaſiano ſub Nerone rem Jeroſolimis gerenti vicinum Carmeli Montem*

Ora-

Oraculum experiendi deſiderium accepit; Unde in immenſum auctus eſt, accepto reſponſo, quod quidquid ageret, & mente concepiſſet, & attentaſſet ſucceſſurum fæliciter, quamvis arduum, & laborioſum videretur. De hoc pariter Veſpaſiano loquens Cornelius Tacitus ſic ait: *Eſt Judæam inter Syriamque Carmelus (ita vocant Montem, Deumque) nec Simulacrum Deo, aut Templum, ſic tradidere majores, Aram tantum, & reverentiam, illic ſacrificante Veſpaſiano, cum ſpes occulta verſaretur animo Baſilides Sacerdos inſpectis extis, quidquid eſt, inquit, Veſpaſiane, quod paras, ſeu domum extruere, ſeu prolatare agros, ſive ampliare ſervitia, datur tibi magna ſedes, ingentes termini, multum hominum.* Hoc idem Suetonius Tranquillus per hæc verba: *Apud Judæam Carmeli Dei Oraculum conſulentem ita confirmavere Sortes, ut quidquid Veſpaſianus cogitaret, volveretque animo quantumlibet magnum, id eſſe proventurum polliceretur.* Et quamvis hunc *Baſilidem* à Tacito nominatũ, Chriſtianum, imo Eliani Inſtituti verum in Carmelo Cultorem, aliqui ſuſpicentur, cum ab Etnico, Veſpaſiano ſcilicet, Conſultus *exta* ideſt animalium interna inſpiceret, ut ſcribit relatus Cornelius, vel *Sortes*, ut Suetonius refert, adeoque pariter de Oraculo vero, vel falſo dubitent; nihilhominus trepidare videntur timore ubi non eſt timor, & nodum in ſcirpo quærunt, difficultatemque, ubi non eſt exuſcitant. Certum enim eſt ex his quæ ſupra diximus tot ſcripturæ textibus, & Sanctorum Patrũ eximiorumq; ſcriptorum teſtimoniis, & auctoritatibus, Carmelum vulgatum Eliæ, Eliſæi, filiorumque Prophetarum legis veteris habitaculum, numquam Succeſſoribus ejuſdem diſciplinæ ſequacibus caruiſſe. Quid ergò æquiùs, & rationabiliùs eſſe debet, hunc Baſilidem unum ex Eliani inſtituti ſequacibus credere, an verò idolatram, etnicum, & augurem ſuſpicari? Eo enim in Monte falſi Dei Cultum, vel ad modicum tempus extitiſſe, poſtquam Sacrificuli Baal à magno Propheta Elia ibi victi, & coram ipſo interempti ſunt in hiſtoriis inauditum eſt. Quinimò tempore etiam quo Populus Iſraeliticus, ad quem Mons Carmeli ſpectabat, captivitatibus, Gentium invaſionibus, aliiſque calamitatibus gravabatur, veri Dei Cultum non rejiciſſe; vidimus. Etnici quoque ipſi agnoſcebant in Carmelo veri Dei Cultum haberi, prout exprimit Abulenſis 3. Reg. 20. queſt. 10. Lyrani veſtigia ſequens. Quod forſan autumabant Syri, qui 3. Reg. 20. dicebant de Iſraelitis *Dii Montium ſunt Dii eorum*, ut rectè Joannes de Plata in defenſor. antiquit. Ord. fol. 24. Quomodo ergò intruſus hic Idolorum cultor Baſilides credetur? Quomodo falſum Oraculum in Carmeli Monte extitiſſe dicere quis poterit? Maximè cum ex his, quæ ſupra diximus ab inchoatæ Chriſti Eccleſiæ exordio Deiparę Virginis Cultores in eo loco Sacellum ipſi dicarunt, ubi jugiter Dei laudibus, & Virgini ejuſdem devotioni vacarent? Nonnè congruentiùs diceretur, iſtos Deiparæ Sacellanos ibi à Veſpaſiano repertos, & ab ipſo conſultos, fuiſſe, quos credere poterat in Scripturis verſatiſſimos, & in ſpecie Daniele, qui de ampliatione Romani Imperii plura ſcripſerat, quam Idolorum ignotum Sacrificulum? Accedat Gilberti Genebrardi teſtimonium ſic ſcribentis: *Ei* (ſcilicet Eliæ) *poſt mortem* (intellige poſt raptum) *Sinagoga, ſive Sacellum in Carmelo Monte vulgato ipſius habitaculo, in quo vigebat Oraculum, de quo Suetonius in Veſpaſiano cap. 5. apud Judæam Carmeli Dei Oraculum conſulentem Veſpaſianum, ut quidquid cogitaret pollicerentur.* Igitur ex Genebrardo Oraculum hoc Veſpaſiani in Eliæ Sacello vigebat. Quomodo non erit aptius dicere, hunc Baſilidem, Eliæ ſectatorem, & ſucceſſorem eorum, qui vera prædixerant, eodem etiam in loco potius Dei, quam Diaboli miniſtrum fuiſſe?

lib. 2. hiſtor.

cap. 5. de Veſpaſ.

in Cronolog. lib. 1. anno 3284.

CXII. Obſtare, aliquis dicet, videntur Cornelii, & Suetonii verba relata. At nihil minùs Nobis opponi poteſt, cum etiam ipſi Auctores Etnici eſ-

 ſent,

ſent, Chriſtiani nominis infenſi hoſtes, & inimici; ſicut enim innumera alia miracula ab Apoſtolis, & Martyribus geſta tam ipſi, quam alii Gentiles, nec commemorari, ſed omninò occultare, aut ad fabulas, facetias, nugas, vel ſcurrilia convertere ſatagebant; ita etiam hanc à Chriſtiano Baſilide Carmeli eremita, præcibus, & orationibus ad Deum fuſis, habitam prædictionem, gentilitatis fucis, & næniis abſcondere potuerunt. Nũquid novum eſt Etnicos Auctores in rebus ad veri Dei cultum, & Chriſtianitatem ſpectantibus mentiri? Dicat Eminentiſſimus Baronius; ſic enim ſcribit: *Nec mirari quis debet, ſi ſubobſcure, neque adeò dilucidè Etnicus Scriptor myſteria noſtra ſit proſecutus; cum idipſum ſit obſervare in cæteris Scriptoribus gentilibus omnibus, qui rerum Chriſtianarum meminerunt: Nam eadem obſcurè, conciſè, dubiè, & haud uſquaque fideliter in omnibus, quę verò referre conſueverunt, ut Suetonius, Tacitus, Lucianus, & alii.* Mendaces itidem iſtos extitiſſe ex teſtimoniorum contradictione convincitur. Cornelius enim dicit: *Inſpectis extis* Suetonius verò *Sortes*, cum tamen diverſæ litandi apud eos formæ fuerint; Quocirca perdoctus Petrus Waſtellius in vindic. Joan: Jeroſolym. ad lib. de inſtitut. Monac. art. 10. notat Collatium, & Caſaubonũ in animaduerſ. ad lib. 8. Suetonii, reiiciſſe *exta* Cornelii, & *ſortes* Suetonii, ut merum figmentum natum Ethniciſmo, ac mutaſſe in Dei veri Vatem. Et Levinus, Torrentius comment. in Sueton. per Deum *Carmelum* ab Etnicis iſtis vocatum intelligit eum, *qui regnat in æternum*, ideſt Deum verum. Et ut tandem de relato Baſilide abdicetur dubium an Eliani inſtituti Sectator fuerit, an verò Ethnicus, audiant Lectores benevoli quæ Sapientiſſimus Bolandus in actis Sanctorum in Vita S. Teleſphori de illo ſcribit: *Agunt* (inquit) *de Baſilide Presbitero, & Ordinis hujus Rectore, ſeu Abbate Montis Carmeli, inter alios Didacus de Coria lib. 7. cap. 3. per totum, & fusè Petrus Thomas de Saracenis in menolog. parte 1. fol. 77. uſque ad 81. E quibus & aliundè ſatis patet Baſilidem hunc non Ethnicum, & advenam, ſed Catholicum Sacerdotem, Carmeli Incolam, Virum Sanctum extitiſſe, nec Gentilium ritu, ſed Chriſtianorum more per incruentum altaris Sacrificium, non diis Gentium, ſed Deo Cæli viventi, ideoque in Ara ac templo Deiparę Virginis ſacro preſente Veſpaſiano ſacrificaſſe (quod cõtigit anno Chriſti 68. ipſo exordio belli judaici, ante Urbis Jeroſolymæ excidium anno 5. (Vide Veronium in Nerone, licèt Cornelius Tacitus gentilis in odium Chriſtianorum, & favorem Gentis ſuæ aliter accidiſſe mētiatur). Sanè Tertullianus vetuſtiſſimus, & cęleberrimus famę Vir (qui haud longè poſt Cornelium anno Chriſti 197. florebat) hęc de eodem in Apologetico cap. 15.* Et infra: *Et quid mirum ſi illum (ſcilicet Cornelium Tacitum) mendacii arguamus dum negat Templum in Carmelo, ſed Aram tantum extitiſſe, reclamante expreſſè Joſepho Antiocheno infrà referendo, & reclamante etiam Baſilio Anguiſciola Theologo, & Oratore Apoſtolico. Hoc verò Dei Oraculum non fuiſſe Gentilium, qui ibi non commorabantur certum eſt; nec à Judęis, contra quos tamquam hoſtes procedebant petiiſſe manifeſtum eſt. Undè reliquum eſt confirmari, ibi Religioſos Carmelitas commoratos eſſe. De ſortium* verò confirmatione, loquitur Suetonius Gentium more: *Ita confirmavere ſortes, ut quidquid cogitaret pollicerentur.* Et ſi verba Suetonii recitata à Tacito benevole legantur hoc idem declarant. Nam: *Carmelum vocant Tacitus, & Suetonius Deum, qui ſine nomine eſt, & regnat in ęternum*: Igitur ut bene dicit relatus Levynus Torrentius Comment. in eund. lib. Suetonii, ſenſus iſte Suetonii, & Taciti Chriſtianus eſt, quia Baſilides nomen habebat Vatis Matathiadem ideſt Matathiæ Principis, ac Sacerdotis Judęorum, Civis etiam Oppidi Modin ad pedes Montis Carmeli. Fides ergò & Magni Parentis Eliæ Zelus vigebant tempore Veſpaſiani. Undè egregius Poeta Petrus Apollonius collat. in lib. 3. excidii Jeroſolymitani.

ſub ann. 328. §. quibus.

Vulſa

Vulſa ſola frondeſque novas induta Cypreſſus
Nunc habet illa fidem, Matathiademque locutum
Vera tibi vatem, & Carmeli Oracula diſces.

Hoc idem aſſerunt Matthias à S. Joanne in hiſtoria paneg. tom. 1. par. 2. cap. 16. Joannes Jeroſolymitanus de inſtit. prim. Monac. cap. 19. & Ludovicus à S. Thereſia lib. de ſucceſſ. prophet. ſeculo primo Chriſti, & 10. Ordinis cap. 122. fol. 271. tom. 1. Quod ſi denique pius aliquis in impinis auctores eſſe velit, eos à mendacio excuſando, animadvertere poterit, quod cum ipſi tempore, & loco à re, quam ſolum ex aliorum relatu ſcribunt, diſtantes fuiſſent, mirum non ſit à veritate aberraſſe.

CXIII. Hoc eodem primo legis evangelicæ ſeculo Martham, & Magdalenam Sacrum Eliæ inſtitutum emulaſſe, teſtatur ex Carmelitis Palæonydorus, qui loquens de Fœminis Deiparæ Virginis Sodalibus, & prophetici inſtituti Aſſeclis ſic ſcribit: *Inter iſtas erant illa Beatiſſima Maria Soror Lazari, & Martha. Hæc poſtquam fuiſſent in terra ſancta cū Glorioſiſſima Virgine Maria, & Carmelitis Religione converſatæ, venientes in territorium Aquenſe, eandem vitam continuarunt. Maria ſolitaria annis triginta Eremum incoluit Martha verò duo conſtruxit Monaſteria, unum Virorum, aliud Virginum, de quo Vincentius lib. 10. hiſtor. cap. 100.* Cui Palæonydoro ex exteris adhæret Laurentius Bejerlynch in Teatro vitæ humanæ lib. 16. tom. 6. Verbo *Religio, Religioſus*. Qui loquens de Carmelitarum Ordine inter ejuſdem ſanctitatis luminaria Martham, & Magdalenam adſcribit. Ejuſque aſſerto favet Suarez tom. 3. de Relig. lib. 3. cap. 3. n. 12. Et de Marthæ Converſatione loquens D. Antoninus prima parte tit. 6. cap. 20. ſic ſcribit. *Exindè de conſilio ſui Magiſtri S. Maximini magnam Eccleſiam fieri ibi præcepit, & habitationem ſuam juxta eam, ubi congregata ad eam magna multitudine Mulierum ad ſerviendum Deo aſperam vitam duxit, carnem non comedens, nec ova, vel caſeum, vinum non bibens, ſemel in die comedens, centies in die, totidemque nocte genua in oratione flectebat.* Et Petrus de Natalibus Epiſcopus Æquilinus ſic fatur: *Ibi igitur Martha de licentia S. Maximini, & Sororis remanſit, & Sororum multarum congregato Conventu, Eccleſiam in honorem Dei Genitricis ædificavit Monaſteriumque conſtruxit, ibique orationibus, & jejuniis quotidiè vacabat, & mira ſe pænitentia affligebat.* Cujus Monaſterio (teſte relato Æquilino Epiſcopo) Marcella divæ Marthæ pediſſequa illam *uſque ad ejus obitum non dimiſit*, *Marthæ vitam, & geſta conſcripſit. Quæ poſt ejus vitæ finem in Sclavoniam pergens, & ibidem Chriſti Evangelium prædicans poſt decimum annum à dormitione Marthæ in pace quievit.* Hæc eſt illa cœlebris Mulier, de qua in Evangelio Lucæ dicitur: *exclamaſſe B. Venter qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti.* Hoc eodem ſeculo prædicante Athenis in Areopago Paulo Apoſtolo, Dioniſius Areopagita, & Matrona inſignis Damarim ad fidem Chriſti converſi ſunt, qui & ipſi Monaſticum Filiorum Prophetarum inſtitutum amplexati ſunt, ut conſtat ex ejuſdem Dioniſii Areopagitæ lib. de Eccleſiaſt. Jerarchia cap. 6. in quo quamplurima de Monachis, ac monaſtico ſtatu illius temporis ſcribit, ex quo nonincongruè ſuſpicari quis poterit Eſſenorum illius temporis vivendi modum emulatum fuiſſe, quod maximè conſtat ſi verba quædam Epiſtolæ ejuſdem Dioniſii ad Demophilum intimius expendantur. Acriter enim in ea ipſum reprehendit, quod Sacerdotem quemdam indiſcretè, & immodeſtè tractaverit. Et rationem inter alia ſubdit: *Quoniam & Angelis juſtum eſt determinare ea quæ ſunt ſecundum dignitatem, & determinantur.* Ideſt dato quod Sacerdos ille peccaverit, corrigendus eſſet ab Angelis, ideſt Epiſcopis: *Sed non à Nobis ò Demophile, ſed per ipſos Nobis ex Deo, &c.* Ubi verbo illo *Nobis* bis repetito denotare videtur idem Monachatus inſtitutum ſi-

in ejuſd. Martha Vita.

lib. 6. de Sanctis in menſe Julii c. 152.

cap. 11.

Digitized by Google

in 3. Epiſtol. Joan.v.1.§. addit. Mariana.

ſibi, & Demophilo communé eſſe. Accedit ad intentum Cornelius à Lapide, qui expreſsè ait Sanctum Dioniſium ex Aſcetis, ſeu Therapeutis fuiſſe, & nos ſupravi dimus Aſcetes, ſeu Therapeutas idem eſſe ac Monachos, ſeu Eſſenos illius Ævi, ait enim: *Solebant ex Therapeutis, & Aſcetis quaſi viris perfectis creari Epiſcopi, imò Epiſcopi erant Therapeutæ, ut patet in Sancto Dioniſio, Sancto Baſilio, Sancto Nanzianzeno, &c.*

in opere de Sacris diebus in menſe Octob.

Accedit & inſignis Poeta Baptiſta Mantuanus, qui de Sancto Dioniſio aſſerit, licèt ſub enigmatè Poetarum more ad Carmeli Patres ſe tuliſſe, ſic enim canit.

Hic Mariæ viventis adhuc veneranda tueri
Ora volens Navè Aſſyrias annavit ad oras.
Vidit, & aſcenſo Carmeli vertice noſtros
Se tulit ad Patres, ſpelæaque Sancta reviſit,
Magnus ubi Elias legitur vixiſſe priuſquam,
tenderet eoos curru translatus ad hortos.

CXIV. Pariter Divos Baſilium, Eugenium, Agathodorum, Eucerium, Capitonem, Ephrem, Neſtorum, & Arcadium, qui Cherſoneſo martyrium ſubjere, & de quibus concinit Martyrologium Romanum die 4. Martii, necnon Græcorum Menologium ſub die 7. ejuſdem Eliæ inſtitutum profeſſos fuiſſe colligitur ex ſuprarelato Luitprando fragmento 256. & ſequē. ſic ſcribente: *Mihi valdè probabile eſt, & legitur in Orientis hiſtoriis Elpidium, & reliquos Epiſcopos, quos traxerat Sanctus Jacobus in Hyſpanias* (relati enim Sancti fuerunt una ſimul cum Elpidio à Divo Jacobo ad Hyſpaniam miſſi, ut legitur in ejuſdem Divi Elpidii lectionibus à Sacrorum Rituum Congregatione approbatis), *& ab ipſo Sancto Jacobo baptizatos, fuiſſe de numero Carmelitarum, qui in Hiſpania, & per alias Regiones Monachatum introduxerant: Iſtos vocat Euſebius lib.2. cap. 3. Prophetici Ordinis.* Inter hos etiam eliani Inſtituti Sectatores

lib.2. cap.2.

primarii illius ſeculi connumeratur Fronto Petragoricenſis, de quo ſcribit Palæonydorus ejuſdē Sacri Inſtituti eximius hiſtoriagraphus inquiens: *Quartus Fronto Epiſcopus Petragoricenſis, qui Sanctam Martham ſepelivit. Iſte poſtquam cooperatus fuiſſet Fratribus in conſtructione Eccleſiæ in honorem Virginis glorioſæ in Sancto Monte Carmeli, fuit in prædicto loco ſuæ nativitatis Epiſcopus conſtitutus. Conſtruxit igitur illic Monaſterium 70. ſecum habens diſcipulos, teſte Vincentio in ſpeculo. Vide ibi, hujus feſtum colitur octavo kalend. Novemb. ideſt 25. die Octobris.* De quo Dexter hoc loco, & Martyrologium Romanū poſt Bedam, & Uſuardum die 25. Octobris, & de quo etiam ex variis monumentis Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana inter Epiſcopos Petragoricēſes. Huic quoque primario legis Evangelicæ ſeculo adſcribitur mors Sancti Amatoris conjugis Divæ Veronicæ, cui Dominus Speciem ſuam expreſſam dedit, & quem Amatorem citatus Luitprandus Carmelitico Ordini adſcribit

in Fragmen. Fragm.109.

ſequētibus verbis: *Sanctus Amator conjux Veronicæ, cui Dominus faciem ſuam expreſſam dedit, famulus Sanctæ Virginis Mariæ, & Joſeph, & Domini Bajulus, ac Nutricius, poſt Aſcenſionem ejus ad Cœlos, ejus hortatu Sanctum Martialem cum conjuge ſecutus eſt ad Gallias, ubi ſicut viderat propè Nazareth Eremitas Montis Carmeli eam vitam in editiſſimo Monte ſecutus eſt. Vixit ibi multos annos agens vitam magis cœleſtem, quàm terrenam, creditur diſceſſiſſe anno 75. celebratur prima die Novembris.* Conſonat etiam Divus Antoninus, qui loquens de S. Martiali, inquit:

1.par.hiſtor. tit.6.cap.22. §.2.

Venit autem cum Beato Petro Apoſtolo Romam, & per eū miſſus fuit in Galliam, habens in comitatu ſuo Amatorem, & Conjugem ejus Veronicam, quę familiaris, & pręcordialis Amica fuit Virginis Marię. Sanctus vero Amator in Rupe, quę modo Amatoris dicitur, ſolitariam vitam egit, ibique obiit. Veronica autem Sanctum Martia-

lem

Digitized by Google

lem prędicantem ſecuta eſt in Territorio Burdegalenſi, ibique conſenuit. Tandē huic primæ naſcentis Eccleſiæ centuriæ coronidem impoſuit Flavia Domitilla Junior, Flavii Clementis Conſulis, ac Domitiani Imperatoris Cognati ex ſorore Plantilla nepos, diverſa proindè ab alia Flavia Domitilla Seniore ejuſdem Flavii Clementis Uxore, non tàm ejus Virginitatis flore, quam martirii corona, quā noſtro Eliano inſtituto adſcribunt inter exteros Laurentius Beyerlinch loco ſupra citato, dum de Carmelitis, & inter domeſticos Franciſcus Sixtus Neap. *in lib. cui tit. Teſſeredecados Genealog. Jeſu* , *Decade* 1. *cap.* 58. Palæonydorus lib. 2. cap. 5. Franciſcus à S. Angelo in Catalog. cap. 125. Caſanattæ in Paradiſ. Carmelit. ſtat. 2. ætat. 2. cap. 22. eò ſanè fundamento, quod à S. Clemēte PP. cui eam Plautilla mater Chriſtianis virtutibus imbuendam tradiderat, ſacrum velamen, Virginitatis voto emiſſo, veluti Monialis acceperit. Ex quo, vel imitatione ſaltem Eſſenum, ac propheticum concepiſſe inſtitutum elici videtur. Eo præſertim, quia licèt cōmuniter Virgines velari à Paulo 1. ad Corinth. 11. fideles inſtruantur, quod & imitatæ ſunt Trojanæ, Romanæ, Arabes, & aliæ gentium fœminę, teſtibus Valerio Maximo lib. 6. cap. 3. & Tertulliano lib. de Velat. Virgin. præſertim cap. 17. *Sacro* tamen *velo*, non omnes, ſed Deo ſpecialiter, Sanctimonialium inſtar, dicatæ Virgines ornabantur, prout contigit in Sancta Petronilla ab Apoſtolorum Principe ſic velata, Tecla à Paulo, Iphigenia, & aliis à Matthæo Apoſtolo, de quibus in ſuperioribus, & aliis de quibus in ſequentibus. De hoc autem *Sacro* Virginum *Velo*, Tertullianus loco citato cap. 15. Innocentius Epiſt. 2. ad Victricium cap. 12. Hjeronymus Epiſt. 48. dicens, id moris eſſe *in Ægypti, & Syria Monaſteriis* (ex quo etiam deducitur Eſſenum inſtitutum hoc eſſe, cum in illis partibus floreret) & Epiſt. 8. ad Demetriadem. Ambroſius ad Virg. lapſ. Auguſtinus Epiſt. 179. ad Probam, & Julianum in fine, & Gelaſius PP. in Epiſt. ad Lucan. & alios cap. 14. De tali porrò velamine, & ad intentum relatæ Domitillæ, & qualitèr per illud religioſæ Virgines illo ornatæ redderentur, ſic habet Suarez notatu dignum: *Illud velamen ſignum erat religioſi ſtatus, & ante Monaſteria, ſeù Communitates Virginum in uſu fuit.* Idque probat ex Concil. Carthag. 3. cap. 33. & cōcludit: *Erant ergò veræ religioſæ, & ideò ſpecialiter conſecratæ, dicebātur.* Sequitur etiam Aſcanius Tamburinus de Domitilla, & aliis Virginibus loquens, & eas inter Moniales referens lib. de jure Abbatis diſput. 27. quæſt. 1. Conſtat igitur ex his quæ hucuſque ex Scripturæ textibus, Sanctorum Patrum auctoritatibus, eximiorumque ſcriptorum teſtimoniis adduximus Sacrum Carmelitarum Inſtitutum in lege Moſaica à Magno Propheta Elia fundatum, ab Eliſeo propagatum, à Rechabitis, Eſſenis, & Joāne Baptiſta ſecutum, in lege Evangelica à Chriſto inſtitutum, approbatum, & collaudatum cum omnimoda ſollemnitate, & poteſtate Clavium, necnon uſu privilegiorum, & indulgentiarum, ab Apoſtolis coadjuvantibus Carmeli incolis in diverſis terrarum Orbis partibus ſtabilitum, ac diſſeminatum, ininterrupta ſucceſſione toto legis evangelicæ primario ſęculo perduraſſe, atque adeo rejiciendum venit Sacrilegi Witcleff injurioſum dictum Perfectorum nempè Religionem à vulgari Chriſti diſtinctam, monaſticumque ſtatum trecentis annis poſt Chriſti mortē exordium ſumpſiſſe. Quocirca examinandū reſtat an ſequentibus legis evangelicæ ſęculis hæreditaria ſucceſſione ininterrupta perduraverit, magis magiſque floruerit.

tom. 3. de Rel. lib. 2. cap. 4. n. 2.

CXV. In primo ſecūdi ſęculi à Chriſto nato anno, in quo ut ſcribit Dexter: *Mirabiliter fides Chriſti per totas Hyſpanias dilatatur; Creſcit numerus Fidelium, nec perſecutionis gladius debilitatur;* Floruit Abulenſis Antiſtes, & Martyr, Divus Secundus, ac unus ex Diſcipulis Sancti Jacobi

in Cronic.

cobi

Digitized by Google

cobi; Quocirca à nobis prætermitti non debet, cum juxtà dicta in Superioribus, plures ex iis Sācti Jacobi diſcipulis fructus, vel palmites Elianæ Vineæ fuerint. De eo autem ſic ait Dexter: *Ad Caſtrum altū propè Rugiam prædicat Sanctus Secundus Pontifex, Sancti Jacobi diſcipulus, martyr ultimus ſociorum.* In ejuſdemque ſeculi decurſu floruit pariter inſigniaque Sanctitatis argumenta dedit Sanctus Ignatius Antiochiæ Epiſcopus de quo Arnoldus Boſtius, antiquitate, & doctrina inter hiſtoricos cœlebris, dum de Cœnobiis Eliani inſtituti in Syriæ partibus loquitur, hæc inquit: *Ac in ſolitudine Montis Neroy alio nomine Montana nigra appellata propè Antiochiam, nempè propè hanc Civitatem habebāt etiam Monaſterium, quod eis fundavit Beatus Ignatius ejuſdem Urbis Patriarcha tempore Apoſtolorum &c.* Et indè: *Porrò hoc Monaſterium inhabitatum fuit à Fratribus Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli, uſque ad annum Domini* 1291. Aliter paulò rem refert Palęonydorus lib. 2. cap. 2. dum hujuſmodi Monaſterii fundationem tribuit Sanctæ Teclæ Pauli Apoſtoli diſcipulæ, de qua ſupra. Utrumque tamen conciliari poteſt dicendo tale Cœnobium primitus à Tecla cœptum, fuiſſe hoc ſecundo ſeculo ab Ignatio ampliatum. Sub his etiam ſeculi annis refert Cajus Solinus celebris auctor, loquendo de Eſſenis, quos fuiſſe amplexatos Eliæ Inſtitutum quamplurimis Sanctorum Patrum auctoritatibus, & Sriptorum teſtimoniis oſtendimus, quod: *Interiora Judeæ Eſſeni tenent, qui præditi memorabili diſciplina, receſſerunt à ritu Gentiū univerſarū, majeſtatis (ut reor) providentia ad hunc morē deſtinati. Nulla ibi famina. Venere ſe pœnitus abdicarunt. Pecuniam neſciunt. Palmis victitant. Nemo ibi naſcitur, nec tamen ibi deficit hominum multitudo. Locus ille addictus pudicitiæ eſt. Ad quem plurimi, licèt undique Gentium properent, nullus admittitur, niſi quem Caſtitatis fides, & innocentiæ meritum proſequatur. Nam qui reus eſt, vel levis culpę, quamvis ſumma ope adipiſci ingreſſum velit, divinitùs ſummovetur. Ità per immenſum ſpatium ſeculorum, incredibile dictu, Æterna Gens eſt, ceſſantibus puerperiis.* Intellige ly per immenſum ſpatium ſeculorum, per multas annorum centurias ante Chriſtum Eſſenos extitiſſe, ut vidimus ex Baronio. Nec prætermittendum ducimus Quadratum Athenienſem Epiſcopum, qui hoc ſecundo ſeculo paritèr floruit circa annum 130. cum à Segero Paulo inter prophetici Ordinis, Elianique inſtituti Alumnos connumeretur, in vita S. Teleſphori PP. & Martyris, quam ſimul cum annotationibus ejuſdem Segeri ad ipſam ſuis actis Sanctorum adjunxit percelebris ex Societate Jeſu ſcriptoribus Joannes Bollandus die 5. Januarii. Scribit enim Segerus relatus: *Qui non idcircò ſpecialiter Prophetæ appellantur, quod prophetiæ dono, ſeu ſpiritu præditi fuerint; Nam, & hoc multis aliis Sanctis temporibus iſtis commune fuit, ſed quam maximè, quod prophetici Ordinis Sectatores inſtiterint.* Et Philippus Vixquin in ſuo Carmelo poetico de eodem Quadrato, ſic ait:

Quandoquidem ſaxo ſtent ædificata Quadrato,
& compacta quadris ſint loca prima petris,
Quid Carmeliticum ſaxo conferre Quadratum,
impedit? Et dictis aſſimilare petris.

De geſtis paritèr ſub hoc ſecundo à Chriſto nato ſeculo Adriani Imperatoris ſcribens Divus Epiphanius ſequentia ad propoſitum Eliani Inſtituti refert verba: *Poſt annum 47. devaſtationis Jeroſolymorum venit* (loquitur de Adriano) *in Paleſtinam, & aſcendit Jeroſolymam famoſam, ac cœlebrem Urbem, quam evertit Titus Veſpaſiani Filius ſecundo Regni ſui anno, & reperit Civitatem totam ſolo adequatam, & templum Dei conculcatum, exceptis paucis Domibus, & Eccleſia Dei, quæ parva erat, eo loco ubi reverſi Diſcipuli, quādo Salvator aſſūptus eſt ab Olivato, aſcen-*

ex cap. 36. Polyhiſtoriç.

in lib. de menſ. & pond.

aſcenderunt in Cœnaculum. Illic enim ædificatum fuerat, hoc eſt in parte Sion, quæ à devaſtatione relicta erat, & partes Domiciliorum circa ipſam Sion: Ex his Epiphanii verbis habetur vetuſtam illam Carmelitarum manſionem in Jeroſolyma circa Cœnaculum, & Montem Sion, de qua ſupra dictum eſt, ejus Urbis everſione ſub Veſpaſiano, & Tito facta, non periiſſe; Siquidem, ut ait Epiphanius, pars illa Sion, & Domicilia, quæ circa illam erant à devaſtatione ſaltem omnimoda, libera manſerunt. Quæ incommoda paſſi ſint in hac Jeroſolymæ, & Paleſtinæ ſub Adriano devaſtatione Eliani inſtituti Cultores, & ſequaces, variè ſentiunt Carmelitici Scriptores. Petrus Sarracenus ſic ſcribit: *Nec Judæorum malis contentus, & Chriſti Fideles dejecit, & Phalaride crudelior (ait Baronius) innumeros crudeliſſimi generis martyrio affecit: Undè factum eſt, ut ſaluti univerſali conſulentes noſtri, fugam arripere conati ſunt, & ferarum more in cavernis montium, in Speluncis terræ, & in Eremis, ac ſolitudinibus latitantes, hominibus incogniti, cogniti verò Deo, & Angelis, Eccleſiæ tranquillitatem, ac pacem expectabant; Oriente itaq; depopulato, ſolùs Carmelus languens, Virgini adſervabatur*. Et infra: *Nec miſeriarum noſtrarum finis; Sacra publicè facere Imperatorum edicto vetitum, quorum de more ad divinas Deo fundendas præces adire, interdictum, generalia congregare pro Ordinis confirmatione comitia, omninò nobis prohibitum, graviſſimis minatum pœnis erat. Miſerabile ſanè fuit, miſeris illis temporibus ſacro fortiſſimorum rubricatam Martyrũ cruore noſtræ Religionis faciem, & dilaceratos ab Infidelibus tantæ Sanctitatis crines conſpectare, ſed à Deo, cui Chariſſimi erãt, præmia, & Coronas acceperunt. Crebras quidem illaſque graviſſimas ab Infidelibus, noſtros paſſus eſſe perſecutiones, intolerabilia vidiſſe mala, fame, ſiti, frigore, morboque vexatos comperti ſumus. At numquam à ſuo excidit ſplendore Carmeli Vinea, niſi Ælio Adriano Judæis, & Chriſtianis infenſiſſimo Imperãte*. Propagata indè hoc eodẽ ſæculo ſub Antonino pio Imperatore Chriſtiana Religione, propagabatur pariter Monachiſmi Cœlibatus, ut teſtatur Juſtinus, qui eodem tempore florebat in Apologia ad præfatum Antoninum longè ante medium ſequentibus verbis: *Plerique, & pleraque ſexaginta, ac ſeptuaginta annos nati, qui à puero in Chriſti ſe diſciplinam dederunt; incorrupti permanẽt, & glorior quod in omni hominum genere tales monſtrare poſſim*. Et indè: *Invenias autem multos Viros, & Fœminas, qui in Cœlibatu conſeneſcant, quod Deo conjunctiores ſe futuros ſperent; Quod ſi perſeverantia in virginitate, & in Eunuchiſmo magis Deo conciliat, cogitatio vero, & concupiſcentia abducit, certè illa, quorum cogitationes fugimus, multo prius ne ipſo perpetremus facinore cavebimus*. Ad iſtum etiam Imperatorem Antoninum ſcripſiſſe videtur Balbinus Epiſtolam, quam referunt quamplurimi ex noſtris, qui videri poſſunt apud Lezzanam tom. 2. annal. ſub anno Chriſti 140. nũ.4. & in ſpecie Segerus Paulus apud Bollandum ſupra relatum ſub die 5. Januarii in qua ſic de Carmelo noſtro, & Religione in eo radicata ait: *Mõs eſt nomine Carmelus in quo vetus Religio, & Sanctitas antiqua eſt. Elias illic ſacrificia ſemper Deo offerebat, apparent etiam & nunc veſtigia de ara Sacrificiorum*. Hoc eodem ſeculo paulò ante ejuſdem medietatem floruit S. Teleſphorus, quem Elianus Ordo apoſtolicę dedit Cathedræ, eximiæ Sanctitatis Jubar, ut teſtatur Carthagena in homil. pro Carmel. Ægidius Galenius in Colonia Sacra, ſeu de Coloniæ magnitudine lib. 3. ſyntagm. 43. §. 1. & Laurentius Beyerlinch; loco enim ſæpè relato ait: *Ordo Carmelitarum dedit jã Cathedra Apoſtolica Dionyſium primũ ejus nominis, qui martyrio coronatus fuit anno 260. etiam Theleſphorum ex eodem Ordine fuiſſe tradunt, qui etiam poſt paucos annos in Pontificatu tranſactos martyr Chriſti effectus eſt*.

in Menolog. Carm. in vita S. Dioniſii PP.

in Dialogo cũ Triphone.

N CXVI.

CXVI. Inſurgere autem in præſenti circa hunc Teleſphorum alioſq; Anacoreticam hoc ævo ſectantes profeſſionem, poteſt dubium, cur videlicet inter Religioſi Ordinis qualis eſt Elianus, & propheticus Aſſeclas numerari poſſint, cum neutiquam conſtet ipſos ſub alicujus obedientia vixiſſe, aut in cujuſvis manibus ſe profeſſione litaſſe. Hiç tamen nodus nō tàm ſolvendus, quam explodendus videtur aliquibus, qui nominatim, & expreſsè hujus Ordinis Archimandritas, ſeu Præſules ante, & circa hæc tēpora Teleſphori referunt. Agabum videlicèt in actibus Apoſtolorum ſæpiùs relatum, Enochum de Amatin, S. Marci Evangeliſtæ Comitem, & diſçipulum. Baſilidem, qui Veſpaſiani Imperatoris tempore Carmelum regebat, Ignatium, & Frontonem: hos igitur ſi æmulati fuerimus, propoſito dubio, haud difficile occurritur. Nam prudenter exiſtimari poteſt numquam in prophetica Eliæ Familia Præpoſitum aliquem defuiſſe, cui veluti Duci obedientiam præſtarent. Quis enim Ordinem credat niſi ſub uno capite conſiſtere? Aliter etiam enervari poteſt propoſiti dubii difficultas: aſſerendo ad antiquorum Anacoretarum religioſorum ſtatum tuēdum nullatenùs neceſſarium fuiſſe ſua vota in alicujus manibus explicaſſe. Cum nec ratione ſtatus id ſit neceſſarium, quia ſtatus ſolum petit firmitatem, quæ ſine eo poteſt conſiſtere. Nec ratione ſtatus perfectionis, cum in hoc ſolum includatur, quod ſit in ordine ad exercendos actus perfectionis. Sic fermè ægregius Theologus Suarez tom. 3. de Relig. lib. 2. c. 4. nu. 4. Franciſcus de Sancta Maria in Apolog. pro hiſtoria prophetica par. 2. §. 2. nu. 12. Et Alphonſus de S. Victore Benedictinus in lib. cui titulus El Sol del Occidente, prelud. 6. cap. 1. nu. 9. & ſeq. Aliter etiam diſſolvi poteſt difficultatis nodus ductore Angelico Præceptore aſſerendo, quod ut tales Anacorete veram Religioſorum rationem participare poſſent, ipſis ſufficeret habuiſſe obedientiam *in præparatione animi*, ſupplente maximè divina gratia, quod illis deficiebat, ut indicat relatus Angelicus Doctor 2. 2. q. 188. ar. 8. ad 3. à quo non multum diſcedit Suarez to. 4. de Rel. tract. 9. lib. 1. cap. 2. nu. 12. propterea (dicens) eos fuiſſe Religioſos ſolum apud Deum altiori ratione, & eminenter. Quia tamen hoc durū aliis videtur, ideò proprium votum emiſiſſe non ſolum Deo, ſed etiam Epiſcopis, & Eccleſiarum Prælatis confitentur, favente illis eodem Divo Thoma 2. 2. q. 186. art. 5. ad tertium. In hoc tamen Doctorum diſſidio nos aſſerimus præfatos Anacoretas nullatenus à vero ſtatu Religioſo excluſos fuiſſe, primo, quia Propagines erant Apoſtolorum, vel eorum qui diſcipuli Apoſtolorū erant; Apoſtoli autem ut ſchola tenet veri fuere Religioſi. Secundò, quia ſequebātur Eſſenorum inſtitutum, quos quidem poſt Chriſtum, & Apoſtolos religioſam vitam fuiſſe amplexatos vidimus ex Philone, Joſepho, Solino, & aliis. Tertiò, quia ex Cœnobiis tranſibant ad Eremos, & ex Cœnobitis Anachoretæ fiebant, ut docent D. Hjeronymus in Epiſt. 22. ad Euſtochium; Sanctus Iſidorus lib. 2. de offic. cap. 5. & lib. 7. Ethimolog. cap. 13. & Divus Thomas 2. 2. q. 188. art. 8. aſſerens illud Divi Hjeronymi: *De nido Monaſteriorum hujuſmodi volumus egredi Milites, quos eremi rudimenta dura non terrant*. Et alii quos ſequitur Baronius tom. 3. ſub anno Chriſti 328. propterea, dicens, Cœnobitas parere Anachoretas, quia iſti ex illis. Ex quibus aſſerimus verius eſſe hos Anachoretas in alicujus hominis poteſtatem ſe per obedientiæ votū tradidiſſe, quod facilè evincitur ex eo quod Eſſenorum inſtituti Cultores, quos ipſi emulabantur, ſimili voto, vel juramento homini facto aſtrictos fuiſſe conſpicitur ex iis, qui de ipſorum ritibus ſcripſerunt, Philo ſcilicet, Joſeph, Solinus, & alii ſuprarelati. Et ut rem claudamus dicimus, quod ſi de ipſorum aliquibus non conſtat tale obedientiæ votum alicui creato Superiori emiſiſſe, vel ex oppoſito conſtet illud ſoli Deo factum, affirmandum eſſe juxtà ſuperius relatam doctrinam, eos nihilominus ve-

ros

Digitized by Google

ros appellari debuiſſe Religioſos, vel ob obedientiam *in animi præparatione*, ut Angelicus Præceptor dicebat conceptam; vel eminentiori, & altiori ratione ex ſpeciali Spiritus Sancti inſtinctu, prout Suarez eidem Angelico Doctori innixus autumat; vel propter generale votum Epiſcopis, & Eccleſiæ Prælatis nuncupatum, juxtà relatam ejuſdem Divi Thomæ mentem. Quod autem relatus Divus Teleſphorus ex Anachoreta factus ſit Summus Pontifex affirmat Giaconius in Veſpaſiano. Quod verò fuerit Eliani Inſtituti Sectator, patet ex eo, quod ex indulto pontificio omnes Carmelitæ tamquam ſui Ordinis Alumnum miſſa, & officio proprio ſub ritu duplici quotannis colunt die 12. Februarii. Undè Bollandus ſupra relatus ejus vitam deſcribens die 5. Januarii ſequētia habet: *Anachoretam Eliani, ſive prophetici Carmelitarum inſtituti, ex eorum numero, de quibus Joſephus Antiochenus vetuſtiſſimus auctor eidem contemporaneus loco ſupracitato ſcribit in hunc modum; Perfectorum Militum Chriſti, &c.* Et poſtea ſubdit: *Ab his, inquam, perfectis Chriſti militibus, viriſque Apoſtolicis Teleſphorus fama Sanctitatis inclitus, præclariſſimiſque in omnibus meritis ſpectatus deſcendit.*

CXVII. Hoc eodem ſęculo Martyrii Coronam ſuſcepit S. Venerāda Virgo prout ex Martyrologiis, Menologis, Breviariis, Kalendariis, & variis Auctoribus noviſſimè ſcribit Simon à Spiritu Sancto in lib. Typis Neapolis ædito an. 1643. Hæc in Hjeracenſi Civitate olim *Locron*, in magnæ Greciæ Regno ſita ex Agathone, & Polita piis Parentibus, nata in die Paraſceves in Baptiſmi ſuſceptione *Paraſceva* cognominari meruit; indè à latinis Veneranda, & nunc à Popolo Venerea, ſeu Venerdia nuncupatur, & à Genitoribus Deo oblata, eximiæ ſanctitatis futuræ clariſſimum præbuit ſpecimen; Divinis namque Chariſmatibus illuſtrata, oblationi de ſe factæ veluti annuens, Chriſto Sponſo, terreno ſponſalitio rejecto, cum ad provectam ætatem devenit, ſociari ardenter concupivit. Poſt Parentum namque mortem, facultatibus in piis operibus diſtributis, ad quarundam Sanctimonialium Monaſterium ejus Provinciæ, monaſticum profeſſura ſtatum ſe contulit, ubi per aliquod tempus in Religionis ſacris exercitiis mirabiliter profecit. Et indè annos jam nata triginta ſingulari à Deo inſpirata lumine, quo jugiter impellebatur dicere intra ſe cæpit: *Niſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, non regnabo cum Chriſto in æternum*. Quocirca re cum Abbatiſſa, aliiſque ſpiritualibus hominibus communicata, relicto monaſterio, Cruce Chriſti, quam cum Sacris Bibliis ſecum geſtabat, divinitus armata, evangelii prædicationem Hebræis, & Gentilibus, primo in Magnę Greciæ partibus, deindè Romæ, hinc in aliis Provinciis, Gallia tādem, maximo cum fructu multis exanthlatis laboribus patratiſq; prodigiis mirabiliter aggreſſa eſt. Quanta paſſa ſit, incredibilia apparent, niſi gravium auctorum monumentis exarata conſiſterent. Ex quibus Petrus de Natalibus narrat Romæ Præfecti mandato juſſam eſſe: *In terram extendi; & palmas, ac pedes lignis affigi, atque nervis crudis: ventrem ejus cædi, lapidem quoque magnum vix à quatuor Viris delatum ejus ventri ſuperponi*. Deinde: *In lebetem æneum aqua, oleo, pice, ac ſulphure bullientibus plenum immitti, & diebus ſeptem deſubtèr ignem jugiter miniſtrari*. In alia etiam Civitate: *In lebetem æneum pice, & oleo liquentibus plenum mittitur*. Subjungit tandem: *Hoc denique videns Aſclepius Venerandam decollari præcepit, quæ ad paſſionem ducta, dum pro cunctis ſe invocantibus exoraſſet, audivit vocem de Cælo ſe fuiſſe in omnibus exauditam, ſicque converſis ad Chriſtum 990. viris, capite cæſa eſt*. Et cum hæc ſancta Virgo in Monachatu ſe eo tempore exercuerit, quo ante Religionum multiplicitatem, & diviſionem unicum dumtaxat in toto Orbe Monachale inſtitutum vigebat, à Prophetis inchoatum, ab Apoſtolis edoctum, & ab Eſſenis propa- lib.10.c.61.

 gatum

gatum meritò illam Carmelitico adſcribimus inſtituto. Hoc pariter motivo jure Eliano inſtituto adſcribendus eſt S. Elenus, ut eum adſcribit ſepè citatus Laurentius Beyerlinh; de quo Eleno in vita S. Eugeniæ dicitur, quod *dum Infantulus in Monaſterio creſceret tanta Sanctitatis virtutibus augebatur, ut ſi quando miſſus fuiſſet iguem à vicino petere, ardentes prunas veſtimento deferret illeſo*. Et cap. 6. de eo habetur. *Dum appropinquaſſet Monaſterio, ad quod pergebat, ecce & illi* (ſcilicet Monachi) *egrediuntur obviam Patri hymnum Deo dicentes*. Et tandem relato lib. 2. cap. 11. prout apud Palladium in libro qui hiſtoria lauſiaca nuncupatur ſequentia leguntur: *Hinc à pueritia in ſervitio Domini cum omni continentia, & caſtiſſimis inſtitutionibus enutritus ad ſumma merita pervenerat. Denique cum adhuc Puer eſſet in Monaſterio, ſi neceſſarius fuiſſet ignis, ut è vicino peteretur ardentes prunas veſtimento ferrebat illeſò. Quod admirantes omnes, qui aderant Fratres, ſtudium animi, vitæque ejus, ac meriti imitari cupiebant*. Sub cujus magiſterio, ac ſuaſione (ut ſcribit Eminentiſſimus Baronius ad annum Chriſti 188. n. 2. Monachorum Chriſtianorum ſacri inſtituti propagationem deſcribens: *Eugenia in Chriſtum credens nuptias adverſata, una cum fidelibus Eunuchis Protho, & Hyacintho ſecedens, virili habitu delituit inter Monachos, quos Eſſenos à Philone dictos eſſe ſuperius demonſtravimus. Hæc omnia perficiente* (ait relatus Baronius) *S. Eleno Epiſcopo Eliopoleos*. Tandem circa finem hujus ſœculi floruit S. Serapion, de quo ſcribit Paleonydorus ſequentia: *Circa annum mundi 190. clarus effulſit Serapion ille Sanctiſſimus, ex Eremita, & Anachoreta Carmelitico Religionis Octavus Epiſcopus Antiochenus*, & de quo D. Hjeronymus in catal. de Scriptoribus Eccleſiaſt. Nicephorus Calliſtus lib. 4. cap. 20. & 27. Nicephorus Epiſcopo conſtant. in cron. & in Concilio Alexandrino tempore Athanaſii commendatur ejus Catholica Fides olim ſcriptis teſtata, Beda, Uſuardus, Maurolicus, & Baronius in Martyrol. Trithemius de Script. Eccleſ. & Antonius Poſſevinus in App. Sac. lit. S. apud quos pro comperto eſt hunc Sanctum Serapionem prophetici, & Eliani Ordinis Alumnum fuiſſe, quod ſuadetur maximè Eccleſiæ auctoritate, quæ Sac. Congreg. Rituum Patribus approbantibus ſub Paulo V. & Urbano VIII. eum inter alios Carmelitici Ordinis Sanctos, officio Canonico etiam ſub ritu duplici pro die 30. Octob. cœlebrari conceſſit. Ex his igitur teſtimoniis pro monachatu hoc in ſecundo ſeculo à Chriſto nato relatis, clarè conſtat Eliæ inſtitutum ab Eſſenis poſt Chriſti mortem rigoroſè, & exactè obſervatum ininterrupta ſucceſſione continuaſſe, ac floruiſſe.

in lib. 1. Vit. Patrum in vita S. Eugeniæ cap. 5.

in vit. Patrũ lib. 8.

lib. 2. hiſtori. 1. Carm. cap. 3.

CXVIII. Hanc hæreditariam Eliani inſtituti ſucceſſionem oſtendere intendentes, in tertio pariter legis evangelicæ ſeculo, initium deſumimus à cœlebri illa Epiſtola Urbani I. Chriſtianis, & Religioſis illius temporis ſcripta, quæ in tomo primo Epiſtolarum decretal. ſummorum Pontificum inſerta manet. In qua ad Religioſorum tunc temporis viventium inſtructionem, & ad noſtrum intentum ſequentia leguntur: *Quicumque veſtrum communem vitam ſuſceptam habet, & vovit, ſe nihil proprium habere, videat ne pollicitationem ſuam irritam faciat: ſed hoc quod Domino eſt pollicitus fideliter cuſtodiat, ne damnationem, ſed præmium ſibi acquirat; Quoniam ſatius eſt non vovere, quam votum prout melius poteſt, non perficere. Gravius enim puniuntur, qui votum fecerunt, aut fidem perceperunt, & votum non perficerunt, aut in malis vitam finierunt, quam illi qui vitam ſine voto finierunt, aut ſine fide mortui ſunt, & tamen bona egerunt opera*. Ex hac ergò paterna Urbani Pontificis exhortatione ad Religioſos tunc temporis pro vitæ communis obſervantia facta, conſtat in primordiis illius ſæculi anno ſcilicet 228. Carmelitas extitiſſe cum nullus alius tunc temporis fuiſſet Religioſorũ

Mona-

Digitized by Google

Monachatus. Proſequimur indè ad celebrem illum Carmeli noſtri incolam, nomine Fructuoſum de quo Laurentius Beyerlinck loco ſæpè ſæpius à nobis ſupracitato, & de quo etiam noſter Petrus Sarracenus ſequentia teſtatur: *Fructuoſum in Eremiticis noſtris Clauſtris noſtri inſtituti Puerum ætate habitum ſumpſiſſe; atque in Alexandrino Cœnobio jura cuſtodiſſe novitiatus, nemo dubio vertere hactenus auſus eſt*. Et infra: *Hic Patrum noſtrorum eremiticam duxit vitam incredibili quadam auſteritatę, & cum ob ingentes virtutes, quibus inter omnes mirificè fulgebat, & immenſam erga Beatiſſimā Virginem Mariam, cui addictiſſimus erat devotionem, ſumma ab omnibus haberetur reverentia, Eleno demortuo, Ordinis noſtri Generalatus dignitate ſuffectus eſt. Cum autem in dies Sāctitatis ejus fama crebreſceret, Summo Pontifice annuente Tarraconenſis Eccleſiæ in Hyſpania Epiſcopus omnium applauſu creatur*. Hoc etiā ſeculo aliud dedit Carmeli vinea ſedi Apoſtolicæ Germen, ac Floſculum Dioniſium ſcilicet; de quo irrefragabilis Scriptor multoties citatus Laurentius Beyerlinck de Ordine Carmelitano in ejus Vitæ humanæ Teatro ſcribens inquit: *Ordo Carmelitarum dedit in Cathedra Apoſtolica Dioniſium primum ejus nominis*. Hic Athenas pergens ibidem perductus, ac per plures menſes commoratus, ſtimulo deindè luſtrandi loca ſacra Paleſtinæ, Athenarum Civitatem derelinquens, Jeroſolimam devenit, ubi functis omnibus ſuæ pietatis officiis, anno 247. teſte Nicolao Harlamenſi in Cron. Carmelum tandem aſcendit, ibique ut ſcribit Sarracenus tom. 2. Annal. ad ann. 258. n. 5. propheticum, ſive monaſticum habitum ſumpſit, & Eliano indutus habitu ejus vitam, & monachatus normam, non ſolum in Carmeli Clauſtris, verum etiam in Caſulis ab Eliæ ſucceſſoribus propè fluenta Jordanis extructis, profeſſus eſt, ac proſecutus, ut aſſerunt Divus Hieronymus, Euſebius, Nicephorus, Petrus de Natalibus, Trithemius, & alii apud Sarracenum in menol. Carmel. in ejus vita, & apud Lezzanam tom. 2. ad ann. 248. Quibus adſtipulantur non tàm Sacræ Rituum Congregationis verba, in prima ſecundi Nocturni ejuſdem officii lectione appoſita, quibus legitur: *Dioniſius imitatus Sanctiſſimos illos monaſtici Inſtituti Duces, qui ædificatis ſibi Caſulis propè fluenta Jordanis, & Turbis Urbiū derelictis, herbis agreſtibus victitabāt, Anachoreticam, ſeu monaſticam, & verè propheticam vitam aliquandiù egit, &c.* Quam ipſius Dioniſii Stemma, in quo nihil præter Montem Carmelum in Paleſtina ſitum repreſentatur; prout apud Petrum Luciū Belgam videri poteſt. De eo paritèr percelebris Poeta, & Doctor Baptiſta Mantuanus canit.

In Menolog. Carmel. in vita S. Dioniſii.

Hic erat occultus Chriſti de Gente Sacerdos,
Grajus enim dudum Carmelo à monte profectus
Vertice Carpatiis alto, qui prominet undis.

Refert hæc Mantuani Carmina, eis acquieſcens, Joannes Balęus, etſi improbus Apoſtata, hiſtoricus diligens in Catal. Script. Britanniæ cent. 1. in Append. ad Lucium Pium. Hoc paritèr ſeculo egregius Doctor Divus Ciprianus Cæcilius cognominatus, ex eo quod à Cæcilio Presbitero ad Fidem cōverſus fuerit, caſtitatis, & paupertatis religioſę, quę ſuo etiā ęvo vigebat eximius Commendator fuit: ex quo clarè conſtat Carmelitici Inſtituti Moniales, tunc temporis extitiſſe, cum adhùc Religionum diverſitas non fuerit; libro enim 4. de diſcipl. & habitu Virg. ſic ſcribit: *Nunc nobis ad Virgines ſermo eſt, quarum quo ſublimior gloria major & cura eſt. Flos eſt ille eccleſiaſtici germinis, decus, atque ornamentū gratiæ ſpiritualis, læta indoles, laudis, & honoris opus integrum, atque incorruptum. Dei imago reſpondens ad Sanctimoniam Domini, illuſtrior portio Gregis Chriſti*. Et poſt aliquas paginas interpoſitas, Moniales ſui temporis ad Caſtitatis, & paupertatis Religioſę obſervantiam ſuadens, ſub-

ſubdit: *Servate Virgines, ſervate quod eſſe cœpiſtis, ſervate quod eritis; magna vos merces manet, præmium grande virtutis, munus maximum Caſtitatis &c.* Hoc ſimiliter in ſęculo Paulus eremita ſeviente Decii Imperatoris perſecutione deſertam ſeceſſit in Eremum, ut refert Divus Hjeronymus in ejus vita illis verbis. *Ad hæc inſtabat crudelitas, quæ pietatem videbatur imitari. Quod ubi prudentiſſimus Adoleſcens intellexit, ad montium deſerta confugiens, dum perſecutionis finem præſtolaretur, neceſſitatem in voluntatem vertit, ac paulatim progrediens, rurſuſque tantundem reperit ſaxeum montem, ad cujus radicem, haud procul erat grandis Spelunca, quæ lapide claudebatur. Quo remoto, ut eſt cupiditas hominum occulta cognoſcere, avidius explorãs, animadvertit intus grande veſtibulum, quod aperto deſuper Cœlo, patulis diffuſa ramis vetus palma contexerat, fontem lucidiſſimum oſtendens, cujus rivum tantummodo foras erumpentem, ſtatim modico foramine eadem, quæ genuerat aquas terra ſorbebat.* Nec per hoc quod in deſertam ſeceſſerit Eremum, dici poteſt fuiſſe primum, qui deſerta habitaverit, Eremum incoluerit, aut Anachoreticam egerit vitam, etiam poſt Joannis, & Apoſtolorum tempora; nam ante Paulum plures fideles Eremi cultores fuiſſe, cunctis omninò compertum eſſe debet. Etenim de Eſſenis, ſeu Eliſęnis prophetici, & Eliani noſtri inſtituti Profeſſoribus, ut ſępius inculcavimus, clarè conſtat inter ipſos plures fuiſſe in Eremis. Mariam quoque Magdalenam per triginta annos eremum incoluiſſe, ſufficienter oſtendunt hiſtorię. Item S. Teleſphorum, Amatorem, & alios anachoretas fuiſſe antecedenter oſtendimus. Quocirca Jacobus Gualterius veritatis ſcopum attingens, ſcribit. *Anachoreticæ, ſeu eremiticæ vitæ ſtatus fœliciter inchoatus à S. Paulo communiter vocato primo Eremita. Geneb. in Sixto II. Baron. ann. 253. nu. 111. & ſeq. Quamvis ſi propriè loquendum ſit, auctor potius vocetur, quod illam magnopere illuſtrarit, ac perfecerit, quam quod invenerit: Siquidem (ut nihil dicam de Elia, qui ut plurimum verſabatur in monte Carmelo, ut ex libris Regum perſpicuum eſt, & quidem pilis indutus, ac Zona pellicea præcintus, ut 4. Reg. 1. & 8. indicatur. Nihil item de Joanne Baptiſta, qui ab infantia vixit in deſerto, pilis Camelorum indutus, ac locuſtis victitans, Matt. 3. nu. 1. & 4. & Luc. 1. nu. 80. nihil denique de aliis, qui teſte Paulo Apoſtolo Hebr. 11. nu. 37. & 38. Circuierunt in melotis in pellibus caprinis, &c.) Teleſphorus ut in 2. ſeculi columna prima obſervatum eſt, Anachoreta priùs fuit, quam in Pontificem eligeretur. Adde quod non ſolum S. Cyprianus, & Tertullianus meminerunt voti Caſtitatis, veliquę ſanctimonialium in Eccleſia factitati; ſed præterea S. Dioniſius Areopagita Pauli Apoſtoli diſcipulus Eccleſ. Hjerarc. cap. 6. monaſticam profeſſionem extollit, etiam deſignata inter alias ceremonias tonſura, atque habitus mutatione ſuo tempore uſitata. Adeout neque dubium quippiam eſſe queat, quin vita anachoretica generalius ſumpta ſit antiquiſſima, imò & ante ipſam Chriſti prædicationem trita: Neque negare quis poſſit ſtatum monaſticum, ac religioſum præſcius acceptum, jam ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſia Chriſtiana extitiſſe.*

In ſuis tabulis Cronographicis 3. ſæculi.

CXIX. Iſto pariter ſœculo floruit magnus ille Egypti Abbas Antonius, quẽ cunctis pro comperto eſſe debet, magni Eliæ Sectatorem fuiſſe, Eſſenorũ inſtituti Emulatorem, & propagatorem, ac prophetici Ordinis Cultorem: Undè D. Athanaſius ait: *Igitur S. Antonius ſecum reputans oportere Dei Famulum ex inſtituto magni Eliæ exemplum capere, & ad illud ſpeculum vitam ſuam debere componere, &c.* Et Auctor Vitæ S. Pacomii ſcribit: *Erat per id tempus Beati Antonii Vita cunctis admirandum preclarè propoſita, qui magni Eliæ, atque Eliſei, necnon & S. Joannis Baptiſtæ Emulator exiſtens, &c.* Huic ſimiliter ſęculo tanquam ejuſdem jubar,

in vita Divi Antonii c. 7.

ac

ac ſanctitatis præcipuum luminare additur. D. Spiridion Cyprius Epiſcopus Trimituntinus, quem Rufinus lib. 1. Hiſtor. Eccleſiaſ. cap. 5. vocat *Ordinis Prophetarum*; loquens enim de Patribus Concilii Niceni inquit: *Ex eorum numero (& ſi quid adhuc eminentius) fuiſſe dicitur Spiridion Cyprius Epiſcopus, Vir unus ex Ordine Prophetarum, quantum etiam Nos eorum, qui eum viderant narratione comperimus*. Et quod fuerit ex Eliano inſtituto, & conſequenter Carmelitis adſcribendus conſtat ex oratione ſeu collecta, quæ ad diem 14. Decembris Sacr. Rit. Congr. approbante recitatur in Miſſa, & Officio ejuſdem Sancti inter cœteros Carmelitarum Ordinis enumerato his verbis: *S. Spiridionis Confeſſoris tui, atque Pontificis nos feſta Domine tueantur, ut ſicut ille Religionis à Propheta Elia inſtitutæ orationibus, & operibus fuit fidelis imitator, ita & nos, &c.* Nec obſtat ſi dicatur Filiam Irenem habuiſſe, ac pariter Uxorem, nam filiam non procreavit in ſtatu Religionis Elianæ, nec Trimituntini Epiſcopatus, ſed antequam hujuſmodi ſtatus amplexatus fuit, & ſi hiſtoriæ legantur, quis comperiet quamplurimos Religioſos, Clericos, imò & Epiſcopos poſt ſtatum conjugii monaſticum ſecutos eſſe inſtitutum, ut relatus Spiridion poſt Uxoris obitum in Terræ Sanctæ Viſitatione, Paleſtinam proficiſcens; prophetico adſcriptus fuit Eliæ inſtituto, quò circa dicitur propheticam duxiſſe vitam. Tandem in hujus ſœculi ultimis annis floruere Sancti Julianus, & Baſiliſſa, qui ſuaviſſimo eorum ſanctitatis odore Carmeli vineam repleverunt, Julianus enim nobili familia ortus à Parentibus compulſus conjugem Baſiliſſam accepit, genere, & nobilitate coæqualem, quam tamen relinquens intactam, una ſimul cum ipſa virginitatis votum emiſit Deo tam ægregium facinus miraculosè approbante. Mortuis indè utriuſque Parentibus nedum pro ſua, ſed etiam pro aliorum ſalute ſolliciti, virorum, & fœminarum Monaſteria inſtituerunt, ita ut ille Pater fieret Monachorum decemmillium; illa Mater Monialium plurimarum. Graſſante indè Diocletiani, & Maximiani Imperatorum perſecutione, Baſiliſſa pro ſua, ſuarumque Virginum ſalute Deum deprecata, ab ipſo audire promeruit, eas omnes in ſtatu gratiæ eſſe, & ante perſecutionem brevi temporis decurſu ad Cæleſtia Regna migraturas, ſicuti exitus acta probavit. Julianus verò poſt conjugis ſepultarum, cum pluribus ſociis ſuis juſsu Marciani Preſidis cōprehenſi martyrio coronantur. De quibus fuſius egregius Bollandus tom. 1. die 9. Januarii §. 1. nu. 4. Undè venerabilis Beda à quo forſan accepit Rainaudus in Martirol. ad diem 9. Jan. de illis ſcribit: *Apud Antiochiam S. Juliani Martiris, & Baſiliſſæ Conjugis. Hi itaq; Sanctiſſimo Voto caſti conjuges aliquot annis pariter vixerunt, carnē ſuam virginē Chriſto ſervarunt; & monaſteria de ſuis inſtituerunt; ut ad decemmillia Monachorū Pater Julianus fieret, Baſiliſſa verò multarum Virginū Mater*. Huic deniq; ſeculo adiiciendi ſunt tanquam Eliani inſtituti Sectatores, & in Eſſenorum numero comprehenſi Sancti Saba, Iſaias, & alii trigintaſex Martyres, & Monachi, qui in Sina Monte Arabiæ degentes martirii palmam obtinere meruerunt, ut ex Martyrologio Romano ad diem 14. Januarii. Et ex Menologio Enrici Caniſii. Ac tandem ex Bollando tom. 3. Maii ad diem 23. Pag. 446. n. 1. oſtenditur ex actis S. Niconis, & ſociorum Martyrum manuſcriptis græcis Bibliotecæ Vaticanæ, & Ambroſianæ Sanctum Niconem Epiſcopum vitam monaſticam, ac religioſam exercitaſſe in Spelei Montani Garni (ut habetur ibid. pag. 343. n. 6.) Monaſterio ſub Egumeno, ideſt Abbate. Deindè affirmat Niconem factum fuiſſe centum nonagintanovem Monachorum Ducem, ac anteſignanum, & id circa medietatem hujus tertii ſeculi, ac proindè ante Coſtantini, & Pacomii tempora, ille enim floruit ab anno 306. Pacomius verò 349. uſque ad annum 368. ut refert quidam Modernus in ejus vita; & ſimilia teſtantur à Bollando tom. 1. Martii ad diem primam

pag.

Digitized by Google

pag. 8. agente de S. Eudoſia Martyre, inquit enim initio ſeculi ſecũdi ſub Trajano duobus proindè ſeculis ante Conſtantinum vixiſſe, vitamq; cœnobiticam profeſſam fuiſse, ut ex greco Codice Vaticano cap. 9. ubi hæc: *Beatus Germanus Monachus habebat ſuo regimini ſubiectos in Cœnobio Monachos ſeptuaginta, & in Aſceterio non longè indè remoto Virgines triginta, inter quas admiſſa Beata Eudoſia, Præpoſita gymnaſio eſt in defunctæ locum*: De iſtis, & aliis poſteritatis Elianæ Monachis ſcribit Eyſingrenius in ſuo Centenario primo contra Centuriatores Magdeburgenſes, ubi hunc habet titulũ *de Monachis Carmelitis*. Inter hujus ævi Monachos, qui Eljam, Prophetas, & Eſſenos in Monachiſmo emulabantur, prout ex actis apud Metraphraſtem, Baronium, Poſſevinum, pariter adſcribimus Sanctos Epiphanium, & Hilarionem. Id enim relati Scriptores ſumere potuerunt ex Sozomeno dum Paleſtinæ Monachos deſcribens dicit: *Ex eorum numero fuere Eſichius, Hilarionis Sodalis, & Epiphanius, qui poſtea Salaminæ, quę eſt Urbs Cypri, fuit Epiſcopus &c.* Et indè: *Ab ineunte ætatę à Monachis præſtantiſſimis inſtitutus, & in Ægypto longiſſimo tempore eadem de cauſa verſatus in diſciplina Monaſtica, tum apud Egyptios, tum apud Paleſtinos illuſtriſſimus habitus eſt*. Undè eum propterea Carmeli Incolis, & Carmelitano Ordini accenſent Paleonydorus lib. 3. cap. 15. & Laurentius Beyerlinck loco ſæpè citato. De Sancto verò Hilarione Aubertus Mireus Canonicus inſignis, & Bibliotecarius, qui è Grecorum monumentis vitæ ſynopſim ejuſdem Hilarionis æternitati memorabilem ſcripſit, ſequentia habet.

Hilarion Thabatenſis Palæſtinus natu Gentilis.
Alexandriæ Chriſtum cognoſcit.
Bimeſtris Antonii diſcipulus. Eremi cultor.
Eſſenorum diſperſorum Carmelo Palæſt: Reparator magnificus.
Quos item Gozæ, Betelia, Peluſii, Lychni mirè propagat.
Epiſcopos exulatos viſitat.
Sub Auguſto Imperatore Conſt. & Conſt. Julianum fugit.
Siciliam, Dalmatiam, & Cyprum peragratus.
Jejuniis maceratus, Senio moritur Sancto.
A. CCC. LXXII.

Idem profitetur Laurentius Beyerlinck eum referens inter Carmelitarum Ordinis Confeſsores. Et Carolus de Tapia in autent. ingreſſi verbo Monaſteria nu. 10. inter Carmeli incolas eum cenſet. Ex quibus omnibus clarè apparet ininterrupta ſucceſſione toto hoc à Chriſto nato tertio ſeculo Carmelitarum Inſtitutum ab Elia deſumptum viguiſse, ac multis eximiæ Sanctitatis floſculis Eccleſiam Chriſti exornaſse. Ex quibus etiã patet contra Witcleff ante ſeculum quartum; & ante Conſtantinum, & Pacomium fuiſse Monachos, ac Moniales, veram perfectorum Religionẽ profitentes; atque adeo neutiquam trecentis annis poſt Chriſti Aſcenſionem pullulaſse novas Sectas, & hypocriſes, & vafrities, ut vocat Sacra Religioſorum inſtituta.

CXX. Ut vero hæreditaria Carmelitarum ab Elia ſucceſſio ininterrupta paritèr per quartum à Chriſto nato Ævũ conſpiciatur, & poſt Joſephũ, Solinum, Philonem, Plinium, & alios de quibus ſupra, & quorum graviſſima teſtimonia à Nobis relata fuere, accedat Euſebii Cæſarienſis auctoris celeberrimi à ſapiẽtiſſimo Waldenſi multoties citati irrefragabile teſtimoniũ. Hic enim affirmat in Antiochia quãplurimos Eliani inſtituti floruiſſe Monachos ſequentibus verbis: *Apud Antiochiam florentiſſima Congregatio Eccleſiæ, in qua etiam erant prophetici Ordinis Viri quamplurimi*. Ex quibus verbis planè colligitur in primordiis hujus quarti ſeculi Eliani, & prophetici inſtituti Monachos floruiſſe, cum ipſe vixerit ejuſdem quarti ſeculi anno 20. Accedat pariter Idelphonſi de Villegas auctoris eximii aſfatum.

In lib. Hiſtor. Eccleſ. cap. 8.

Digitized by Google

ſutum. Hic enim in vita S. Romani Martyris Antiochiæ edita Italicè Venetiis anno 1512. fol. 53. ſic ſcribit: *Fratres Carmelitani numerant inter Fratres ſui Ordinis S. Romanum, qui ſine dubio eſt hic, meo judicio, quia tempore quo floruit* (ſcilicet anno 310.) *non erant Alexandriæ, Antiochiæ, aut in tota Syria alii Monachi, quam hujus S. Inſtituti*. Ex quo patet plurimos hujus ſęculi Sanctos ad Elianum Ordinem ſpectare, ut benè notat Lozzana tom. 2. annal. ad an. 304. ubi n. 6. quamplurimos ad noſtrum intentum adducit Scriptores. Accedat etiam Eminentiſſimi Baronii irrefragabilis auctoritas. Hic enim percælebris Scriptor præter allata ad annum Chriſti 57. n. 55. de Collegiis Sanctarum Virginum, & Viduarum, quæ nos Monaſteria appellamus, ad an. ſalutis 301. idem reſumens argumentum n. 22. in quo loquens de S. Andrea Martyre, ejuſque ſociis, ſequentia refert: *Ne quemquam moveat Sinæis de Aſceteriis, ſive Monaſteriis mentio habeatur; quod errore decepti multi putant nonniſi à tempore Conſtantini fuiſſe hujuſmodi res, & nomen inventum: Nam præter illa quæ ſuperius dicta ſunt, cum de Eſſenis actum eſt, & quæ de exiſtentibus temporibus Apoſtolorum collegiis Virginum teſtificatione Ignatii narravimus; de his dubitans Euſebio fidem adhibet, & quidem ipſe hac eadem perſecutione urgente, nonullos ex Aſcetis paſſos eſſe martyrium tradidit*. Deindè in actis relati S. Andreæ loquendo de S. Domna, refert quod Maximinus juſſit *Virginem quæri in Monaſteriis*. Et indè ad ann. 64. nu. 3. probat cum Divo Hjeronymo, qui Philonis teſtimonium citat, tẽpore Divi Marci Evangeliſtæ, Monachos, & Monaſteria Alexandriæ extitiſſe. Et Pater Labeus Eſcoſartius Jeſuita in noviſſima Conciliorum editione, loquens de Carmelitis ſequentia profert: *Carmelitarum Ordo ab ipſis Apoſtolorum temporibus in Monte Carmelo inchoatus fuit; Undè & nomen ſuum mutuo accepit, temporis tamen progreſſu numero hominum, & domiciliorum multiplicatus eſt*. Ex quibus Labei, & Eminentiſſimi Baronii verbis conſtat ante Conſtantini, & Pacomii tempora varios fuiſſe Monachos, & Religioſos, qui Cœnobiticam obſervabant diſciplinam; Undè cum ante illos nullum aliud extaret Inſtitutum, niſi Filiorum Prophetarum ab Elia inçhoatum, quem Carmelitæ profiteri fatentur, nullũque aliud, quam illud recognoſcere, ſequitur tale inſtitutum primis illis in ævis, Conſtantinum, & Pacomium præcedentibus, tales Monachos ad propheticum Eliæ Inſtitutum pertinere. Potiori jure Eliani Inſtituti Virginibus accenſenda videtur nobiliſſima illa Leocadia Imperialis Toleti Urbis Hyſpaniæ ſingularis Patrona, nedum quia Deo Virgo dicata fuit, ſed etiam quia Luitprandi fragmenta eam *Ordinis Carmelitani Monialem* dicant, & hunc Ordinem à Carmeli Alumnis nuper ad fidem converſis in Hyſpaniam delatum eſſe afferant. De hac ergo Sanctiſſima Virgine loquens relatus Luitprandus, ſic adſtruit: *Sunt qui putent, quod & Ego credo, S. Leocadiam monialem fuiſſe Ordinis Carmelitani, quem Ordinẽ Monachi Carmelitani ad fidem Chriſti cõverſi in Hyſpaniam intulerunt, ex quibus fuit Elpidius primus Toletanus Præſul à S. Jacobo conſtitutus*. Sanè quidem ex hoc ſecundo primum illud cõſequitur. Si enim Elpidius primus Toleti Anthiſtes extitit, & is ex Carmeli filiis, ut in Superioribus diximus, credi etiam debet aliquot Eliæ propagines eam Urbem decoraſſe, & inter eos hanc Deo Sacram Virginem.

to. 11. in vita Honorii IVi

in Fragm. Fragm. 100.

CXXI. In hoc pariter ſęculo D. Chariton, qui inter Carmeli Germina jure cenſendus eſt, cum Monachatus cultor extiterit tempore, quo nullus alius, niſi propheticus in Orbe Chriſtiano erat, habitatorque fuerit Deſertorum Jordanis, quæ Eſſeni habitare conſueverant, ut diximus; de quo Bollandus in actis Sanctorum tom. 2. pro die 20. Januarii num. 2. referens tres lauras eo loco à Charitone extructas, fuit enim Diſcipulus Magnæ illius Teclæ Apoſtolicæ Fœminæ, quæ inter Therapeutides Elianas recenſetur.

Digitized by Google

Poſtquam ſub tyramnide Aureliani varia ſuſtinuit tormenta pro Fidei cõfeſſione ferro vinctus, carceri mancipatus, multoties crudeliter nervis cęſus, cum lampadibus circa pectus uſtulatus, etſi martyrio vitam non finierit à Deo ſervatus pro plurimorum ſalute, beatam animam inter multorum diſcipulorum ſuorum agmina in lectulo ſuo decumbens Deo redditurus, ſequentia eiſdem Monachis dixiſſe teſtatur ex Methaphraſte Lippomanus tom. 6. pro die 28. Septembris, Surius to. 5. eadem die. Aſcanius Tamburinus de Jure Abbatum tom. 2. diſp. 14. quęſt. 2. nu. 3. *Cum ſuum à corpore exceſſum* (inquit) *vel potius ad Deum acceſſum, ſic enim magis convenit dicere, ex divina revelatione in foribus adeſſe cognoviſſet, omnes quidem dictorum trium Monaſteriorũ Paſtores ſimul, & Greges ad ſe accerſit, &c.* Et indè poſt pauca ſubjungit: *Et ſic loqui incępit. Ego quidem ò Filii jam ad Deum contendo, & venit tempus meæ reſolutionis, oportet ergo vos veſtrarum animarum curam gerere, dum eſt tempus, &c.* Et indè: *Atque primo quidem ſit vobis recta, & firma fides, nullo labeſcens periculo; Deinde vita quoque ſit pura, aut expurgetur; Et ante omnia Vobis ſit curæ corporis Sanctificàtio, ut in templa impolluta ad vos accedat, & inhabitet qui eſt purus, & Sanctificatione ſua, & bono odore animam impleat, &c.* Ex quibus verbis, & ſuaſionibus ad dictos Monachos prolatis ante ipſius obitum conſtat ſui ævi temporibus verè extitiſſe Monachos, eiſque tria conſtruxiſſe Monaſteria; Adeoque cum nullum aliud, ut diximus, tunc temporis extaret Monachorum Inſtitutum, quam Propheticum, & Elianum, ſequitur præfatum Charitonem cœteroſque monachos fuiſſe Carmelitici inſtituti Sectatores. Hoc itidem ſeculo circa annum ejuſdem 26. Elena Conſtantini mater Crucis inventionis deſiderio mota, Jeroſolymam veniens, nõnullas Carmelitici Inſtituti Alumnis, tùm Viris, tùm Mulieribus, magnificè erexit, ac inſtauravit Eccleſias, ut teſtatur antiquus, ac egregius ſcriptor Arnoldus Boſtius inquiens: *Fundavit etiam dicta Regina regale Monaſterium in loco Dominici Sepulchri, locans in eodem loco plures devotas Virgines, ſecundum modum monachorum Montis Carmeli viventes, quas velari procuravit. Huicque Monaſterio præfęcit duas prædictas Sãctimoniales, quarum auxilio invenerat, ut dictum eſt, Dominici Sepulchri locum, quarum una earum Maria nomine aliarum Mater effecta eſt. In eodem itaque Monaſterio ipſa S. Elena adeo perſeveravit, donec ſanctimonialium adunatio in magno numero ſurgeret, ſerviens eis ad menſam propriis manibus cum omni humilitate. De qua humilitate Rufinus ſic ſcribit: Reliquit enim hoc indicium Religioſi animi Regina venerabilis, tempore quo Jeroſolymam viſitarat, & Crucem Domini repererat; Virgines quas ibi reperit Deo Sacratas ad prandium invitavit, & tanta eas veneratione curaſſe dicitur, ut indignum crederet, ſi famulorum uterentur officiis, ſed ipſa manibus ſuis ancillæ habitu ſuccincta cibum apponeret, & poculum porrigeret, aquam ſuis manibus miniſtraret, & Regina Orbis, ac Mater Imperii famularum Chriſti ſe famulam reputaret.* Circa quæ animadvertat benevolus Lector verba iſta Rufini *ex cap. 8. lib. 10. Hiſtoriæ* ipſius, deſumpta eſſe. Quia autem liber iſte decimus Rufini additamentum eſt ad Hiſtoriam Euſebii, ideò eidem Euſebio tribui ſolet. Dicitur porrò à Rufino *Virgines quas ibi reperit Deo Sacratas &c.* Quia in eo loco, vel propè illum erat Spelunca illa, ubi duæ illæ Moniales latitabant. Quo etiam ſenſu Rufinus ipſe dicit: *Templum mirificũ ab Helena voti compote effectà conſtructum fuiſſe in eo loco, quo Sanctã Cruce repererat.* Et Palæonydorus ſcribit Helenã in Calvariæ loco *mirificam* conſtruxiſse Eccleſiam, & ſtatuiſse *Monaſterium Virginum ſecũdum Carmelitanæ Religionis Inſtitutum.* Et ordinaſse: *Sanctimonialem nomine Mariam earum Matrem, & Abbatiſſam.* Addit Boſtius in hoc Mo-

lib. 5. hiſt. c. 23

lib. 2. tom. 4.

Digitized by Google

Monaſterio primò Matrem fuiſse præfatam Mariam; Et defuncta, Syncleticam; eique ſucceſſiſſe Sanctam Matronam, & poſtea Sanctam Saram; & ſubſcribunt Palæonydorus, & Coria, & ulterius addentes huic Saræ ſucceſſiſse quandam nomine Romanam, & poſtea aliam nomine Nonnam. Extruxit etiam Cœnobium Monachorum ejuſdē Inſtituti in Monte Sion prout Boſtius loco ſupracitato, & Palæonidorus lib. 2. cap. 4. licèt iſte, & Coria lib. 7. cap. 21. potius renovationem, quam conſtructionem fuiſse teſtentur. Præcipuè tamen, ut Boſtius affirmat loco ſupracitato. *Præmemorata S. Helena fundavit inſuper, ſeu renovavit Monaſteria Sanctorum Virorum Monachorum Carmelitarum Jeroſolymis in porta Aurea ad honorem S. Annæ, ubi & corpora Sanctorum Joachim, & Annæ invenerat, & exaltarat ſeptimo Kalend. Auguſti*. Et merito inquit, *ſeu renovavit*, quia Cœnobium hoc antiquiſſima Elianorum manſio fuit. Nam ut vidimus hoc Monaſterium una ſimul cum ſacello fuerat antecedenter à Carmelitis extructum in memoriam quod ibi fuerat Deipara Virgo Cōcepta à ſuis Progenitoribus. Et non tantum hoc Deiparæ Sacellum renovavit D. Helena, ſed etiam Oratorium, quod in Monte Carmelo ædificavit Elias, ubi Diſcipuli concinebant Deo laudes, ut benè dicit Cornelius à Lapide ſcribens. *Sanè tempore Eliæ, & Eliſei in Carmelo fuiſſe Oratorium, vel Synagogam, ad quam feſtis diebus Populus conveniret, tum orationis cauſa, tum ut Eliam, & Eliſeum, & ſimiles Concionatores audiret, ſatis ſignificatur lib. 4. Reg. verſ. 23.* Hoc idem aſserunt ibidem Lyranus, Abulenſis, & alii. Hoc inquam Oratorium mutavit in Tēplum præfata Helena, ut teſtatur Nicephorus lib. 8. cap. 3. aſserens: *Helenam Magni Conſtantini Matrem in Carmelo templum ædificaſſe Eliæ Prophetæ*, quod poſtea fuit inſtauratum per Baſilium Imperatorem, ut refert Baronius ad ann. 885. nu. 98. Et Carolus Tapia in Auten. Ingreſs. c. 17. ſcribit Ordinem Carmelitarum floruiſse tempore Conſtantini Magni in quatuor Provinciis videlicet Terræ Sanctæ, Cypri, Thebaidę, & Ægypti. Idem confirmat Rufinus lib. 11. addito Hiſtoriæ Eccleſiaſ. Euſebii Cœſarienſis cap. 5. De his aliiſque Monaſteriis, ac templis ab Helena conſtructis loquuntur quamplurimi Auctores, & Scriptores extranei, & intranei relati à ſapientiſſimo Lezzana tom. 2. annal. ad ann. 326. *in cap. 18. lib. 3. Reg.*

CXXII. Aliquanto poſt in ejus ſœculi decurſu Antonius, qui in vita ſolitaria, ſeu monaſtica à quodam monacho Sene Eſseno inſtructus fuerat, ex inſtituto magni Prophetæ Eliæ exemplum ſumens, ejuſque imitator exiſtens, ſecreta interioris Eremi ſtudio ſectatus eſt ſingulari, ut refertur in ejus vita à Divo Athanaſio deſcripta, in qua ſequentia leguntur: *Igitur Antonius ſecum reputans oportere Dei Famulum ex Inſtituto Magni Eliæ exemplum capere, & ad illud ſpeculum vitam ſuam debere componere.* Et idem Athanaſius relatus à Baronio ann. 328. nu. 32. loquens de Monachis ait: *Habemus pro exemplari Eliſeum, & Conſcii quid Elias egerit*. Indè Hilarion ad duos menſes Antonii Magni Diſcipulus in Paleſtinam veniens Eremum Carmeli aliaque plura ſolitaria loca incoluit circa ann. 330. Qui tandem in Regno Cypri poſt multas exercitatas virtutes, ut ſupravidimus diem clauſit extremam ann. Domini 377. ut teſtatur Vincentius in Speculo hiſtor. lib. 15. cap. 19. & 45. Item inter alios Eliani Inſtituti clariſſimos Patres hoc eodem ſęculo effulſit ille magnus Baſilius nobili genere Cappadociæ genitus, cujus vitam ejus diſcipulus Amphilocius Epiſcopus Iconiæ Doctor Gręcus, Sozomenus, & Socrates duo Hiſtoriographi idiomate gręco, Rufinus verò, & Plathinus Rethor latino ſtylo ſcripſerunt. Hic Ægyptum petens invenit quendam Eremitam Virū Chriſtianiſſimum Incolam Montis Carmeli Porphirium nomine, qui ei Sacri Canonis libros dedit, de quo Sanctus Gregorius Niſſenus ejuſdem Frater in cap. 4. Cantic. ad illa verba, *Capilli tui ſicut Greges Caprarum,*

quæ aſcenderunt de Galaad, affirmat ſignificare Monachos Eliam ſequẽ-
tes, ait enim. *Itaque omnes quotquot ad exemplum Vatis vitam ſuam
inſtituunt ornamentum Eccleſię ſunt, gregatim virtutem in converſatione
mutua colentes*. Similia ſcribit Orat. 15. & ult. in cantic. Et Oratione de
laudibus Fratris ſui Baſilii, ait: *An etiam audebimus ad ſublimẽ Eliam
ſermone aſcendere? Et Oſtendere noſtrum Doctorem ſuæ vitæ inſtituto il-
lius gratiæ aſſimilari?* Et Rupertus ſupra eundem locum, inquit: *Greges
rationales Greges Caprarum rationalium tunc apparuerunt, quando cæpe-
runt homines ejuſmodi eſſe, de quibus Apoſtolus dicit, circuierunt in me-
lotis in pellibus Caprinis &c. Et rectè dicitur apparuiſſe, quia jam di-
ctus Inſtitutor eorum Elias. Circa hæc tempora ipſemet Gregorius Baſi-
lii Germanus in Monte Didimi Prior Ordinatus eſt, poſtea Nicenus, alias
Emiſenus fuit Epiſcopus. In eodem loco, etiam Frater Baſilii Petrus cum
Eubolo, & Amphiloſio converſatus eſt. Jiſdem temporibus magnus ille
Gregorius Nanzianzenus Epiſcopus in Montanis Nigris Sanctæ Carmeli-
ticæ Religionis habitum, & vivendi normam cum ſuo Diſcipulo Eutropio
ſuſcepit*. Hinc Euſtachius de omnibus his Sanctis, qui ad magni Prophe-
tæ Eliæ hinc inde diviſis imitationem ſua extruxere Monaſteria, particu-
lariaque inſtituta in vita S. Eutichii apud Jodocum, & apud Surium die

de vit. monaſt. fol. 355.

6. Aprilis, inquit; *Se totum ſolitariæ vitæ tradidit, Monachi veſtem
induens, & re, atque habitu, & ſermone Philoſophiam illam amplectens,
quam ex utero matris ſuæ adamaverat imitatus eſt Eliam, & Joannẽ
Baptiſtam*. Et Methaphraſtes in vita S. Pacomii ſcribit: *Erat ei revera

Apud Surium die 4. Maii.

*præſtantiſſimi Exercitoris Patris noſtri Antonii Vita ad imitationem ma-
gni Eliæ, & Eliſei, & Joannis Baptiſtæ*. Et D. Hjeronymus loquens de
proprio Monachatu ſæpiùs relata Epiſtola 13. ad Paulinum adſtruit: *Nos
autem habeamus Propoſiti noſtri Principes Paulos, Antonios, Hilariones,
Macarios &c. & ut ad auctoritatem Scripturarum redeam: noſter Prin-
ceps, eſt Elias, Præpoſitus noſter Eliſeus, noſtri Duces Filii Prophetarum.*

tom. 3. de Rel. lib. 3. c. 1. n. 1.

Et Macarius relatus à Suarez in Sermone, qui incipit: *Fratres chariſſi-
mi*, inquit: *Eliam, & Eliſeum, ac filios Prophetarum, quos conſtat ve-
raciter veteris teſtamenti Monachos imitare curate &c.* Et poſt pauca
ſubdit: *Hos ſecuti ſunt Paulus, & Antonius, & multi hujus Propoſiti
Sectatores, qui idcirco laudibus extolluntur, quia à Cœpto Ordine nulla-
tenus leguntur deviaſſe*. Ex quibus omnibus patet Eliæ, Eliſei, cętero-
rumve Prophetarum Filiorum religioſam vivendi formam, ac monaſticũ

lib. de inſtit. Monac. c. 2

Inſtitutum, uſque ad illa tempora viguiſſe, & floruiſſe. Idque confirmat
famoſiſſimus ſequentis ſęculi Scriptor Joannes Caſſianus ſequentibus ver-
bis: *Itaque Monachum, & Militem Chriſti in procinctu belli ſemper
poſitum, accinctis lumbis oportet incedere, hoc etiam habitu illos ambu-
laſſe, qui in veteri teſtamento hujus Propoſiti fundavere primordia divi-
narum Scripturarũ auctoritate demonſtratur*. Undè rectè Bernardus Caſ-

in expoſ. regulæ S. Benedit.

ſinenſis dicit: *Attende benè, quod in veteri teſtamento Elias, & Eliſeus
Monachorum inventores extiterunt*. Rectè igitur concludit Sozomenus
Scribens. *Iſti ad exemplum Eliæ Thesbitis pellibus ſe induebant, ut ſin-
gulis ex pelle corpori circumjecta (ſicuti mihi quidem videtur) virtutem

in hiſt. Eccleſ. lib. 3. c. 13.

*Prophetæ ſemper in memoriam renovantes, ſtrenuè contra cupiditates ve-
nereas confligerent, atque ſtudio, quo ad ejus vitam imitandam incende-
bantur, & ſpe ſimilium præmiorum conſequendorum inducti, multo ala-
criori animo ſe à voluptate temperarent &c.* En igitur tot Sanctorum
Patrum Auctoritatibus, & antiquiſſimorum Scriptorum efficaciſſimis te-
ſtimoniis comprobata ininterrupta his primis à Chriſto nato ſęculis Car-
melitici Inſtituti ſucceſſio, ad cujus imitationem, & exemplum cœtera-
rum Religionum Patriarchæ ſua poſuere primordia, Eliæ inſtitutum imi-
tantes, Filiorumve Prophetarum vitam præ oculis habentes.

Digitized by Google

CXXIII. At ſi exemplar çqualis perfectionis cum exemplato ſaltem eſſe debet, ut docet Angelicus Præceptor quçſ.8. de veritate, Ar. 8. & lib. 3. contra Gen. c. 19. ex eo quod exemplatum in eo quod talç eſt imitatur exẽplar, à quo ſuam perfectionem quaſi tranſcribit, & nihil imitetur id quod eo imperfectius eſt, cum ab hoc perfectio aliqua derivari nequeat, undè fit quod nulla ratio communis exemplari, & exemplato ſit propria in iſto, & impropria in illo, ut obſervat Joannes à S. Thoma 3. parte q. 24. diſp. 20. ar. 2. §. *probatur ratione primo*; & ex tot Sanctorum Patrum, ac interpretum auctoritatibus ſupra relatis conſtet magnum Prophetam Eliam eſſe exemplar veri ſtatus monaſtici, & religioſi quantum ad perfectionem ſubſtantialem, & eſſentialem proprii monachatus; neceſſario dicendum eſt Eliam fuiſſe verè Monachum, & Religioſum quo ad eſſentiam, & ſubſtantiam prædicti ſtatus. Nec per hoc quod ex relatis auctoritatibus affirmemus Eliam fuiſſe exemplar Vitæ Religioſæ, intendimus quod fuerit primum, & præcipuum exemplar. Nam hujuſmodi ratio tam in Ordine ad vitam monaſticam, quam reſpectivè ad alias perfectiones convenit Chriſto Domino, & Deiparæ, ut rectè docet Angelicus Præceptor 1. ad Corinth. 11. lect. 1. ſed ſolum intendimus] quod Elias eam excellentiam habuerit poſt Chriſtum, per Chriſtum, & ſub Chriſto. Quo pacto aliqui Juſti dicuntur exemplaria peculiarium perfectionum, ut loquitur D. Ambroſius lib. de Joſepho cap. 1. in quo Abraham appellat exemplar devotionis & fidei, Joſeph Caſtitatis, Job patientiæ, & ſic de cœteris. Igitur ſi Elias fuit exemplar ſtatus monaſtici, ad ejuſque imitationem, & normam tot Sancti Patriarchæ ſua particularia fundavere inſtituta, & ante eos à primordiis legis evangelicæ tot Sancti Monachi Eliæ inſtitutum ſecuti ſunt: in eoque perdurarunt per quatuor ſęcula à Chriſto nato, qua fronte iniquus Witcleff aſſerere præſumit ſtatum monaſticum trecentis annis poſt Chriſti Aſcenſionem ſumpſiſſe exordium, novaſque ſectas, hyppocriſes, ac verſutias Sacra Religioſorum inſtituta nuncupare, eaque tanquam nova, improba, ac inutilia reprobare? Repatrient igitur tam inſidioſa verba, totque ſcripturæ textibus, Sanctorum Patrum auctoritatibus, cæleberrimorumque Scriptorum teſtimoniis convictus fateri non erubeſcat Perfectorum Religionem ſupra vulgarem, ac communem Populi in veteri lege etiam naturæ ſumpſiſſe exordium, & quo ad eſſentialia, & ſubſtantialia ſtatus monaſtici à Propheta Elia traxiſſe originẽ, ac ininterrupta ſucceſſione perduraſſe uſque ad Adventum Chriſti, à quo fuit omnimoda ſua perfectione cum ſollemnitate, & poteſtate Clavium tamquam á cauſa primordiali, & efficiente inſtitutus, ab Apoſtolis amplexatus, a Carmelitis, eorumdem Coadiutoribus uſque ad Paulum, Antonium, Hilarionem, Baſilium, Macarium, cœteroſque Patriarchas abſque ulla quamtumvis minima interruptione continuatus.

CXXIV. Sed ut ad alia procedamus ſęcula. Tempore Honorii, & Arcadii Imperatorum ante annum Domini 400. fuit quidam nominatiſſimus Montis Carmeli Eremita S. Religioſæque Vitæ ab Elia inſtitutæ ſectator nomine Joannes. Hic juvenili ætate, caduca, ac mundi tranſitoria contemnens, Montis Carmeli Eremum petiit, ubi Deo ab adoleſcentia ſerviens, tanta emicuit humilitate, ut ipſi quoque Seniori Cyrillo illius loci Priori admirationem incuteret, cui ad Patriarchatum Jeroſolymorum aſſumpto, ipſe Joannes in prælatura ſucceſſit, prout refert S. Cyrillus Conſtantinopolitanus lib. ad Euſebium cap. 1. Et ob Vitæ Sanctitatem, Religioſitatem, & Doctrinam in Jeroſolymitanæ Eccleſiæ Patriarchatum ſublimatus, in monaſticæ vitæ diſciplina per Eliam inſtitutæ optimè verſatus, librum compoſuit de inſtitutione Monachorum in lege veteri exortorum, & in nova perſeverantium, in quo ſingulariter de Carmelitis ininterrupta ſucceſſione ab Elia uſque ad ſuum tempus deſcendentibus diſtinctam me-

Digitized by Google

memoriam, & atteſtationem mirabiliter præbet. Ob quam cauſam ab aliquibus minus benevolis ſuſpectus, & ſuppoſititius falsò creditur. Talem autem librum non eſſe ſuppoſititium, & ab omni ſuſpicione alienum conſtare deberet ex eo, quod illum Joanni adſcribunt, & ſuo nomine referunt variis in locis, & ſcriptis, nunc caſu, nunc ſerio quamplurimi eximiæ notæ Scriptores; & omiſſis domeſticis noſtris, ne faſtidium minus benevolis eorum adductione generetur, ſolum aliquos ex Exteris adducimus. Hi ſunt Trithemius de laud. Carmel. cap. 2. Angelus de Paz. tom. 1. expoſit. ſimb. lib. 5. cap. 22. Petrus Caniſius de Beata Virgine lib. 2. cap. 3. circa medium §. *non repetam*. Valentia lib. controverſ. tract. de Votis Religioſ. Joannes Carthagena tom. 4. homil. lib. 17. Silveſter Marulus Ciſtercienſis in Ocean. Relig. lib. 4. Joannes Zuvalartius in ſuæ Peregrinationis Jeroſolymitanæ hiſtoria lib. 2. cap. 5. Aubertus Mireus in Cron. an. 1207. Gaſpar Sanchez in 3. Reg. 17. n. 13. Joannes Pitſeus de illuſtribus Angliæ Scriptoribus agens de Carmelitis. Leander de Granata in Vita Gertrudis, Magallanes in Cantic. Moyſis lib. 3. Sec. 2. annotat. 6. Suarez tom. 4. de Relig. tract. 9. cap. 10. Laurentius à Ponte in lib. Sapien. cap. 1. n. 4. digreſſ. 2. Petrus de Valderama in Theatro de Relig. ſermone de S. Elia. Petrus Ocheda de Conceptione Beatæ Virginis cap. 1. Mexia de Lacerda tract. de Immacul. Concept. Ægidius à Præſentatione tractatu de Concept. lib. 3. q. 4. art. 1. §. 1. n. 8. Cornelius in Epiſt. ad Hebr. cap. 11. verſ. 38. & 4. Reg. c. 10. verſ. 15. Bajeza in commentar. moral. in Evang. lib. 1. cap. 8. §. 9. & 13. Boulduchus lib. 3. de Eccleſ. ante legem cap. 16. Ægidius Camardus de rebus Eliæ cap. 5. Sec. 10. & cap. 7. Sec. 1. Petrus Belzius Regius hiſtoricus in Epiſt. ad Fili. Carmelit. Joannes Serranus Epiſcopus Acernenſis de Immac. Mariæ Concept. lib. 2. cap. 18. nu. 10. Theophilus Rainaudus in Nomenclat. Marian. Thomas Ferrarius in hiſtor. Imaginis Beatiſſimæ Virginis Mariæ cap. 1. Hippolitus Marracius de Fundatoribus Marianis cap. 1. ſed pro omnibus unus audiatur Ferdinandus de Salazar S. Inquiſitionis Hyſpanicæ Inquiſitor, & Archiepiſcopus Electus, qui in libro de Immaculata Conceptione Virginis ſeculo 4. argum. 12. cap. 42. hæc profert: *Illud tamen ſcias velim Illuſtriſſimos Cardinales Baronium, & Bellarminum ſeriò aſſirmaſſe librum illum de Inſtitutione Monachorum non eſſe Joannis Jeroſolymitani germanum opus, ea ratione ductos, quia meminit Carmelitarum, eorumque habitum graſi è deſcribit, quos ajunt Joanne Jeroſolymitano longè poſteriores fuiſſe. Sed abſit ut Ego gloriam iſtam Carmelitanis Patribus invideam, ne dictum Joannem inter ſuos Protoparentes numerem*. Et infra. *Vidi certè atque evolui non pauca antiquitatis monumenta, ut in controverſia aliquid certi definirem; nihil tamen reperi, quod non ſuaderet præmiſſum Joannem Carmelitanum fuiſſe, & dictum de Inſtitutione Monachorum librum ab ipſo conſcriptum, atque adeo hanc ſententiam libenter amplector, & graviſſimo, antiquiſſimoq; Ordini quæ ſua ſunt liberè reſtituo*. Hiſcè accedit omnium maxima Sedis Apoſtolicæ auctoritas; nam in officio Canonico S. Alberti Patriarchæ Jeroſolymitani à Sac. R. Congreg. approbato legitur, quod dictus Albertus: *Ex Joannis 44. Epiſcopi Jeroſolymitani regulam operibus concinnavit, quam Carmelitis ſibi arctiſſimo amoris vinculo junctis tradidit obſervandam*. Quomodo ergò, ò bone Deus talis liber ſuſpectus, aut ſuppoſititius haberi poteſt, ſi à tot ſuprarelatis Auctoribus, neutiquam ſuſpectis, citatur, admittitur, & approbatur, & S. Sedis auctoritas indubitatam eidem libro adhibet fidem? Forſitan talem illi infigunt noxam, utpotè quia de Carmelitarum ininterrupta ab Elia ſucceſſione clarè teſtatur. Quæſo benigniori oculo, ac corde benevole hunc humillimum, ac pauperrimum inſpicere non dedignentur Ordinem, eique

quæ

Digitized by Google

quæ ſua ſunt, ſi ſuà, concedere non renuant.

CXXV. Eodem ferè tempore claruit S. Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus Doctor græcus, Montis Carmeli quondam decus, & cultor inſignis, ut teſtatur Trithemius lib. de Scriptorib. Eccleſ. in Cyrillo Alexandrino, qui Monaſterium Virginum Elianæ Religionis propè Alexandriam, & Nilum Fluvium, Deipara Virgine monente, conſtruxit, prout refert Lezzana to. 3. annal. ad ann. Chriſti 447. id fusè probat ex antiquiſſima Ordinis traditione, Kalendariis, Menologiis, necnon graviſſimis auctoribus etiam extraneis, & in ſpecie à S. Iſidoro Peluſiota, qui præfato Cyrillo fuit coevus. Et Trithemii ſententiam ſecutus eſt Joannes Riocle inſignis minorita, cujus hæc ſunt verba: *Hic Beatus Auguſtinus fuit vitæ monaſticæ, ut & Beatus Hjeronymus, Baſilius, Gregorius, & Cyrillus, qui fuit ex Congregatione Montis Carmeli*; Ubi apertè non alterius Cyrilli Conſtantinopolitani, aut Jeroſolymitani locutus eſſe videtur, cum de temporibus proximioribus S. Hjeronimo, Auguſtino, Baſilio, & Gregorio, qui Synchroni fuere S. Cyrillo, & æqualis, verba commiſceat. Favet Guillelmus Pipinus Ordinis Prædicatorum in Concione de S. Anna, à quo vocatur *Inhabitator Montis Carmeli*. Suffragatur Arnoldus de Villanova in Epiſtola ad Regem Aragoniæ apud Palæonydorum ejuſdem verba referentem lib. 2. cap. 7. quibus legitur. *Audiens autem (ſcilicet Cirillus) S. Joannis in Jeruſalem bonam famã, dum ipſius præſentia aliquandiù fruitus fuiſſet, junctus Fratribus Carmeli in Religione Speculum dedit illis fulgentiſſimæ Sanctitatis*. Idem affirmant Guillelmus Einſegrenus in ſuis centuriis Eccleſiaſticis tit. de Monac. Carm. & quamplurimi alii ex exteris, quos citat Lezzana tom. 2. annal. ad ann. 371. nu. 13. Et inter alia Scriptorum teſtimonià accedit irrefragabilis auctoritas Sedis Apoſtolicæ, quæ in ejuſdem Officio Carmelitis conceſſo, tamquã ejuſdem Ordinis Alumni lectione 4. hoc idem approbavit ſequentibus verbis. *Adoleſcens Athenas ſtudiorum cauſa miſſus cum plurimum profeciſſet, ad Joannem Epiſcopum Jeroſolimitanum, ut Chriſtianæ vitæ perfectione imbueretur, ſe contulit. Cujus conſuetudine in Carmelum montem ſecedens, ibi cũ aliquot piis hominibus illic degentibus Cœleſtem vitam in terris aliquandiù egit*. Et hæc omnia confirmant ea quæ acta ſunt in Epheſina Synodo, cui cum S. Cyrillus præfuiſſet tamquam Cœleſtini Papæ deputatus, unanimi Patrum conſenſu Neſtorium condemnavit, Virginemque Sanctiſſimam *Matrem Dei* appellandam eſſe definivit, cujus occaſione Angelicæ ſalutationi additum fuit: *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis &c.* Et ipſe Cyrillus non immeritò ab omnibus *Frater Mariæ* nuncupari judicabatur, quo circa titulus *Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo*, dicitur ab ipſo Concilio, aut à Papa Cœleſtino confirmatus. Hoc tandem ſęculo floruerunt in Thebaide cujuſque virtutis ſplendore effulgentes Sãcta Euphraſia Virgo Theodoſii Imperatoris conſanguinea, & S. Euphroſina, quas non ſolum Cronologi noſtri, ſed etiam exteri inter Carmeli fragrãtiſſimas odore Roſas accenſent. Hi ſunt Laurentius Beyerlinck loco pluries ſupracitato, dum de Carmelitis. Joannes Carthagena in hom. pro Carm. Cathalogus Sanctorum pręfixus Nicolai Manerbii de Sanctis, Alphonſus Villeguas in vita S. Euphraſiæ inter ſtravagantes, & quod majus eſt, maximeque ponderandum Sac. Congr. Rit. earundem Officium proprium cum tribus lectionibus ſecundi Nocturni inter alia Carmelitarum Ordinis officia, tamquam de eorum Sacris Virginibus ſub Urbano VIII. Pont. Max. ann. 1628. approbavit. Etſò earundem Virginum Officia antea in uſu eſſent Religionis, ut conſtat ex vetuſtioribus Kalendariis ejuſdem.

lib. 2. de Sacris Doctorib. Eccl. c. 24.

CXXVI. Et quia huic quarto legis Evangelicæ ſęculo ininterruptam Eliani Inſtituti ſucceſſionem continuantes ex relatis Scriptorum teſtimoniis,

&

Digitized by Google

& Sedis Apoſtolicæ Auctoritate nonnullos Carmelitici Ordinis Alūnos adſcribere debuimus, qui ſicuti ultima dicti ſeculi, ità paritèr ſequentis ævi primaria attingere extrema, ideò quinti ſœculi ſeriem texendo, quæ in hoc Eliani Inſtituti floruere Germina apponere non omittimus, initiumque ſumimus ab inſigni JurisConſulti Neapolis Caroli de Tapia teſtimonio; Hic enim in ſuo opere *ſuper Authentica ingreſsi*, celebrioris Ordinis Carmelitici quarti, & quinti ſęculi Alumnos Doctrina, & Sanctimōnia floridos paucis complectens ait: *Circa Honorii, & Arcadii Imperatorum tempora, qui regnare caperunt anno* 398. *Romanam Eccleſiā gubernante Seritio, & poſtea Anaſtaſio, & deindè Innocentio I. produxit Carmeli uberrima Vinea Cirillum Patriarcham Jeroſolimitanum* 43. *Joannem item Jeroſolimitanum Praſulem* 44. *Capraſium, qui Hæreticorum Eutichianorum perſecutionis tempore ſuos miſit diſcipulos ob Chriſtianę fidei defenſionem, Joannem Chriſoſtomum, Cyrillum Alexandrinum Patriarcham* 28. Et ibidem quoque inter Eliani Viridarii Floſculos repoſuerat S. Baſilium, S. Gregorium Nanzianzenum, S. Hilarionem (de quibus ſupra diximus) & Sanctum Eutimium Priorem Montis Carmeli. Et quidem de Sancto Cirillo Patriarcha Jeroſolymitano 43. plurium noſtrorum hiſtoricorum (quos refert Lezzana tom. 2. annal. ann. Chriſti 351.) concors ſententia eſt Monachum, imò & Carmeli Incolam fuiſſe ex eo quia in crebris à ſua ſede expulſionibus in Carmelo, aliove Eliani Inſtituti Monaſterio, monaſticè aliquandiù converſatus fuit. Sanctum Chriſoſtomum pariter monaſticam duxiſſe vitam, clarè habetur ex Palladio, Metaphraſte, & aliis ejus vitæ Scriptoribus præſertim ex Georgio Patriarcha, qui ejus hiſtoriam deſcribens, Elię, & Eliſei imitatorem fuiſſe indicat ſequentibus verbis: *Qui autem in Monaſterio, in quo degebat Chriſoſtomus, diverſabantur, perſpecta ejus ſanctitate obſecrabant, ut ſibi præeſſet; ille ex adverſo renuebat; nihilhominus quaſdam regulas monaſticæ exercitationis edocuit eos, exhortans ad Sanctorum Eliæ, & Eliſei piam converſationem*. Undè Baptiſta Mantuanus Poeta Clariſſimus.

cap. 17. n. 10.

in Faſtis de ſacris diebus lib. 9.

Nomen ab aurato traxit Chriſoſtomus ore
Et ſubito factus quaſi fons, &c. Et infra.
In Patrios vectus fines ſub Monte Silentum,
More Patrum, qui Carmeli Montana colebant,
Per Spelæa diù traxit ſilvatica vitam.

Quoad Capraſium: iſte Diſcipulus fuit ſuprarelati Joannis 44. priuſquam ad Jeroſolymitanam eveheretur Cathedram, & ejuſdem in Carmeli regimine Succeſſor, ad cujus inſtantiam librum illum præclarum ipſe Joannes *de Inſtitutione primorum Monachorum*, ſcripſit. Hic celeberrimo illo Epheſino Concilio contra Eutichen dogmata congregato adfuit, & deindè è Carmelo ad varias Provincias ejuſdem inſtituti Monachos ad tuendam fidèm contra Eutichianos, & ad præſervandum Eliani inſtituti Monaſteria, & Alumnos, ne eorum hæreſi inficerentur, miſit. Impius enim Euthiches plura Monaſteria, tàm Eliani inſtituti, quam aliorum Patrum in Syria, aut omninò devaſtando, aut occupando ſuo pravo, ac venenato ſubegit dogmate. Quo ad S. Euticium ſupra relatum ab inſigni Scriptore Carolo de Tapia habemus ex ejus vita ex Monacho creatum fuiſſe Conſtantinopolitanum Patriarcham, & in monaſtica exercitatione Sanctos Eliam, & Joannem Baptiſtam, tamquam primos vitæ eremiticæ, & monaſticæ auctores agnoviſſe, eoſque ſibi veluti exemplaria propoſuiſſe: ſic enim in ejus vita legitur: *Monachi veſtem induens, & re atque habitu, ſermone philoſophiam illam amplectens, quam ex utero adamaverat, imitatus eſt Eliam Thesbitem, & Joannem Baptiſtam, qui exercitationis viam imitari volentibus, oſtendentes, ſolitudinem primi coluerunt*. Et per imitationem ſanctiſſimæ vitæ Elianæ, etiam in miraculis illi aſsimi-

lari

Digitized by Google

lari meruit, ut propterea de eodem ſcribat vitæ ejus Auctor Euſthatius; quod fuerit quaſi ſecundus quidam Elias: Et Palæonydorus lib.2. Hiſtor. Carmel: cap. 5. ſcribit: *Prædictis etiam temporibus claruit Prior Montis Carmeli S. Eutitius. Hic convertit Miletium Antiochenum poſt Epiſcopum, ad Chriſti Fidem, & eidem habitum, & normam Ordinis dedit. Iſte etiam S. Baſilium in Monte Carmeli ad prophetalem inſtitutionem acceptans S. Religionis habitu inveſtivit*. Sub idem tempus celeberrima Sanctitatis exempla huic ſeculo Paulus Anachoreta dedit in Eremo dicta Porphirio (quæ aut Carmelus ipſe eſt, aut eidem adiacens, ſic nuncupata à Civitate vicina *Porphiria*, ſeu *Porphirio* ideſt Cayphas) Cujus aſpera vita ſingulari encomio commendatur in vitis Patrum lib. 4. cap. 40. Poſt hunc uno ſeculo, & ultra poſterior circa eundem locum degens auſteræ vitæ fama, miraculiſq; clarus extitit S. Jacobus dictus Porphirionita, qui cum multos ad fidem Chriſti de Samaritis converteret, ab aliis in eum conſpirantibus ſubornata fuit Meretrix, quam ante Cellam diù, & ſæpè etiam noctu conquerentem Monialem arbitratus in exteriorem Cellam admittens, & dolorem cordis fingentem, dextera manu inungens, ac Cruce ſignans, ſiniſtram ſuam igni aduſſit, itaut digitorum compages combuſtæ deciderent: Sic contra diabolica militans machinamenta, ut propter illum intolerabilem dolorem nulla prava in ejus animum irruperet cogitatio. Quò viſo Mulier illa reſipiſcens, lacrymãs, & ingemiſcens, viri ſancti ſe dejecit ad pedes. Hujus Porphirionitæ vitam eruditis notis elucidatam tradit ſapientiſſimus ſcriptor Bollandus in actis ſanctorum ad diem 28. Januarii, ubi in notis marginalibus hæc ſcripta leguntur: *S. Eremitæ in Syria Jacobi, &c. juxta Porphireonem, & Carmelum, ideò Carmelitis meritò accenſendus*. Ibidem in Prologomenis n. 4. annotatur: *Porphireo Urbs Phænicia admodum antiqua, &c. Cayphas appellatur, &c. juxta mare ad Carmeli Montis radices parte aquilonari ſitam tradunt*. Cui adhæret Jacobus de Vitriaco clariſſimus Auctor inquiens: *Cayphам etiam, quæ alio nomine dicitur Porphiria in littore maris ſub prima parte Carmeli Montis ſitã, ab Accon quaſi milliaribus quatuor diſtantem*. Et idem Bollandus infra num. 5. in quo de Monaſterio Virginum ubi reliquum vitæ exegit illa Mulier, quæ ad labefactandam venerat Jacobi pudicitiam, ſed mox illius in abdicandis voluptatũ illecebris, fortitudinis miraculo perculſa dedit fidei manus, ablutaque Baptiſmo ſeipſam Chriſto per pœnitentiam obtulit, loquens, ſequẽtia adducit: *Illud ergo cæteraque Monaſteria certiori ratiocinatione ſuo poſſunt Ordini vindicare religioſiſſimi Patres Carmelitæ, circa ipſum ſita Carmelum*. *In hiſtor. Jeroſol. c. 22.*

CXXVII. Huic etiam quinto à Chriſto nato ſæculo inter Eliani Inſtituti propagines, ac germina adſcribendi veniunt Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus ex Cœnobio Lyrinenſi monachus, & Abbas, cujus res præclarè geſtas Cyprianus ipſius Diſcipulus mirabilitèr ſcripſit, quem duplicem regulam monaſticam cõſtruiſſe pro monachis unam, pro monialibus, quibus Cæſaria ipſius ſoror præerat, alteram, ex Bibliotheca Patrum editionis Colonienſis, ex Stellartio in fundam. Relig. Ordin. cap. 25. & Haefteno diſquiſit. monaſt. lib. 1. tract. 6. diſquiſit. 1. præcipuè conſtat. Et Porcarius Abbas, ſub cujus diſciplina Cæſarius in monaſtica mirificè profecit, teſte eodem Cypriano. Imò idem Cæſarius hom. 20. loquens de Inſula Lyrinenſi, ait: *Innumerabiles Montes* (ideſt Sanctos) *ad Cœlum miſiſſe cognoſcitur*. Et rurſus: *Hæc eſt quæ eximios nutrit Monachos, & præſtantiſſimos per omnes Provincias erogat Sacerdotes*. Ut enim gloſſatur ſub anno 453. §. *hæc eſt*; Baronius: *Vix reperiri erat, qui his temporibus aſſumptus in Regionibus illis ad regimen Eccleſiarum non delectus eſſet ex nobiliſſimo, & regularis inſtitutionis obſervantiſſimo Cœnobio Lyrinenſi.* *apud Surium die 27. Auguſti.*

rinēſi . Sicut & pariter Honoratus, Minervius, Caſtor, & Jovinianus ſingulorum monaſteriorum Patres, qui juxta Proſperum *in Cronico* in præfato Lirinenſi Cœnobio florebant. Hos, ſicut & alios ſuprarelatos Euſebium, ſcilicet Arelatenſem, & Porcarium inter Eliani Inſtituti Aſſeclas connumerandos eſſe, conſtat ex eo, quod Monachi Lyrinenſes Eliæ inſtitutum ſequebantur. Monaſteria enim Maſſiliæ in Galliis extructa, Virorū unū, Fœminarum aliud, Lirinenſia dicebantur ex Inſula tali nomine nuncupata Provinciæ Narbonenſi adjacente è regione Antipolis, ut teſtatur percelebris Caſſianus affirmans expreſſis verbis tales Monachos Lyrinenſes ritum vivendi Patrū Ægypti, & Paleſtinæ ab exordio prædicationis evāgelicæ inſtitutum, cœteris aliis præferri debere, & ſeipſum ſequi velle ingenue proteſtans: *Secundum eam* (inquit) *quam vidimus Monaſteriorū regulam per Ægyptum, vel Paleſtinā antiquitus fundatorum, fideli ſermone vel adiiciam, vel recidam. Nequaquā credens rationabilius quidpiam, vel perfectius Conſtitutionem novellam in Occiduis Galliarū partibus reperire potuiſſe, quam illa ſunt inſtituta, in quibus ab exordio Prædicationis apoſtolicæ à Sāctis, & Spiritualibus Patribus fundata monaſteria ad nos uſque perdurant.* Undè concludit Benedictus Haeſtenus ſuprarelatus diſquiſit. 3. Lirinenſes monachos Ægyptiorum, & Paleſtinorum monachorum maximè inſtituta ſectatos fuiſſe. Indè etiam Clemens Reynerus Benedictinus, ità ad intentū egregiè ſcribit: *Africani, & Maſſilienſes, & Lirinenſes monachatum ſuum ab Ægyptiis, & Paleſtinis acceperunt, quod nemo dubitabit, qui vel Severi Dialogos de Monachis Orientalibus, vel Caſſiani Inſtituta, vel Sancti vitam Honorati Lyrinenſium fundatoris perlegerit.* Et ſpoſtquam §. 20. variis rationibus oſtendi præfata Lirinenſia Monaſteria, Monacos, & Moniales in eiſdem degentest neutiquam adſcribendos eſſe ſuo Benedictino Inſtituto ea, ſcilicet Monaſteria, Carmelitis adſcribit ſequētibus verbis: *Quare propter eandē hanc in diſciplina monaſtica cōtinuatam ſucceſſionem, quod Nos non facimus (qui ultra Regulæ noſtræ legiſlatorem Benedictum natales noſtros nō arceſſimus) ſuo tamen jure videntur facere Carmelitę, qui cū revera à monachis Syriæ Paleſtinæ per non interruptam ſeriem ſeſe derivent (à Carmeli enim monaſteriis in Angliam, ut poſtea videbimus, ab Anglia in reliquas Provincias ſeſe dilataverunt) meritò antiqui monachatus Ægyptii, Paleſtinique Profeſſores, tamquam Patres ſuos, Ordiniſque ſui ſydera colunt, & venerantur.* Nec ſui oblitus iſte Auctor poſtquam plura de Carmelitis etiam ex impio Baleo retulerat, ſubjungit: *Atque hæc ideò libetius de Carmelitis tā fuſe diximus, quia ſicut eos Syria Angliæ ità Anglia reliquo Occidenti dedit. Undè conſtat, & veriſimilitudo ſententiæ, quam ſuperius de primis Monachis Britonū, & Scotorum diximus, eos ex Ægypto, & Paleſtina in Britannicas Inſulas Monachatum detuliſſe: Et illud etiam quod antea diſputavimus merito Carmelitas, cum ſucceſſionem minimè interruptam ab antiquis Paleſtinæ Monachis deducant, earundem Provinciarum Sanctos Antiquos ſuo Ordini adſcribere.* Hoc eodem ſœculo infenſis à Saracenis Syria, & Ægypto, quamplurimæ Eliani Inſtituti Moniales Romā petere Virginitatis cuſtodiendæ cauſa coactæ fuere, ut teſtatur antiquus Boſtius inquiēs: *Anno Dom.* 471. *ut in Cronicis Græcorum legitur, Saracenis Ægyptum, & Syriam incurſantibus, Sanctimoniales in Bethlehem verſus Romam navigant cum cœteris Clauſtralibus Terræ S. Virginibus.* Inſuper, ſpiritum Deo reddidit Sanctus Lupus Trecenſis Epiſcopus, meritò Eliano Inſtituto adſcribendus, cum monaſterium lirinenſe inhabitaverit, Ægyptiorumque, ac Paleſtinorum monachorum regulam obſervaverit, ut legitur in ipſius Lupi hiſtoria apud Surium ſic ſcribentē: *Evangelicæ perfectionis fervens deſiderio eximię claritudinis, & virtutis Virum Beatum Honoratum alacri animo ſtatuit* invi-

in Præfat. ad Caſtorem Epiſc. præfixa 12. libris de inſtit.cęntior.

in lib. de Apoſtol. Bene dict. in Angliam in tract. 1. ſect. 1. §. 18.

ib. 1. ſpecul. hiſtor. cap. 10.

ſub die 29. Julii.

Digitized by Google

inviſere. Erat is Abbas primæ habitationis Lirinēſis Monaſterii. Ubi ad eum pervenit, ejus inſtitutioni, cervicem ultro ſubdens, Dominicę ſervitutis ſuave jugum manſuetiſſimis humeris accepit. Et pro hujus quinti ſęculi à Chriſto nato coronide una ſimul cum Liberato, & Sancto Timotheo apponimus Romanum Magni Patriarchæ Benedicti Magiſtrum, de quo tamquam Eliani inſtituti Alumno ſcribit Arnoldus Boſtius, loquens de Capraſio Carmeli Archimandrita, ſequentia: *Liberatum cum Fælice ad Africam mittens S. Thimotheum Monaſterio Carmelitarum præfecit in Nigra montana propè Antiochiam, ut illud contra Eutichianos defenderet; Is itaque S. Timotheus plures etiam habuit optimos diſcipulos, quos eadem de cauſa hinc inde diſperſit*; & c. 10. Sic ad intentum: *Inſuper, & S. Romanus Eremita quondam Montis Carmeli de Conſtantinopoli cum pleriſque aliis Catholicis Monachis, Sanctiſque Viris expulſus eſt, qui veniens Romam ſeceſſit in deſertum, cui ſublacus vocabulū eſt &c.* Et indè: *Ibique cum ſuis ſociis ædificans Monaſteriū per plures annos ſub obſervantia in ſancta converſatione deſudavit*. Tandem *aliquibus tranſactis, ſcilicet circa annum 595. cum S. Benedictus &c.* Glarius etiam in pervetuſto Ordinis Kalendario Mechlinenſi pridie Kalēdas Martii ſic habetur: *Romani Abbatis Carmelitę, qui dedit habitum S. Benedicto*. Nec omittendum putamus in hoc pariter ſœculo interfuiſſe Concilio Conſtantinopolitano Eliani inſtituti Alumnum, cum art. 15. §. 16. appareat ejuſdem ſubſcriptio videlicet: *Euſebius Archimandrita Monaſterii Elię.* lib. 5. oper. hiſtor. cap. 73.

CXXVIII. Non defuerunt paritèr Eliani Inſtituti Sanctimoniales, ac Monachi ab ann. 500. uſque ad ann. 600. qui continuatam Ordinis Carmelitici ſucceſſionem abſque aliqua interruptione teſtentur. Inter enim Moniales annumerat Lezzana ad ann. 514. nu. 6. Anaſtaſiam quamdam, cujus extant ad Pontificem Hormiſdam litteræ, & hujus ad ipſam. Quæ poſt obitum viri ſui Pompeii, abdicato ſęculo in Palæſtinam ſeceſſit, ibiq; in Monte Oliveti (antiqua Elianorum ſede) mirabili Sanctitate micans, monaſticam excoluit vitam: ut refert Cyrillus in vita Sabæ, & Spondanus ſub ann. 519. Et paritèr inter Monachos vitæ Sanctitatè, & miraculis claros ad ann. 535. relatus Lezzana nu. 4. adſcribit Jacobum Porphyrionitam de quo ſupra, cum de Paulo Anachoreta, Montis Carmeli cultorem, ac eremitam, qui verſus eam partem, quæ Porphyriam Civitatem, vulgo Chayphas, reſpicit, anachoreticam tranſegit vitam, quem Bollandus loco ibi citato merito Carmelitis accenſendum eſſe teſtatur num. 5. ſubdens: *Elię inſtitutum tunc ibi viguiſſe, ubi prima dicuntur à Prophetis poſita ejuſdem diſciplinę Cunabula*. Hoc eodem ſœculo ſub ann. 536. celebratum fuit aliud Concilium Conſtantinopolitanum, cui interfuere nonnulli Eliani Inſtituti Monachi, ut ex eorum ſubſcriptionibus, qui tali Concilio præſentes fuere, manifeſte apparet, inter quas ſequentes leguntur: *Silas Presbyter, & Prior Monaſterii Elię rogatus ſubſcripſi*. Et hæc ſubſcriptio non uno ſed ſex diverſis in locis conſpicitur. Iidem ob Silę abſentiam, aut mortem, poſt ejuſdem Concilii actionem quintam ſic legitur: *Babylas Presbyter, & Archimandrita Monaſterii nominati Sanctę memorię Elię ſubſcripſi*. Quos Carmelitę meritò ſuo adſcribunt Ordini, cum teſte Baronio, & aliis circa illa tempora Eliæ inſtitutū in Terra Sancta ſummopere effloruerit, adeout Bollādus ſapientiſſimus Societatis Jeſu ſcriptor to. 2. Januarii ſub die 16. in vita S. Jacobi Eremitæ, qui ſœculo ſexto juxta Carmeli Montem vitā egit Monaſticam, affirmet illum fuiſſe Eliani Inſtituti obſervatorem: Undè attenta pacifica, & conſtanti tot ſœculorum traditione, non videtur dictos Archimandritas, & Priores alteri quam Carmelitano Inſtituto prudenter adſcribi poſſe. Inter eos etiā, qui iſto ſœculo claruerunt ſilentio nequaquam ſacrandi videntur Sancti

 Do-

Dorotheus, & Doſitheus, quorum Sanctitas graviſſimis eſt celebrata teſtimoniis, necnon SS. Siridus, ſeu Siridion, & Barſanuphius, ac magnus ille Joannes propter eam, quã à Deo habebat futura prævidendi gratiã cognominatus Propheta: quorum fit mentio in ejuſdem S. Doſithei vita, quæ ad diem 23. Februarii extat in Actis Sanctorum per eruditiſſimum, & verſatiſſimum Joannem Bollandum; Illi enim claruerunt circa annum Chriſti 530. in Paleſtina in monaſterio ſito, ut videtur, in Monte Carmelo, prout ex Petri Gelaſinii, & Plinii teſtimoniis ſimul collatis inferre licèt: Illius quidem in Martyrologio ad 23. Februarii, ubi hæc habet: *In Urbe Ecbatana S. Doſithei Monachi, & Confeſſoris, qui nullis ſacrarum rerum doctrinis eruditus brevi ad perfectionem progreſſus, pro vitę Religioſæ meritis præmium cœleſte accepit*. Plinii verò ità ſcribentis: *Promontorium Carmeli, & in Monte Oppidum eodem nomine* (ſcilicet Carmelus) *quondam Ecbatana dictum*. Undè cum certum ſit iſtud fuiſſe in Paleſtina, in qua degebant veteres illi Monachi, & Eremicolæ, Eliani Inſtituti Sectatores, ac Alumnos fuiſſe ex præcedentibus ſatis conſtat. De præfatis Dorotheo, & Doſitheo, aliiſq; ſuprarelatis hæc in prolegomenis ad vitam S. Doſithei habet idem P. Bollandus: *Miror Joannem Baptiſtam de Lezzana accuratiſſimum Scriptorem annalium Ordinis Carmelitici, nec quinto, nec ſexto ſæculo, Barſanuphii, Seridi, Dorothei, & Doſithei meminiſſe; cum utrumque Zoſimam, alioſq; quamplurimos commemoret ſui inſtituti Profeſſores, & magni Eliæ imitatores: Quod de Dorotheo ſociiſque potiori jure aſſerere poterat*. Exiſtimamus tamen relatũ Lezzanam S. Doſithei, & aliorum præfatorum non meminiſſe, ex eo quod fortè vitam iſtam, non ità pridem per Rev. P. Corderium e gręco in latinum traductam non habuerit. Circa paritèr hujus ſexti ſœculi à Chriſto nato annum 578. antiquum Carmelitarum Monaſterium à S. Elpidio in Suburbiis Toleti extructum, ut ſupra diximus cujus Eccleſia nuncupatur S. Maria de Alſizen, reparatum fuit à Recaredo Principe, prout refert inſignis Cronologicus Toletanæ Urbis Julianus Perez Archi-Presbyter Sanctæ Julianæ tract. de Eremitis nu. 15. ex antiquiſſimo exemplari, his verbis: *Toleti in Suburbio S. Marię de Alſizen à temporibus antiquiſſimis Templa Toletanorum, quo venerunt olim Monachi Carmelitæ*. Idem habet Petrus Sanctius S. Eccleſiæ Toletanæ portionarius in ſua hiſtoria ad ann. 719. Ægidius Galenus Canonicus hiſtoriographus lib. 3. ſyntag. 43. S. *& multi alii* apud Silveiram in acta Apoſtol. in Apolog. nu. 181.

lib. 5. hiſtor. natural. c. 19.

CXXIX. His temporibus Chriſtiana Religio plures ab Infidelibus precipuè à Coſdroa Perſarum Rege paſſa eſt perſecutiones; anno enim Domini 537. Syriam intrans, Jeruſalem aggreſſus eſt, eamque ſubjugavit, & ſequenti anno Antiochiam ſubjegit, & expugnavit. Quocirca Carmelitæ pluribus hinc indè devaſtatis ſui inſtituti Monaſteriis, tantũmodo in Eremis Carmeli, Jordanis, Montis Neroi, & Quarantenæ pauciſque aliis ſolitudinibus retinere potuerunt loca, & habitacula, multique tunc in Ordinis Monaſteriis degentes martyrii coronã aſſequi promeruerunt, ut ſcribit Arnoldus Boſtius: *Anno Domini* (inquiens) 537. *Coſdroe hujus nominis primus cæpit regnare apud Perſas, & hic ſequenti anno cum valida manu Syriam intrans cæpit Jeruſalem civitatem ſanctam: deinde anno ſequenti veniens ante Antiochiam in multitudine gravi expugnavit eam. Dictum enim eſt priuſquam Eccleſia Orientalis in præteritis annis ab hæreticis Neſtorianis, & Eutychianis penè fuit eliſa, & pulveribus hæreticorum cooperta, jacebat ſqualida, & informis, nunc verò à nefandis Perſis apparet quaſi extincta, quia Religioſi, & Catholici Viri, vel in Speluncis abſcondebantur, aut à Perſis occidebantur. Tota ergo Hieroſolimitana Eccleſia deſtruitur, nec manet aliquis locus incontaminatus, ſolis Eremi Cultoribus exceptis, qui in Monte Carmelo, &*

lib. 5. ſuæ hiſt. cap. 78.

circa

Digitized by Google

circa Jordanem, & in Eremo Quarantena, necnon & in Montanis Nigris Domino ſerviebant, & fidem rectam obſervabant. Et Joannes Palæonydorus loquens de tempore quo Sanctus Benedictus in Europæ partibus ſuam monaſticam Religionem inſtituebat, ait: *Tunc Carmelitæ pluribus hinc indè Ordinis ſui Monaſteriis devaſtatis tantummodo in Eremis Carmeli, Jordanis, Montis Nerorum, & Quarantena, ac paucis aliis ſolitudinibus loca detinuerunt, multis tunc in Monaſteriis noſtris martyrio Coronatis.* Huic quoque ſæculo aſcribendum venit vetuſtum quoddam monumentum cujuſdam campanæ inſignibus noſtri Carmelitici Ordinis, & nomine Prioris, ſub quo formata fuit ex relatione Patris Gregorii Nanzianzeni noſtrorum Patrum Diſcalceatorum Galliæ egregii Alumni, qui in libro: *Adoptionis Filiorum Deiparæ* gallicè conſcripto, ſequentia habet latinitati reddita: *Aliqui mihi teſtimonium perhibuerunt ſe vidiſſe in uno Conventu propè Civitatem Burdigalenſem unam campanam antiquiſſimam inſignibus Ordinis Carmelitarum, & nomine Prioris ſub cujus moderamine fuit efformata notatam: Itaut facta ſupputatione annorum juxta numeros in ea inſcriptos concluſum fuerit, mille & centū annos ab ejus efformatione fluxiſſe. Qui ipſam propriis viderunt oculis, mihique rem retulerunt, fide digni ſunt, aſſeruntque eam Campanā magni fieri ab incolis illius Regionis, qui per ejus ſonitum ad devotionem excitantur, communiq; fama fertur eam fuiſſe olim à Monte Carmelo allatam. Id autem à ratione, & fide alienum haud videri debet, cum Gallia multis terræ Sanctæ antiquitatibus dives ſit, utpotè quæ ſit quaſi hæres ad illius reliquias, & ſpolia recipienda.* Huic ſeculo rem acceuſeri debere, conſtabit numeranti annos à 1641. quo liber impreſſus eſt retrograda ſupputatione. lib.2.cap.9.

CXXX. Pro continuata, & neutiquam illo tempore interrupta ſucceſſione Carmelitici inſtituti à Sæculo Sexto legis Evangelicæ uſque ad Octavum ſequentia adducimus teſtimonia. Et primo anno 618. D. Anaſtaſius antea Magus, & indè ad fidem Chriſti converſus Monachorum Carmelitici inſtituti in porta aurea Pater effectus eſt, vocatus per Patriarcham Zachariam de Monte Carmeli, ubi habitum induerat; indè à Coſdroa cum cæteris captivis in Perſidem ductus, ibi atroci martyrio vexatus cum aliis ſeptuaginta decollatus eſt: Sequenti verò die cuſtodes carceris unus alterum alloquens ait: *Vidi canes circa corpus illius Monachi ſedentes, nec tangere illud, ſed cuſtodire. Reſpondit alter, Et ego dum explerem vigiliam meam, vidi lucidiſſimam Stellam, quam videre pergens, jam non Stellam, ſed corpus illius Monachi reperi.* Quocirca his à Chriſtianis aduc in carceribus detentis ad cæteros relatis, ſacræ ejus Reliquię ſublatæ ſunt, ac tandem in ejuſdem Monaſterio S. Pauli ad Aquas Salinarum honorificè reconditæ fuere. Hunc fuiſſe vineæ Carmeli palmitem, Elianique inſtituti ſobolem extitiſſe, cuilibet artidebit, ſi attenderet ad hujus Sancti officium Canonicum, quod à tempore antiquo Carmelitis in uſu fuit, cum hac oratione, ſeu collecta: *Deus in te ſperantium fortitudo, qui S. Anaſtaſio Monacho inſtituta Eliæ profitenti auxilium gratiæ tuæ ad vincula, & verbera cum ſeptuaginta aliis pro Chriſti Religione conſtanter ſuſtinenda præſtitiſti, &c.* Sicut etiam ad approbationem Sac. R. Congr. an. 1609. ſub Paulo V. & ſub Urbano VIII. an. 1628. ubi hæc ſpecialis oratio aliquantulum diverſa ab ea quam retulimus legitur: *Deus in te ſperantium virtus, qui de Carmeli ſolitudine ad ſubeundam Martyrii Palmam Beatum Anaſtaſium evocaſti, &c.* Ac tandem ad auctorum tam intraneorum, quam extraneorum teſtimonia, ſpecialiter Arnoldi Boſtii: *In ſpeculo, ſeu opere hiſtoriali* lib. 5. cap. 79. Palæonydori lib. 2. c.9. Coriæ lib. 9. cap. 22. Petri Lucii in compendio cap. 11. Joannis Carthagenæ in homil. pro Ord. Carmel. & Laurentii Beyerlinck. In Teatro vi-

tæ

Digitized by Google

tæ humanæ tom. 6. lib. 16. verbo Religioſus, &c. Secundo anno ejuſdem ſeptimi ſæculi 30. cum Heraclius Coſdroam Perſarum Regem deviciſſet, partemque ligni S. Crucis cum Patriarcha Zacharia, Populo Chriſtiano captivo cum magno honore Jeroſolymum reportaſſet, cæpit valdè induſtriè Eccleſias, ac Monaſteria reparare, & illis ubique in terris larga, ac regia impertiri munera. Quibus peractis ad patriam reverſus eſt. Tūc Carmelitæ gratias Deo referentes, ſupernumque Numen ſuorum defenſorem benedicentes, antiqua ſua Monaſteria, cum mœrore priùs relicta, rurſus ſumma cum lætitia inhabitantes, ſuam magis ſtudioſè augumentare cæpere Religionem. Succeſſori etiam Zachariæ nomine Modeſto, Joannes eleemoſynarius magna dona, ac munera ad Terræ Sanctæ Eccleſiarum, & Monaſteriorum reædificationem, tranſmiſit. Iiſdem temporibus ſurrexit perfidiſſimus Mahometus, cujus diſcipulus fuit Humar Rex Arabiæ: *Hic non longè poſt hæc tempora* (teſte Nicolao de Lyra) *ſecundum Ugonem Floriacum in Cronica, totam ferè Terram Sanctam, Syriam Phænicem, Paleſtinam, Siciliam, Africam, Hyſpaniam quoque ſubjecit, undique delens Chriſtianum nomen. In his etiam Provinciis multi erant Religioſi Chriſtiani in magnis Monaſteriis ducentorum, trecentorumvè Monachorum, vel amplius in caſtitate viventes, quorum centumquadraginta millia æſtimantur fuiſſe Virgines, qui per gladium Saracenorum martyrizati ad Cælorum Regna tranſierunt.* His conſonat Cyrillus Patriarcha Prior, & Presbyter Montis Carmeli in lib. de peculiaribus Carmelitarum Ordinis geſtis, dicens: *Dum Chriſtianiſſimus Haraclius de prophano Coſdroa victoriam obtinuiſſet, reportata quoque Cruce Domini in Jeroſolymam ad proria rediiſſet, Rex Arabiæ Humar cum ingenti Saracenorum multitudine totam Terram Sanctam anno Domini 636. ſuo Dominio ſubjugavit. Quo tempore pauci quidem reſpectu anteriorum temporum, ſed tamen probatiſſimi noſtræ Carmeliticæ Religionis Monachi, dimiſſis Urbium manſionibus, in Monaſtica Vita ab Elia inſtituta in Eremis Carmeli, & aliis permanſerunt; attamen ipſi ſicuti & cæteri Chriſtiani Terræ Sanctæ ſub magno jugo tributorum ad tempora uſque Caroli magni ſteterunt magnis tribulationibus afflicti.* Inter alias afflictiones quas ſub Saracenorum tyramnide paſſi ſunt Montis Carmeli Incolæ, & Eliani inſtituti Sectatores, una fuit quod Pallia, ſeu Cappas, quas Albas deferebant, dimittere, barrataſque aſſumere coacti ſunt. Nam ut refert Boſtius ex relato S. Cyrillo lib. de particularibus geſtis Religioſorū Carmelitarum ad Abbatem Joachim: *Saraceni moleſtè ferebant, quod noſtræ Religionis Profeſſores veſte Alba deſuper induti incederent, cum tunc ſolum eorum Satrapæ veſtibus albis ſic induti incederent, multis ergò eorum pro Chriſti nomine interfectis, & martyrizatis.... geſtationem pallii albi eis interdixerunt, ne aſſimilarentur in pallio albo eorum Satrapis. Pro quo Profeſſores prædicti pallium barratum tunc unanimiter aſſumpſerunt.* Et barrata pallia geſtarunt Carmelitæ per ſexcentos, & ultra annos, videlicet uſque ad ann. 1287. ità ut in variis Europæ cōventibus illa tulerint, ut refert Lezzana to. 3. annal. ad ann. 642. nu. 5. In Conventu enim noſtro Haerlemenſi, hoc pallium geſtatum eſt ann. 38. Eodem etiam modò ille habitus in multis aliis Conventibus Provinciæ noſtræ Alemaniæ inferioris viſus eſt. Et Frater Joannes de Hyldemsheyn Sacræ Paginæ Baccalaureus in tractatu ſuo, quem de Ordine noſtro compoſuit, narrat etiam ſe vidiſſe in Conventu noſtro Francfordenſi in anno Domin. 1338. quemdam Fratrem centenarium devotum, & fide dignum Bartholomæum nomine, qui dixit hujuſmodi varias barras in juventute ſe portaſſe. Continuavit enim huiuſmodi uſus donec in Capitulo Generali in Conventu Montis Peſſulani celebrato, auctoritate Honorii IV. barratas dimiſere cappas, ſuorumque Fundatorum ad imitationem purè albas

ſuper 18. cap. Apocal.

Cap. 7. & 8.

Digitized by Google

albas denuo aſſumpſerunt. Scribit enim Joannes Jeroſolymitanus in libro ſæpius citato cap. 40. ſequentia: *Ante quippè Eliæ nativitatem vidit Sabbacha in ſomniis viros candidatos, qui ipſum ſalutabant: quæ viſio ſibi præſignavit, quales ejus Filius Elias imitatores ſuæ vitæ monaſticæ habiturus eſſet. Cernens namq; Sabbacha viros Candidos, vidit in Spiritu Religioſos per Eliam inſtituendos, quos ideo Candidatos vidit, quia Eliam veluti monaſticè vivendi exemplar erant imitati, in Candore, nedum mentali ſinceræ puritatis, ſed etiam Corporali habitus albi eos deſuper tegentis*. De hac Sabbach Eliæ Patris viſione teſtatur Epiphanius inquiens: *Quem cum eniteretur Parens ejus* (loquitur de Elia) *ejuſmodi* *de vitis Prophet.* *Sobbach Patri viſio apparuit, Viri niveum quemdam præſeferentes habitum puſionem ſalutabant, Matriſque uberibus in ignem alluebant, quin & flammam ignis cibi loco miniſtrabant*. Et D. Dorotheus ſic ſcribit: *Cum naſciturus eſſet Elias Pater ejus Sabbacha vidit illum ab Angelis* *in Synopſ.* *albicantibus ſalutari, & igne tamquam faſciis involui, & flamma ignis* *Prophet. in* *veluti cibo ali*. Undè concludit Trithemius ad intentum: *Legimus in hi-* *vit. S. Eliæ.* *ſtoriis, quod Sabbacha Pater Eliæ nondum nati viderit in ſomniis viros* *in lib. de lau-* *candidatos ſalutantes eum, per quos rectè Fratres Carmelitas accipimus,* *d. cap. 2.* *quos habitu, & converſatione candidos eſſe cognoſcimus.*

CXXXI. Ad hoc pariter ſæculum Chriſti ſeptimum pertinet id quod Rigaut Anglus in ſua hiſtoria à Briot correcta, Amſterodami anno 1677. impreſſa refert dicens lib. 3. cap. 2. fol. 240. Mahometum coactum fuiſſe inire pacem cum Chriſtianis, quam aſſerit initam, & concluſam: *In Monaſterio Religioſorum Montis Carmeli propè Montem Libani*, in quo originale concordatum repertum dicitur, & poſtea translatum ad Bibliothecam Regis Franciæ, cujus copiam ibi ad longum producit, ſubdens illud à fide dignis auctoribus recipi. Ex quò patet, quod probati Auctores admittant Carmelitas ibi circa illa tempora habuiſſe ſua Monaſteria; prout refert Guillelmus de Sanvico cap. 2. ſuæ Chronicæ, qui floruit in Terra Sancta circa an. 1280. & in hiſtoria Ordinis verſatiſſimus. Ad hoc etiã ſæculum pertinet antiquum monumentum quod refert Idelphonſus de Flores ad cap. 24. Eccleſ. n. 1683. dicens, Hyſpali, poſtquam ea Urbs expulſis Arabibus, ad Chriſtianos rediit, dum novo extruendo ædificio, alia effoderentur fundamenta, inter extrahendas parietinas, egerendaque rudera: *Marmoream inventam fuiſſe ſtatuam Monachi Carmelitæ*: eo loco à Ghotorum imperio occluſam teſtis eſt Morgardus lib. 5. de hiſtoria hyſpalenſi c. 13. Tempus autem Ghotorum, & perditio Hyſpaniæ juxta probabiliorẽ ſententiam contigit anno Chriſti 713. ut probat Sylveira in acta Apoſt. in Apolog. Carm. n. 182. inferens indè dictam Statuam elaboratam fuiſſe ad minus ſeculo antecedenti. Ex quò conſtat in tali præcedenti ſæculo extitiſſe in præfata Hyſpalenſi Civitate Eliani inſtituti Monachos, & Monaſterium, maximè cum Luitprandus percælebris ſcriptor affirmet, ſocios quos ſecum adduxit Sanctus Elpidius quando ab Jeroſolymis ad Hyſpaniam *in ſuis fragm.* peragraverit, fuiſſe deſũptos ſicut & ipſe erat ex Carmeli Incolis, quorũ *fragm. 171.* unus, cujus nomen Pius Epiſcopus Hyſpalenſis creatus fuit; ait enim: *Magna pars eorũ, qui diſperſi in perſecutione S. Stephani ad varias partes trajecerant, & ad Hyſpaniã plurimi venerant, erat ex Monachis Montis Carmeli, prædicationibus Chriſti, & Apoſtolorum ad fidem converſis; in quibus Elpidius, & Socii Pontifices à S. Jacobo creati, & poſt Martyres effecti*. Qui fuerint iſti ſocii; & quinam eorum Epiſcopatus ex Flavio *circa an. 37.* Dextro habemus: *Multos etiã Diſcipulos, præcipuos autem in numero duodecim more Apoſtolico in Hyſpaniam ſecum portat* (intellige S. Jacobum Apoſtolum): *Epiſcopos Baſilium, Pium, Athanaſium, Maximũ, Chryſogonum*, & poſt alia: *Ex his Baſilius ſucceſſit Petro Bracarenſi; Athanaſius fuit primus Epiſcopus Cæſarauguſtanus; Pius Hyſpalenſis, &c.* Undè

Digitized by Google

dè cum S. Pius primus hyſpalenſis Antiſtes fuerit ex Montis Carmeli Monachis Alumnus, ideo ab hoc Antiſtite ſeminatum in Hyſpalenſi Urbe Monachatum Monaſteriumque pro Monachis conſtructum fuiſſe, ſicut Toleti ab Elpidio aptè extimari poteſt.

CXXXII. Pro ininterrupta verò Carmelitici inſtituti uſq; ad annum 800. à Chriſto nato ſucceſſione, ſequentia adducimus teſtimonia. Ægidius enim Galenius Canonicus Colonienſis, & hiſtoriographus Archiepiſcopalis in opere de Coloniæ Agrippinæ magnitudine lib. 3. Syntagm. 43. §. 1. agens de Carmelitarum perſecutione inchoata ab Humaro, & deindè continuata uſque de Carolum Magnum, aſſerit, *licet ſemper aliqui in Palæſtina, & præcipuè in Monte Carmeli ſub Saracenorum jugo permanſerint, ab anno præſertim 726. uſque ad 824. variè afflictos, ac plurimos eorum, deſtructis ipſorum Cænobiis, martyrio affectos fuiſſe; ideoque ex tunc nonnullos eorum in Europam tranſmigrantes, potiſſimum in Italiam, nova illic loca inquiſiviſſe*. Quod quidem comprobatur ex eo quod in primordiis hujus ſœculi anno ſcilicèt 707. fuit fundatus, ac ædificatus Conventus Carmelitarum Senenſis, ut conſtat ex multis inſtrumentis antiquiſſimis, & ex monumentis in lapidibus exaratis; quæ inſtrumenta authentica conſervantur in Archivio Religionis Tranſpontinæ Almæ Urbis ſequentis tenoris: *In Dei Nomine. Amen. Anno Salutis Noſtræ ab Incarnatione milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo tertio Indictione ſecunda ſtilo Senenſi die vero decimaoctava menſis Decembris, tempore Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Gregorii XIII. Summi Pontificis, Regnante Glorioſo Principe Domino Maximiliano ſecundo Romanorum Imperatore, necnon Sereniſſimo Domino Coſmo Medices magno Duce Etruriæ dominante, ut Senis publicè fertur per hoc publicum documētum omnibus manifeſtum appareat, qualiter requiſitus Ego Notarius publicus infraſcriptus tamquam perſona publica, autenthica, legalis, & fide digna, ac in officio publico conſtituta, ad inſtātiam, & pro parte Adm. Rev. P. Mag. Joannis Baptiſtæ de Caſſardis Senenſis Sac. Theol. Profeſſoris Prioris ad præſens Venerabilis Eccleſiæ S. Mariæ de Monte Carmelo in civitate Senarum vice, & nomine dictæ ſuæ Eccleſiæ, & Religionis, ut ad æternam rei memoriam, & pro veritatis dilucidatione fideliter exararem, ac exemplarē quaſdam Chronicas, & antiquas memorias ex quibuſdam antiquis Chronicarum libris, & codicibus, qui reperiuntur in Civitate Senarum penes, & in manibus magnificorum Virorum D. Franciſci de Thomaſiis, D. Orlandi Malavoltis, D. Alexandri de Biringuetiis, & D. Pyrrhi de Landucis nobilium Civium Senenſium Collectorum per ſe, & eorum Antenatos Chronicarum, & rerum memoratu dignarum Almæ Civitatis Senarum. Volens ſatisfacere dicti Magiſtri Joannis Baptiſtæ Prioris prædicti juſtæ petitioni, & voluntati, ut fas eſt ex dictis, & infraſcriptis libris authenticis, & fide dignis, & pro talibus communiter habitis, tentis, & reputatis publica voce, & fama palam, & apertè ab omnibus in dicta Civitate Senarum exemplavi, ſumpſi & exaravi infraſcriptas Chronichas, & antiqua monumenta de verbo ad verbum, nihil addendo, vel diminuendo ex dictis, & in-*

infraſcriptis libris, ut infrà deſignatis, & notatis vulgari ſermone prout jacent, videlicet. Del Libro di Croniche di M. Pirro Landuci di grandezza di foglio con coperta di cuojo roſſo, quale comincia: Eſſendo utile, e piacere li eſempli delle buone memorie de gli antichi, maſsime della ſua Patria, per queſto trattaremo, & per più per li Seneſi incominciando da primi Fondatori di Caſtelvecchio, e finiſce detto libro l'anno 1547. à dì 24. di Giugno venne il Conte Carlo da Montone, furono cavate l'infraſcritte parole in folio 12. del detto libro, Cronica Seneſe copiata per Patritio Patritii. In detto anno del 797. tornaro tutti li Frati di S. Maria di Monte Carmelo alla Chieſa di S. Nicolò la prima volta, è per un tempo vi ſtero li Romiti, e poi vi tornaro li predetti Frati, di poi è divulgato de Mantellini, e per li Mantellini de fanciulli butati alla Vergine Maria, che era dipinta nella faccia di fuore. Nel predetto anno gionſe Carlo Magno à Roma e purificò la mala fama, che gli era ſtata poſta dal Papa à torto. Il medeſimo circa la preſente Cronica di parola in parola appariſce in un libro di Croniche di quarto foglio del ſopradetto M. Aleſſandro Biringucci Cronichiſta in foglio 18. Del libro del ſopradetto M. Franceſco Thomaſi Cronichiſta antico in quarto foglio, con tavole di legno ſcritto di lettera, & carattere antichiſſimo, quale comincia come di baſſo Deus adſit: anno primo Urbis conditæ jàm Civitatis ambitu à duobus indomitis Tauris vomere deſignato Remus Germanus Romuli &c. e finiſce à fol. 181. con l'infraſcritte parole. Piſa fù riconciliata da Papa Alexandro, e per queſto li Piſani fero lo Spedale nuovo di Stagno, e fù dato alle Donne d'ogni Santi in Piſa: Appare in detto libro in foglio 137. l'infraſcritta Cronica. Cronica di Giovanni Biſdomini à ſuo tempo nel 1055. nel 1177. in fol. 139. I Frati di S. Maria di Monte Carmelo in Siena, havendo diſaggio, e mancamento d'acqua, & havendo notitia della vena di Diana ſotto Caſtelvecchio la quale rigava ſotto terra per il loro Orto, & haveva uſcita in Treſſa, deliberorono fare un pozzo per la detta acqua: Onde ſcavorno à canto al loro Orto circa ottanta braccia, & non trovando acqua di vena, ſalvo che alle ſeſſanta braccia trovorno terra aquidoſa in puoco luogo verſo la via di Maremma: Onde ferno un ponte al pari di detta terra aquidoſa, e in traverſo ſcavorno à modo di un Buttino circa à braccia ſei, e trovarono un ramo piccolo di detta vena; onde entrava in detto Pozzo, & era già tramontò il Sole, e laſciaro l'opera, e partironſi. La matina ritornando li Maeſtri all'opera trovorono l'acqua eſſere abbondata ſopra il ponte di detto Pozzo; Onde poi di detta vena ſi dè l'acqua alla Trinità, e poi ſi dè l'acqua ad una fonte à piè le poſſeſſioni di detti Frati al ſervitio de lavoratori. La medeſima Cronica appariſce ancora ſotto l'anno 1177. nel libro delle Croniche del ſopradetto M. Pirro Landucci nel ſuo antedetto libro di Croniche in fol. 2. & ancora la medeſima Cronica appariſce nel libro

bro

Digitized by Google

bro delle Croniche del detto M. Aleſſandro Biringucci ſotto detto anno 1177. *in foglio* 40. *E ſimilmente di M. Orlando Malavolti nel ſuo libro di Croniche ſotto detto anno* 1177. *in foglio* 30. *Et quia Ego Pamphilus de Bocciardis de Senis publicus Sacris Apoſtolica, & Imperiali authoritatibus, & in Archivio Romanæ Curiæ Notarius deſcriptus, Judexque ordinarius, & Civis Senenſis ſupradictas Chronicas, & monumenta antiqua, ut ſupra jacent, ex dictis libris reſpectivè fideliter extraxi, & exemplavi, requiſitus, & rogatus ut ſupra; ideò in fidem, ac robur veritatis ad perpetuam memoriam hoc publicum inſtrumentum confeci, quod ad cautelam manu propria ſcripſi, ſubſcripſi, ſignavi, & publicavi, ad laudem, & gloriam Individuæ Trinitatis. locus † Signi.* Adduntur poſtea teſtificationes aliæ pro robore dicti inſtrumenti in eodem Archivio Tranſpontinæ reſervatæ. Quod autem præfatum Senarum Monaſterium ab anno 707. obtinuerint noſtri Carmelitici inſtituti Alumni, conſtat in primis ex relato Pyrri Landucci teſtimonio, ſeu Chronica verbo illo *Tornaro*; Supponit enim, quod ante annum 797. in quo rediere, tale Monaſterium inhabitaverint. Conſtat ſimiliter ex teſtimonio Franciſci Boertii de Cheraſco Ordinis noſtri Procuratoris Generalis, & ejuſdem antiquitatum ſcrutatoris accurati; In vita enim Generalis Enrici Silvii loquens de viſitationibus Provinciarum, & Conventuũ ab hoc Generali peractarum, ſequentia ſcribit: *Il Convento di Siena è antichiſſimo, poiche nelle Croniche di detta Città ſcritte à mano, quali ſono appreſſo di Pietro Landucci, e d'Orlando Malvoltis Gentil'homini Seneſi, ſi ritrova che li Frati Carmelitani già erano in detta Città l'anno* 707. *nel medeſimo luogo dove ſono al preſente, e di ciò nell'Archivio della Tranſpontina vi è un'Iſtromẽto autentico fatto l'anno* 1573. *da Pamfilio de Bucciardis publico Notaro di Siena, e queſto confronta con la Bolla di Papa Siſto IV. data l'anno* 1477. *qual dice, che Papa Leone IV. che fù l'anno* 847. *concedette Indulgenze à chi viſitava le Chieſe Carmelitane, il che fù poi anche confirmato da Papa Gregorio XIII. l'anno* 1577. Hoc idem referunt Petrus Lucius in Comp. hiſtor. c. 11. Didacus Coria in Cronic. Carmelit. lib. 1. cap. 25. Michael Mugnotius in Propugnac. Eliæ lib. 2. tit. 3. cap. 1. art. 2. Fr. Gregorius Nanzianzenus in lib. Gallico, cui titulus *l'Adoption des Enfans de la Vierge* par. 1. cap. 25. ſubjungens etiam ex Pyrro Landucio, & ejus manuſcripto *ann.* 802. *in queſto tempo venne à Siena un mandato da Roma de Nobili di Carlo Magno à loro conſorti, e già Cittadini di Siena à ſignificare come Carlo Magno era incoronato Imperatore, e Carlo figliuolo Re di Francia. Per la qual coſa tutti i Nobili, e Cittadini de Origine Francioſi ferno un Conſilio nella Chieſa di S. Nicolò hora del Carmine.* Hoc idem Pater Dominicus Guillelmus Dominicanus aſſerit in ejus hiſtoria *nell'anno* 801. *li Reverendi Padri, & Frati Carmelitani hebbero la Chieſa di S. Nicolò hoggi Santa Maria del Carmine, che prima l'habitavano Eremiti.* Indicatur tandem etiam hæc vetuſtas Senenſis Monaſterii ab Orlando Malvoltis in hiſtoria Senenſi Typis edita, ubi de Carmelitanis ſcribit: *Quali* *lib.4. fol.65.*

hanno

Digitized by Google

hanno tenuta lungamente in Siena la Chieſa loro aſſai antica, come ſi vede per gli annali di queſta Città, nel Convẽto de quali feccro i Seneſi ſono l'anno 1177. cavare un pozzo profondiſſimo. Quæ omnia confirmantur ex eo, quod in eodem Senenſi Cœnobio extat donatio quædam Religioſis illius facta per Carolum Magnum piiſſimum Occidentis Imperatorem qui obiit anno Chriſti 815.

CXXXIII. Hoc pariter ſæculo, & in ejuſdem termino Eliani inſtituti Carmelitas Conventum habuiſſe Piſis, evincitur ex quadam memoria de anno 800. quæ elicitur ex lapide ſepulchrali in ejuſdem Conventus Clauſtro appoſito, qua dicitur ibi jacere quemdam Deiparæ Virginis de Monte Carmelo devotum, qui anno Chriſti 800. ex hac vita deceſſerat; quam refert Didacus Coria apud Lezzanam tom. 3. ad an. 797. nu. 10. Item ex Cœnobio tempore Apoſtolorum à S. Elpidio Toleti erecto, & hoc ſæculo adhuc exiſtenti, de quo ait Petrus Sanctius S. Eccleſiæ Toletanæ Portionarius in ſua hiſtoria: *Anno 719. Mauris traditur Toletum; hoc pacto cum Chriſtianis inito, quod deſignaturi erant ſeptem Eccleſias, in quibus liberè celebrare, & aſſiſtere poſſent divinis officiis: quæ fuerunt ſex Parochiales intra Urbem, & quoddam Monaſterium Carmelitarum, quod extra erat.* Item ex quamplurimis beneficiis, favoribus, ac muneribus à Carolo Magno Carmelitis Jeroſolymis exiſtentibus præſtitis ope, & opera Geneſii Abbatis, ut teſtatur Julianus Perez, ſeu Petri hiſtoricus Hyſpanicus Toletanus, & Archipresbyter S. Juſtæ in tractatu, cui titulus *Adverſaria* nu. 264. ubi ſic: *Ferunt paulo poſt annum 779. Carolum Magnum ad Terram Sanctam à Barbaris oppreſſam aſſerendam, cum exercitu trajeciſſe, & eum ſecutum fuiſſe Geneſium Abbatem Corberenſem, qui nimis favit Jeroſolymis Fratribus Carmelitanis, miſerabiliter oppreſſis, & ejus cauſa multi viri militares, relicto militiæ Cingulo, vitam illam ſecuti ſunt.* Illud tamen *trajecit cum exercitu*, non de exercitu quo Jeroſolymam pervenerit accipiendum eſt, prout vulgaris opinio fert dicentium eum armis Terram Sanctam occupaſſe, talem enim opinionem, et ipſi Francorũm hiſtorici averſantur ut falſam; ſolum igitur id intelligendum venit de exercitu copioſo, quem Carolus ducebat in Italiam, qui Aaronem Saracenum Syriæ Principem cogere potuit ad deditionem Sanctæ Civitatis. Pariter illud: *Qui nimis favit Jeroſolymis Fratribus Carmelitanis miſerabiliter oppreſſis* ad ipſum Carolum videtur referendum; ſiquidem prout ex Frãcorum hiſtoriis hauximus ipſe utpotè pius, & devotus amplas Eleemoſynas Jeroſolymis diſtribuendas miſit. Id denique: *Et ejus cauſa multi Viri militares relicto militiæ Cingulo vitam illam ſecuti ſunt*, proculdubio convincunt Eliani, & Carmelitici inſtituti propagationem hoc tempore factam. Denique hoc idem evincit Concilium Nicænum undecimum, hoc ipſo ſæculo anno 787. cœlebratũm, cui Eliani inſtituti Monachos interfuiſſe conſtat ex eorum ſubſcriptionibus; duo enim ſic ſe ſubſcribunt: *Nicetus Hegumenus S. Eliæ; Theophilactus Hegumenus S. Eliæ.* Tandem art. 1. Conſtantinopolitanæ quintæ hæ habentur ſubſcriptiones: *Theodorus miſeratione divina Diaconus, & Monachus novæ Lauræ, & pro omnibus Monaſteriis Eremi Jeroſolymorum ſupplicavi, & ſubſcripſi.* Et ſic alii non pauci Terræ Sanctæ Monachi ſubſcribunt. Undè cum viſum ſit Jeroſolymorum, & Terræ Sanctæ Monaſteria fuiſſe ab Eliani inſtituti Sectatoribus, & Carmelitis occupata, ſequitur etiam hoc octavo ſæculo ininterrupta ſucceſſione Carmelitarum Ordinem ab Elia exortum floruiſſe, & perduraſſe.

CXXXIV. Inde à ſæculo poſt Chriſti Nativitatem octavo uſq; ad nonum Monaſticum Sacrum Protoparentis Eliæ Monachatum non tam continuaſſe abſque prorſus interruptione, quantumvis graviſſimè à Saracenorum bar-

barie agitatus, verũ etiam ſpecialia Sedis Apoſtolicæ privilegia, & diplomata conſecutum fuiſſe, conſtat ex eo, quod cum ob graviſſimas Barbarorum perſecutiones Carmelitæ à Terra Sancta fugere coacti fuerint, ut teſtatur Palæonydorus ex Boſtio ſcribens: *Hinc (teſte Cyrillo presbitero) cępit in Monte Carmeli, & aliis locis Terræ Sanctæ noſtra Religio iterum ampliari . . . . Verùm hæc lætitia, proh dolor! Brevi tempore finem habuit. Mortuo enim Carolo anno Domini 815. rurſus Terra Sancta poſt pauca tempora devaſtata fuit. Et dum Carmelitæ cum cæteris Chriſtianis eſſent vehementer afflicti, & attenuati, annis non paucis, plures ex eis martyrio coronati ſunt.* Et Boſtius addit: *Tunc Fratres, ſeu Monachi Carmelitæ in Monte, & cæteris ejuſdem Provinciæ locis vehementer ſunt attenuati, contempti, & pauci facti propter penuriam Chriſtianorũ, ſuccurſu omninò privati, & infidelium ſuſtinentes violentiam aſſidua eorum debacchatione fatigati ſunt &c. Sicque continuis doloribus Religioſi Terræ Sanctæ per annos quaſi trecentos, conſtantiſſime in ſancti propoſiti perdurabant continuatione uſq; ad tempora videlicet Godefridi Ducis Buglionenſis, qui Jeruſalem de manibus Infidelium capiens ejus Rex effectus eſt &c. Interea Monachi noſtræ Religionis, quamvis pauci tamen probatiſſimi erant in omni patientia, & tribulatione proficientes.* Quocirca cum ſummorum Pontificum ad ſubſiſtendum favore, & benevolentia indigerent, Leo IV. *Magnus* (teſte Anaſtaſio) *Religioſorum amator* conſecratus anno 848. profugis compatiens Carmelitis, omnibus Chriſtifidelibus illorum ſubvenientibus neceſſitati indulgentias conceſſit. Deindè Adrianus II. anno 855. & Stephanus V. anno 885. Undè Mantuanus totius Ordinis Prior Generalis in Apologia contra Detractores, qua refellit antiquitatem Ordinis impugnantes, illarum ſic meminit: *Reperimus, & in promptu omnibus, & oculo ad oculum poteſt videri Leonem IV. Pontificem Maximũ largas Indulgentias noſtris Benefactoribus elargitum, quem conſtat Pontificatum geſſiſſe anno ſalutis noſtræ octingenteſimo quinquageſimo quarto.* Quod cõfirmat ſua authoritate Joannes Carthagena ſæpè relatus probans Sacrum Eliæ inſtitutum ab Aymerico neutiquam ſumpſiſſe exordia ex eo, quod ante ejuſdem ortum, & nativitatẽ enarratas obtinuerit indulgentias. Inquit enim: *Aymericum non dediſſe primordia huic Sacro Ordini, illud apertè cõfirmat, quod Leo IV. Adrianus II. &c. varia privilegia conceſſerit Monachis Montis Carmeli.* Hoc unicum Argumentum deſumptum ex antiquis iſtis Indulgentiis Ordini Carmelitano conceſſis, evidenter convincit tunc Carmelitas extitiſſe, & ideò in ſignum antiquitatis Ordinis in ejuſdem Conſtitutionibus antiquis à Sede Apoſtolica approbatis expreſsè habetur cap. 1. quod Leo Papa IV. largas elargitus ſit Carmelitarum Benefactoribus Indulgentias. Quod eo fortiùs dictam evincit antiquitatem, quia præfatæ Leonis indulgentiæ, aliæque quamplurimæ à diverſis Summis Pontificibus conceſſæ, cum cępiſſent *vetuſtate cõſumi, motu proprio, & ex certa ſcientia* fuere à Sixto IV. vt ſuo loco dicemus, & in ſua Bulla prima, & ſecunda: *Dum attenta meditatione*, relatæ, & confirmatæ, ſicut & à Gregorio XIII. Sũmo Pontifice aliiſq; Sedis Apoſtolicæ Succeſſoribus, & nuperrimè à Clemente X.

lib.2.c.10.

lib.5.ſuæ hiſt. 635.

CXXXV. Pariter irrefragabile Carmelitarum antiquitatis argumentum hujus ſœculi eſt prima fundatio Conventus Leontini Ordinis noſtri in inclyto Regno Siciliæ ſecuta ab an. 837. de qua jam nullus eſt dubitandi, aut ambigendi locus cum de illa extet cęlebre antiquitatis monumentum authentico quodam inſtrumento exaratum tenoris ſequentis: *Die 21. Octobris 1634. Joſeph Ferrarotto, Timotheus Brancato, Clericus Vincentius de Stephano, Hjeronymus Pariſi, & Jacobus Margio Ur-*

Digitized by Google

Urbis fecundiſſimæ Leontinæ &c. Coram nobis mihi roganti exiſtentes interim Venerabilem antiquiſsimam Eccleſiam S. Mariæ de Monte Carmeli, ſub titulo S. Mariæ Annunciatæ dictæ Urbis ad petitionem, & inſtantiam Fratris Joſephi Centamore Prioris ejuſdem Venerabilis Conventus, etiam mihi cogniti, & petentis vigore præſentis actus unanimiter, & concordes oculis proſpexerunt tectum dictæ Venerabilis Eccleſiæ, quod coopertum eſt cum tabulis, & trabis, viderunt, & legerunt quoddam ſcriptum, ſeu Pittaphium, quæ ſcriptura ſic exponitur videlicet: Die decimaquinta Februarii undecima Indictione 837. *Vigore cujus milleſimi exponitur antiquitas dicti Conventus, & ab antiquis temporibus ſemper eſt expoſitum per famã publicam, quod dictus Conventus eſt primus Conventus totius Ordinis Carmelitarum, præter de illo Conventu de Monte Carmeli extra Regnum. Undè ut in futurum appareat pro rei futura memoria factus eſt præſens actus ſuis die, loco, & tempore valiturus. In quorum &c. teſtes Petrus Patti, & Magiſter Franciſcus Machina. Locus † ſigni. Ex actis Notarii Honuphrii Ferranti Leontini &c. Univerſitas fœcundiſsimæ Civitatis Leontinæ, Omnibus, & ſingulis præſentem viſuris teſtatur, qualiter præfatus Notarius Honuphrius Ferranti, qui iſtam copiam ab actis ſuis extraxit, fuit & eſt fide dignus, & prædictum officium exercet, & in teſtimonium veritatis has præſentes fecimus, & noſtro ſolito munivimus ſigillo die vigeſimanona Octobris 1634. Locus † ſigilli Lucius Frangua.* Hæc in præfato Inſtrumento, eo dumtaxat moderando, quod in ipſo afferatur, Conventum hunc Leontinum primum fuiſſe Ordinis Cœnobium poſt Carmeli Coloniam; ex his namque quæ diximus manifeſtè habetur plura alia Ordinis Cœnobia ante ipſum fuiſſe, in ipſa quoque Italia, prout de Senarũ, & Piſarum dictum manet; eſto Leontinum hoc Monaſterium jure optimo à Patribus illius Provinciæ pro primo, & vetuſtiſſimo habeatur. Fuit indè anno 1220. à S. Angelo noſtro Martyre de novo ſtructum, imaginibus decoratum, ſuaque præſentia valdè honeſtatum.

CXXXVI. Inſuper circa annum 844. contigit fundatio Eccleſiæ, & Monaſterii S. Martini in Montibus; Sergius enim II. Baſilicam Sanctorum Silveſtri, & Martini vetuſtate marceſcentem, & laceratam à fundamento reſtauravit, atque ad ejus latus conſtruxit Monaſteriũ, quod ejus ſucceſſor Leo IV. perfecit, & in illo Monachos conſtituit, ut ſcribit Anaſtaſius in ejus vita inquiens: *Idem verò Beatiſſimus Pontifex ad latus ipſius Baſilicæ in laudem Creatoris nomine, & honore Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum, Sergii, & Bacchi, Sanctorumq; Silveſtri, & Martini à fundamentis Cœnobium conſtruxit, in quo Monachorum Deo ſervientium Congregationem pro quotidianis laudibus in prædicta Eccleſia die noctuque Dominum Deum deprecantium, conſtituit.* Hujuſmodi Monachos fuiſſe Orientales Eliani inſtituti Monachos præſumitur tùm ex eo, quia (inquit relatus Anaſtaſius) *die noctuque Dominum Deum noſtrum deprecantium*, quod eſt peculiare mandatum in Regula Carmelitarum, in qua dicitur: *Maneant ſinguli in Cellulis ſuis, vel juxta eas die ac nocte in lege Domini meditantes, & in Orationibus vigilantes.* Tum ex eo, quia Leo IV. qui ſuſceptum à Sergio II. opus perfecit, ſpeciales conceſſit Indulgentias Carmelitarum Benefactoribus, & forſan non ſine hoc motivo, quod piis eorum eleemoſynis talis Eccleſia, & Monaſterium conſtrue-

ſtrueretur. Tum denique propter duas imagines repreſentantes duos Ordinis Carmelitarum Sanctos in fundamentis repertas. Cujus teſtimonium authenticum, ſeu teſtificationem in Archivio ejuſdem Conventus reſervatur, & eſt tenoris ſequentis: *Anno Domini 1652. die 19. Decembris. Cum de mandato Reverendiſsimi Patris Magiſtri Joannis Antonii Philippini Romani totius Ordinis Carmelitarum Generalis effoſſa eſſet terra in ſpatio eminentiori, in quo collocatum eſt Altare majus Eccleſiæ Sanctorum Silveſtri, & Martini in Montibus, quo extruerentur ibi fornices, & eruta poſtmodum indè terra locus ſubterraneus aperiretur ad ornatum, & elegantiam templi, perventumque eſſet ad radicem altaris majoris poſt aliquam ſuffoſsionem detectus eſt paries quidam lateritius craſsitiei non mediocris, in cujus medio erat forulus vacuus, ad cujus latera utrinq; conſpiciebantur imagines duæ depictæ, quæ & ſi aliquatenus delete erant, ſatis tamen apparebat, duos ibi Sanctos ex Ordine Carmelitarum repræſentari. Ut primum dirui cœpit dictus paries ad ſingulos ligonum ictus audiebatur repercuſſus ſoni, qui aliquid intus inane arguebat. Et verò paulo poſt perventum eſt ad Arcam marmoream palmorum circiter . . . . in quadrum; Ibi ſtatum eſt, donec moneretur dictus Reverendiſsimus Generalis qui vocatis Patribus infraſcriptis, & inſinuata per rimas dicti Marmoris minuta candela ceræ ipſe cum cæteris deprehendit intra præfatas marmoreas tabulas contineri capſam ferream craſſitiei unius digiti. Obſervaverunt preterea in ſuperiori parte dictæ Arcæ ferreæ laminas quaſdam ejuſdem metalli è rugine, ut videbatur, corruptas, & deorſum curvatas eſſe. Inter eas laminas videbantur oſſa exilia, ut coſtas eſſe diceres. Hæc cum dictus Generalis cum aliis patribus ſedulò obſervaſſet, & religiosè veneratus eſſet, nulla rè mota, vel mutata, juſsit ut fornix ſuperexſtrueretur. Voluit autem teſtimonium hoc autenticum, & ab iis qui teſtes præmiſſorum fuerunt oculati, ſubſcriptum ad Poſteros pervenire, quo certiores eſſent condita ibi eſſe plurimorum Sanctorum corpora, prout fert antiqua traditio, conſtatque ex veteri Tabula marmorea, quæ in prædicta Eccleſia aſſeruatur.*

Ego Frater Joannes Antonius Philippinus Generalis Carmelitarum in præmiſſorum teſtimonium propria manu ſubſcripſi die, & anno quibus ſupra.

Ego Frater Franciſcus Scannapieco Provincialis Saxoniæ Secretarius, in &c.

Ego Fr. Gabriel à Sancto Joſepho Provincialis Daciæ, & Secretarius in &c.

Ego Fr. Cyrillus de Maria Prior Carmeli Civitatis Caſertæ olim Provincialis Neapolitanus in &c.

Ego Fr. Albertus Strafolinus Prior Carmeli Civitatis Capuæ olim Provincialis Neapolitanus in &c.

Ego Fr. Petrus de Matthia in &c.

CXXXVII. Tandem hoc eodem ſœculo Oratorium ſeu Sacellum Eliæ in Monte Carmelo conſtructum in templum mutatum fuit, à Baſilio Imperato-

Digitized by Google

ratore reſtitutum, ut refert Baronius in annotatione ad diem vigeſimam Julii in Martyrologio his verbis: *De Æde Eliæ nomine Dominicum nuncupata, extat epigramma D. Gregorii Nanzianzeni.... de Templo Eliæ per Baſilium Imperatorem reſtituto meminit Cedrenus in compendio hiſtor. in Baſilio*. Ex quo patet illud in Carmelo Sacellum Eliæ dicatum, poſteaque Templum jugiter perſtitiſſe uſque ad Baſilii Imperatoris tempora, ſeu ad annum 885. adeoque Carmelitas in Monte Carmeli ſemper habitaſſe. Et quod hoc ſœculo Carmelitæ floruerint patet ex Luitprando Ticinenſi Diacono poſtea Cræmonenſi Epiſcopo, qui floruit circa annum 900. relatum Baſilium Imperatorem erga Magnum Prophetam Eliam devotiſſimum extitiſſe, aliiſque in locis ad ejus honorem templa ædificaſſe refert Curopalates, & ex eo idem Baronius in annalibus ſcribit: *Templum Prophetæ Eliæ ad Pitium ſplendidè renovavit, novumque conſtruxit in aula regia in Nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Principis Apoſtolorum, & Eliæ Prophetæ.* Et pergit infra: *Multa alia Templa ſacra in Palatio ædificanda curavit in Nomen Eliæ Prophetæ*. Quibus omnibus teſtimoniis ſupraadductis clarè evincitur Sacrum Carmelitarum inſtitutum ab ejus fundatione ab Elia deſumpta ſine aliqua interruptione uſq; per totum nonum ſœculum noſtræ Redemptionis perduraſſe.

CXXXVIII. Nec defuit Carmelitana Religio ab anno Chriſti nati 900. uſque ad 1000. Quamvis hoc ſœculum infœliciſſimum appellari ſoleat ob inopiam ſcriptorum, ac ob multas quibus Apoſtolica Sedes jactata erat procellas, ea præſertim de cauſa, quod ſœculi Principes quantumvis Chriſtiani tyrannicè ſibi Romanorum Pontificum electionem arrogabant, ex quo horrenda monſtra in eam intruſiſſe neceſſarium fuerit. Eliani nihilhominus inſtituti Alumnos extitiſſe, & viguiſſe patet ex Indulgentiis eidem conceſſis primo à Sergio III. circa annum 907. deinde à Joanne X. circa an. 913. Hi enim poſt Adrianum II. & Stephanum V. Carmelitis, eorumque Eccleſiis, fidelibuſque illas viſitantibus reficientibus, aut munera dantibus remiſſionis tertiæ partis peccatorum, Indulgentiam conceſſere, prout referunt Summi Pontifices Sixtus IV. & Gregorius XIII. Primus enim in ſua Bulla, eaque percælebri. *Dum attenta meditatione*, tam prima, quam ſecunda Carmelitis conceſſa poſtquam *ex certa ſcientia* Prædeceſſorum ſuorum Bullas recognoverit, quas in ſuo Diplomate inſerere non omiſit, dum cognoviſſet eas incipere *vetuſtate conſumi*, omnes illas, earumque tenorem enunciare cenſuit, ac voluit his verbis: *Adrianus II. Stephanus V. Sergius III. Joannes X. & Joannes XI. Sergius V. & Innocentius IV. qui dictum Ordinem confirmavit, omnibus Chriſtifidelibus verè pænitentibus, & confeſſis, qui prædictas Eccleſias* (Carmelitarum videlicet) *piè viſitarent in prædictis feſtivitatibus, & earum Octavis: Seu qui Domos fractas ejuſdem Ordinis reficerent, vel pro fabricis ipſarum Eccleſiarum munera darent; vel confratriam dicti Ordinis aſſumerent, & eam intrarent, aut Calicem pro miſſis cælebrandis, vel Tobalias, ſeu mappas erogarent, vel qui in premiſſis; aut in quolibet premiſſorum manus porrigerent adjutrices, vel qui in ſuis ultimis teſtamentis aliquid legarent: Tertiam partem omnium peccatorum in Domino relaxarunt*. Hoc eodem ſœculo circa ejuſdem initium fundatum fuiſſe Conventum Dinckelſpulienſem in Germania refert Martinus Zeiller licet Lutheranus, & Monaſticæ antiquitatis inimicus, in tractatu germanico de decem Circulis Imperii Romano-germanici, titulo 7. Cum enim anno 1633. Sueci præter plures Germaniæ, & Imperii Romani Civitates, etiam hanc occupaſſent, abdicatoque Catholico magiſtratu, expulſis Patribus Cappuccinis, etiam Carmelitas expulſos vellent, quidam è Primariis in pleno, ac publico ſenatu obteſtatus ſit eorum proſcriptioni, aſſerens, Carmelitis iniuriam inſerri, eo quod non à Civitate illorum Mona-

naſte-

naſterium, ſed à Monaſterio Civitas incrementum haberet, cui reliqui Senatores licèt Lutherani cum aſſentirentur, Carmelitæ ſuum retinuerunt Monaſterium uſque in hunc diem. Et nè hæc vanæ Vulgi opinioni inniti tantummodò videantur, in quibuſdam magiſtratus litteris Germanico idiomate exaratis legitur, quod: *Carmelitarum Monaſterii Origo juxta tenorem antiquorum Chronicorum ante omnem Urbis noſtræ conditionem, ac murorum extructionem ſeſe extendit*. Ex qua Civitatis Dinckelſpulienſis Chronica conſtat Carmelitarum Monaſterium in ea tunc exiſtens antiquiùs eſſe præfata Civitate, quæ ſolum circa annum 928. ſimplicibus menibus circumdari cæpit, ut teſtatur prænominatus Martinus Zeiller loco ſupra relato tit. 7. in quo de Circulo Suevico agens ſub nomine Dinckelſpuil ſic ſcribit: *Dinckelſpuila, vetus, ac libera Imperii Urbs ad Uvernitiàm* (alluentis fluvii nomen eſt) *nomen, & originem trahit à quadam villa dicta Dinkelſpuel, & tribus ſpeltaceis collibus*. Et paulo poſt: *Ad hanc Villam poſtmodum Monaſterium Carmelitarum ędificatum eſt, juxta quod Civitas paulatim accrevit, quæ primo quidem circa annum Domini* 928. *ſimplicibus, tandem circa anno* 1126. *duplicibus menibus circumdari cæpit*. Si igitur accrevit Civitas juxta Monaſterium, & hæc ſimplicibus Menibus circumvallata eſt anno 928. clarè patet ante prædictam circumvallationem extitiſſe Carmelitarum Monaſterium, & fortaſſe etiam circa medium ſœculi antecedentis, nam non ita ſubitò factum fuiſſe Civitatis incrementum licitè credendum eſt.

CXXXIX. Similiter hoc eodem ſœculo in quadam Peruſii vicina Eremo, ſeu loco ſolitario Carmelitas extitiſſe refert Ludovicus Jacobellus Fulginas *in annalibus Umbriæ*, circa annum 950. 1032. pro quo pariter legendi ſunt Cæſar Criſpoli, Frater Fœlix Ciatti in hiſtor. peruſ. Et dictus Jacobellus aſſerit Benedictum IX. ſub anno 1034. die 2. Auguſti Carmelitis conceſſiſſe licentiam transferendi ſuum Conventum Peruſinum ex uno ad alium locum. Hujus pariter Monaſterii antiquitas eruitur tum ex aliquibus noſtrorum Religioſorum antiquis Imaginibus cum cappis barratis exiſtentibus in porta eburnea, nunc nuncupata S. Maria della Valle; tum ex Imagine Deiparæ Virginis apud noſtros ſemper conſervata, & in qua Fratres noſtri depicti, apparent, & cum hac inſcriptione 1109. tum tandem ex eo quod in ejuſdem Civitatis Proceſſionibus Carmelitæ Franciſcanorum venerabilem communitatem præcedunt, antiquioris incolatus in dicta Civitate fundamento, ac ratione; cum tamen conſtet D. Franciſci Alumnos ante ſœculum duodecimum à Chriſto nato Peruſiis commorari. Similiter hujus decimi ſœculi anno 65. floruit Benedictus V. Pontifex Romanus, quem non tam intranei, quam extranei Scriptores Carmelitano adſcribunt Ordini inter quos Ægidius Galenus Canonicus Colonienſis, & hiſtoriographus, dum loquitur de Carmelitano inſtituto lib. 3. Syntagm. 43. §. 1. ſic ait: *Sufficiat ad laudem dicti Ordinis, quod is inter alios divos, ſex præclaros, ac ſanctos agnoſcat Romanos Pontifices, Clementem, Theleſphorum, Dionyſium, Silverium, Zachariam, ac Benedictum iſtius nominis V*. Et luculentius Chriſoſtomus Enriquez Ciſtercienſis, ubi contendens Papam Benedictum XII. neutiquam ad Carmelitarum inſtitutum pertinere, oppoſitum dicit de hoc Benedicto V. ſic ſcribens: *Habent quidem unum ex Benedictis, ſed non duodecimum. Protulit enim inter cæteros Sanctos Viros ſacra hæc Religio Deiparæ dicata Monachum quemdam, qui tandem ad ſummum Pontificatus faſtigium fuit evectus, & Benedictus V. appellatus eo tempore Pſeudo-Pontifex Leo VII. Petri ſedem violenter invaſerat*. Et poſt alia: *Ideoque inter cæteros Carmelitice Familiæ Sanctos meritò à Dociſſimo Viro Joanne Carthagena recenſetur lib. 27. de Sacris Arcanis Deiparæ, & Joſeph hom*. 3. Et infrà, de eodem Benedicto V. intelligit epitaphium quod ab aliquibus tribuitur Benedicto XII. videlicet,

in Faſc. Sacr. Ciſtercienſ. Ord. lib. 2. diſtin. 4. cap. 1. pag. nobis 69.

Hic

Hic jacet Benedictus,
Quem Carmelus protulit
Caſſinus aluit
Vaticanus coronavit.

Et in rei confirmationem ſubjungit : *Reverendus etiam Pater Gaſpar Pincker Carmelitanorum Antuerpienſium Prior ſe vidiſſe fatetur antiquam Benedicti Martyris Imaginem, ubi idem Pontifex in habitu Carmelitano, & gladio transfoſſus aſpicitur: Ex quo liquido conſtat illum non duodecimum, ſed quintum fuiſſe, de quo aliqui teſtantur eum in Germania Evangelium prædicaſſe, & tandem à Wandalis una cum ſexaginta Presbyteris transfoſſum fuiſſe*. Et indè poſt pauca: *Gloriamini talem vos habere Patrem re, & nomine Benedictum, qui ex ſolitudinibus Carmeli, quaſi Gigas fortiſſimus egreſſus, factus obediens Deo uſque ad mortem, non dubitavit pro ipſo animam ponere, & noſtrum nobis Benedictum relinquite, qui nec Martyr fuit, nec Romæ quieſcit*. Similiter circa annũ 986. Martyrii corona inſignitus eſt S. Gerardus Epiſcopus Canadienſis, quem merito Carmelitæ ſuo adſcribunt Ordini, cum non tantum antiquiores etiam externi Scriptores ità ſentiant, ut Didacus Jepes Epiſcopus Tiraſonenſis, & Confeſſarius Philippi II. Hyſpaniarum Monarchæ in vita S. Thereſiæ, & Laurentius Beyerlinck loco ſæpè citato, ſed etiã ex noſtris precipuè Palæodinorus ſic ſcribens: *Tempore Benedicti IX. qui* lib.2.cap.10. *floruit anno Domini 1030. Gerardus Ordinis Carmelitarum Patriarcha Antiochenus in Ungaria ſuper Bigam ligatus, de alto jactus precipitio, martyrizatus eſt*. Et hoc Doctorum aſſertũ præcipuè nititur in uſu Religionis ab Apoſtolica Sede approbato celebrandi S. Gerardum veluti ipſius Ordinis Alumnum; pro quo omiſſis vetuſtis, extat decretum Capituli Generalis celebrati in alma Urbe, & Carmelo S. Martini in Montibus ann. 1564. Præſide S. Carolo Borromeo Ordinis Cardinali Protectore, quod tale eſt: *Sancti Ordinis noſtri redigantur in Catalogũ, ſeu Kalendarium Sanctorum, & de illis fiat officium duplex*. Ad normam cujus decreti cum Romæ Kalendarium ederetur eodem anno apud Antonium Bladum impreſſorem Cameralem pro die 24. Septembris, ſic ibi habebatur: *Gerardi Epiſcopi Antiocheni, & Martyris Carmelitæ duplex*. Quem ideo totus Ordo qua talem ſemper coluit, ac etiam colet quotannis ſub eadem die Miſſa, & Officio à Sac. Rit. Congreg. approbatis. Tandem S. Odilus Abbas Cluniacenſis, cujus vita deſcripta habetur in bibliotheca Cluniacenſi, hoc ſęculo quoque floruit, & altero mortuus eſt, noſtrum confirmat intentum, aſſeritque Elianum inſtitutum uſque ad ſua tempora continuaſſe, ſcribens in vita S. Majoli: *Deinde cœpit monaſticus Ordo pullulare, & ut verius dicam, reviviſcere, quem à B. Elia, & Joanne Baptiſta novimus proceſſiſſe, & ità per Apoſtolicam converſationem, & vitam, & incrementa virtutum, & exercitia Sanctorum ſpiritualium Patrum ad nos uſque gaudeamus perveniſſe*.

CXXXX. Ab anno vero à Chriſto nato milleſimo Carmelitarum inſtitutum ininterrupta ſucceſſione continuaſſe uſque ad milleſimum ſupra cẽteſimum, patet primo ex Indulgentiis Summorum Pontificum pietate illi conceſſis. Alexander enim II. anno Chriſti 1061. viſitantibus Fratrum Ordinis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo Eccleſias, & Sanctuaria, varias conceſſit Indulgentias. Similes quoque erga ejuſdem Sacri Inſtituti Alumnos à Caracenis oppreſſos, commiſeratione motus, ut refert Palæonydorus lib. 2. c. 10. elargitus eſt Gregorius VII. anno 1074. quæ omnes colliguntur, referuntur, & approbantur in authenticis diplomatibus Sixti IV. Gregorii XIII. & Clementis X. infra ſuo loco referẽdis. Conſtat etiam ex eo quod anno Chriſti 1045. Carmelitæ venerunt in Germaniam, & ut veriſimile eſt intercedente penès Henricum Imperatorem (apud quem Apoſtolici legati munere fũgebatur) S. Gerardo, & Bop-

Digitized by Google

pardiæ circa Rhenum fluvium locum obtinuere, ſicut & indultum monaſterium conſtruendi, quod circa illa tèmpora, vel non multum poſt ædificarũt, ut conſtat ex Epitaphio ipſius Cõventus, in quo legitur, quod primus ejus Prior ex hac vita deceſſerit anno Chriſti 1113. Hoc Carmelitarum monaſterium antiquitate Parochialem ejuſdem loci Eccleſiã præcedit, ut habemus in litteris ad Reverendiſſimum Generalem noſtrum Theodorum Stratium Patris Segeri Pauli ejuſdem Provinciæ Germaniæ inferioris nunc appellatæ, doctiſſimi, & diligentiſſimi Alumni ſcriptis, & datis Moguntiæ 29. Novembris 1638. in quibus ſic legimus: *Eſt etiã notandum, quod Monaſterium Carmelitarũ Boppardienſe antiquitate precedat ipſam Parochialem, ſeu Matricularem Eccleſiam ejuſdem Civitatis. Hinc in Proceſſionibus, in conductionibus funeralibus, aliiſq; actibus publicis Prior Carmelitarum cum ſuis Fratribus ſemper poſtremum, ſeu digniorem locum obtinet præ Paſtore, ſuiſque Sacellanis. Unde colligitur, quod hoc idem Monaſterium, priuſquã Parochia moderna ædificaretur, ipſius Urbis matricularis Eccleſia fuerit. Nam & ante paucos annos cum in Eccleſia Parochiali funus quoddam ſepeliendum eſſet, noſtrique Fratres comitarẽtur, ipſi nihilominus digniorem, ſeu ultimũ locum obtinuerunt: prout hæc mihi retulerunt, qui etiamnunc vivunt, & antedicto funeri præſentes interfuerunt*. Ejuſdem paritèr D. Gerardi occaſione ex Auguſtino Biſcarreto in palmit. Carm. litt. G. in Gerardo, ex teſtimonio Leonardi Priuli olim Procuratoris General. Viri graviſſimi, ac nobiliſſimi Carmelitas hoc ſęculo Venetiis Monaſteriũ habuiſſe colligimus, ſcribit enim: *Tenet Leonardus Priulus tempore iſtius Sancti* (puta Gerardi) *fuiſſe Venetiis erectum noſtrum monaſterium, quod quidem eſt antiquiſſimum, ut apparet ex imagine B. V. Mariæ, quæ eſt in frontiſpicio Eccleſiæ: & multa habentur antiqua inſtrumenta*. Et cui favet Michael Munnozius in ſuo Propugnacolo Eliæ lib. 2. tit. 3. cap. 1. art. 2. ſcribens: *Per ea Gerardi tempora Venetiarum Monaſterium Carmelitarum extructum traditio fert*. Et alii quos citat Lezzana tom. 3. annal. ad ann. 1024. nu. 6. Hoc certum videtur Carmelitas nempè, in Galliam hoc ſæculo veniſſe, & Burdigale habitaſſe. Nam ex Annalibus Burdigalenſibus, & ex litteris Archivii Conventus illius conſtat Illuſtriſs. D. de la Lande ob Victoriam, *Ope B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo*, obtentam, Carmelitis extruxiſſe Monaſteriũ anno 1099. Quod deindè alius ejuſdem familiæ Gagliardus de la Lande anno 1217. in alio loco reædificavit. Et prioris fundationis fidem quoquę facit marmoris monumentũ extans prope majus altare poſterioris Cœnobii, pro quo videndus Fronto du Duc Jeſuita in Apolog. ad Dominum dell'Urbe, & Michael la Furcada Carmelita in defenſorio hujus fundationis, da qua meminit etiam Sergius Paulus in Cronol. Vit. S. Simonis Stoch, *&. & quia ſupra*. Pariter alia Cœnobia, ſeu Eliani inſtituti Eremitoria in variis Europæ locis, maximè in Britanniæ, & Scotiæ partibus fuiſſe fundata, disertè, nervosè, ac luculenter probat Clemens Raynerus ſupra relatus, qui loquendo de aliquibus vetuſtis Religioſis in Scotia, & Britannia, ante Auguſtini adventum in Inſulis Angliæ habitantibus, probat eos nõ fuiſſe Inſtituti Benedictini, ſicut nec eos, qui ante D. Benedictum in Lirinenſi claruere Cęnobio, ſed omnes jure merito Carmelitanæ adſcribit Religioni. Hoc tãdem ſæculo circa annum 1099. ſub conductu *Petri Eremitæ* ſacri belli contra Saracenos promotoris reſtituta fuit Chriſtianis Civitas Sancta Jeruſalem per Inclitum, ac ſtrenuiſſimum Ducem Godefridum de Bullion, primum deindè Jeroſolymorum Regem. Et cum ante cęptam Jeroſolymam Chriſtianorum exercitus maxima præmeretur neceſſitate, Sanctus Bertholdus Lemovicenſis ex Gallia, & Pariſienſis eximius Laureatus, qui erat in comitatu relati Ducis Godefridi: *Ingredienda Religionis votũ*

emiſit,

Digitized by Google

emiſit, ut Deus exercituum Chriſtianorum copias à maximis anguſtiis, in quibus conjectæ erant dignaretur eripere. Quod poſtmodum, re obtenta, Altiſſimo redditurus, in Carmeli Montem aſcendit, poſtulatumque Ordinis habitum ſuſcepit. Prout legitur in ejus Officio à Sede Apoſtolica approbato lect. 4. Ex quo proindè, & aliis hucuſque dictis evidenter conſtat Religionem Carmelitanam ante annum à Chriſto nato 1100. fuiſſe perfectè formatam. Imò & à tempore Apoſtolorum, prout refert Sigibertus Monachus Gemblacenſis, qui vixit circa finem hujus ſœculi, cujus verba ſupra adduximus.

CXLI. Jam devenimus ad duodecimum noſtræ ſalutis ſœculum in cujus fine, aut in primordiis ſubſequentis, aliqui contendunt ſuū ſumpſiſſe exordium Sacrum Carmelitarum inſtitutum. Quocirca oſtendendo ininterruptam Sacri noſtri Ordinis ſucceſſionem à magno Propheta Elia ejuſdem Fundatorē, ac auctorem derivatā, & ab ejus ævo uſq; ad pręſens ſęculum continuatam, in primordiis, ac decurſu hujus ſœculi duodecimi ininterruptè perſeveraſſe, omnem ambiguitatis, ac dubii locum quoad ſequentia ſœcula, removendum eſſe non diffidimus. Conſtat igitur hujus inſtituti perſeverantia ex eo, quod recuperata anno 1099. Terra Sancta per Ducem de Bullion, cępit Orientalis Eccleſia reviviſcendo florere, prout refert Jacobus de Vitriaco Cardinalis, qui eo vixit ſęculo, in hiſtoria ſua Orientali lib. 51. in qua agens de Carmelitis cap. 51. ſic ſcribit: *Alii ad exemplum, & imitationem S. Viri, & Solitarii Eliæ Prophetæ, in Monte Carmelo, & maximè in parte illa, quæ ſupereminet Civitati Porphyriæ, quæ hodie Cayphas appellatur, juxta fontem, qui fons Eliæ dicitur, non longè à Monaſterio B. Margaritæ, vitam ſolitariam agebant, in alvearibus modicarum cellularum tanquam apes Domino dulcedinem ſpiritualem mellificantes.* Monaſterium iſtud Beatæ Virg. Margaritæ nuncupatū ab Aymerico Patriarcha Antiocheno ad honorem SS. Virg. Deiparæ, & etiam ſpecialiter ſub titulo S. Margaritæ inchoatum, & non perfectum, tandem liberalitate Balduini Regis, & favore Beati Alberti Patriarchæ conſummatum fuit, *Alios verò* (ſcribit præfatus Præſul Acconenſis) *in deſerto Quarantena appellato* (*in quo Dominus noſter quadraginta diebus jejunavit*) *vitam eremiticam agentes Domino devotiſſimè militaſſe. Alios autem in ſolitudinibus Jordanis mortuos mundo, ut viverēt Deo, quietis ſibi ſepulchrum elegiſſe.* Hoc idem ſed paucis commemorat Joannes Trithemius lib. de origine, & laud. Carmelit. cap. 8 inquiens: *Facta fuit hæc Terræ Sanctæ recuperatio per Ducem Gotfridum ann. Domini 1099. Deinde poſt annos paucos confluentibus undique Peregrinis, & maximè de Regionibus Europæ numerus Fratrum in Monte Carmelo valdè multiplicatus eſt. In tantum ut præ multitudine Montes implerēt, & Urbes. O ſi tunc Ordinis Carmelitici decorem in ſua Majeſtate vidiſſes, nunquam fuiſſe ſimilem alium exclamares. Erat videre delectabile Fratres innumerabiles circa Montem Carmelum habitantes in Cellulis, & Cavernis petrarum idipſum omnibus ſapere; Deo Maximo die, noctuque quamdevotiſſimè ſervire; Mundum cum ſuis voluptatibus pro Chriſti amore contemnere; Summa tunc apud illos erat Religio; ſumma regularis vitæ perfectio, cum Fratres in carne manentes, carnem ipſam cum vitiis ſuis fortitèr evincerent. Floruit in pace Religio, quæ paulo ante turbata perfidorum incurſibus deficere putabatur. Venerūt ex omni Europa Fratres Peregrini, & colla monaſticis diſciplinis in Monte Carmelo humiliter ſubmiſerunt.* Hoc idē, & fuſius Arnoldus Boſtius in ſpeculo hiſtoriali lib. 6. cap. 8. & ſequen. & Guillelmus de Sanvico in lib. de multiplicatione hujus Religionis in Syria cap. 1. Hoc eodem ſœculo celebre erat illud Monaſterium in Montanis, per quæ Beatiſſima Virgo Eliſabetham viſitaturam pertranſiit, in quo fundationem quamdam fecit Gode-

in Apolog. pro Carmel.

fridus de Bulliõ, prout teſtatur Baptiſta Mantuanus, inquiẽs: *Habeo apud me decretum Godfredi, qui capta Jeroſolyma de Syris triumphavit ſuper quadam pietate, quam omni Sabbato jubebat exhiberi Fratribus noſtris, qui tunc incolebant Montana Judeæ, per quæ tranſivit Maria, cum ad ſalutandum Eliſabeth ſe conferret.* Et infrà: *Attulit autem decretum hoc ex Cypro cũ quatuor Bullis Romanorum Pontificum in Fratrũ noſtrorum favorem ad Patriarchas Jeroſolymitanos, olim miſſis F. Jordanis Mantuanus Ordinis noſtri, qui loca Terræ Sanctę viſitavit.*

CXXXXII. In hoc pariter ſœculo S. Bertholdus electus fuit primus inter latinos Carmelitici inſtituti Prior Generalis, ut conſtat ex quinta lectione ejuſdem Officii à Sac. Rit. Congr. approbati, & pluries à Summis Pontificibus confirmati, in qua legitur: *Factum eſt ut eo tempore Aymericus Antiochenus Patriarcha, & ejus conſanguineus in Terram Sanctam Apoſtolicæ Sedis à latere legatus miſſus ſit, qui cum aliquando in Carmeli Montem aſcendiſſet, Fratrumque Cęleſtem vivendi rationem contemplatus eſſet, eos maximis favoribus proſecutus eſt* (nota, nam ſupponitur jam Fratres Carmelitas tunc temporis extitiſſe) *novaſque leges addidit pro eorũ perfectiori inſtitutione. Tum vita functo Ordinis ſuperiore* (nota ly Ordinis ſuperiore, nam ſupponit alios prius extitiſſe Ordinis Superiores Generales) *Sanctum Bertholdum ob inſignem prudentiam, & ſanctitatem unanimi omnium aſſenſu electum, ipſis præfecit, moreque Latinorum, Priorem Generalem nuncupavit.* Et licet hujuſmodi in ejus lectione enarrata occaſionem erroneè opinandi Carmelitarum Ordinem demum ſub S. Bertholdo ſuum ſumpſiſſe exordium aliquibus præbuerint, eo quod primus illius dictus fuit Prior Generalis, quaſi antea Carmeliticus Ordo non habuiſſet Rectorem univerſalem; nihilhominus non ideò primus Ordinis Carmelitarum in hoc munere nuncupatur, quaſi antea ſuos non habuerat Priores Generales; ſed quia juxta librum Joannis 44. græce conſcriptum, qui Carmelicolis pro regula deſerviebat, Montis Carmeli Prior dicebatur Abbas more Græcorum. Cum verò recuperata Terra Sancta an. 1099. ob laudabilem, & Sanctam Carmelicolarum converſationem Latini varii accurriſſent, & Ordinis habitum aſſumpſiſſent, inter quos erat Bertholdus, cæpit Carmeli Abbas, latinorum more nuncupari Prior Generalis, ut innuunt ultima relatæ lectionis ejus officii verba. Et cum latini promiſcuè græcas ignorarent voces, ac litteras, hinc Aymericus Patriarcha Antiochenus dictum Joannis 44. librum græcè ſcriptum in latinum transferri juſſit, Ordinemque ob Saracenorum perſecutiones non parum relaxatum reſtauravit, multumque promovit, & ut ait ipſi coævus S. Cyrillus Conſtantinopol. in lib. de proceſs., &c. c. 3. *Qui prædictorum anteceſſorum noſtrorum Eremitarum fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo laudabilem converſationem attendens, eos multum ſpecialiter ſuo tempore enutrivit, &c.* Et ne hec explicatio arbitraria cenſeatur, audiamus præfatum D. Cyrillum Aymerico, & Bertholdo in illo ſœculo coævum in Epiſtola ad Fratrem Euſebium, ſeu de inſtitut. & particularibus geſtis Monachorum Carmel. *Erat autem* (inquit) *in diebus illis Patriarcha Antiochenus, & in Terra Sancta Apoſtolicæ Sedis Legatus Vir quidam amabilis Deo, & hominibus nomine Aymericus Maleſayda, natione Lemovicenſis de villa appellata Salamiacum, qui prædictorum Anteceſſorum noſtrorum Eremitarum Fratrum B. Mariæ de Monte Carmeli laudabilem converſationem attendens, eos multum ſpecialiter ſuo tempore in Domino enutrivit. Intelligens autem quoſdam eorum, qui ex Occidente ſupervenerant, ſpretis ſeniorum monitis non rectè ambulare ad veritatem religioſæ vitæ eremiticæ in prædicto Joannis libro deſcripta, & perpendens hoc, ideo maximè contingere, quia græcas litteras ignorantes, neſciebant codicem illum legere, fecit librum illum de græco in latinum transferre.*

in ſpecul. Or. lib. 8. c. 2.

re. Et ut illorum improborum coerceretur audacia, tutaque inter eos eſſet Seniorum eremitarum hujus Montis innocentia, ipſos omnes per obedientiæ vinculum colligavit. Statuit enim quod ex ipſis unus, qui diceretur Prior, *deinceps eis ita præeſſet, ut quilibet aliorum obedientiam ei devoverint, ſub cura cujus & regimine omnes viverent. Quibus antea licet ſemper unus ex eis præeſſet, quē* Abba *lingua Syra*, & Patrem *latina appellabant, ſub regimine cujus etiam tunc temporis manebant, & cui etiã ſponte obediebant, numquam tamen ad obediendum alicui ſe voto ſpeciali prius obligaverãt donéc prædictus Patriarcha Aymericus eos ad hoc primũ adſtrinxit. Inter quos ipſe Fratrem ſuũ habuit ſcilicet Fratrem Bertholdũ Virũ Religioſum, Sanctumq; Presbiterũ, quem de unanimi omnium aſſenſu anno Domino 1121. primũ Priorem eis inſtituit, & cui curã animarum cæterorum injunxit. Quibus & Monaſterium in hoc Monte Carmeli ad honorem B. Margaritæ ædificari faciebat, infra quod eos includere intendebat, ſed priuſquam Monaſteriũ hoc conſummaſſet ſuſtulit eum de Mundo Deus.* Circa quæ B. Cyrilli verba ſolum animadverſione dignum occurrit, quod cum aſſerit S. hic Pater Eremitas hoſcè primitus voto obedientiæ ſpeciali adſtrictos non eſſe, ſed ad id ab Aymerico obligatos, de his dumtaxat loquitur: *Qui ex Occidente ſupervenerant, & qui ſpretis Seniorum monitis non rectè ad veritatem religioſæ vitæ eremiticæ ambulabant*; Non autem de aliis per totam Paleſtinam totumque ferme Orbem diſperſis, multoque minus de Senioribus Carmeli Eremitis, quos vitæ innocentia præditos eſſe affirmat: Undè propterea dixit: *Et ut illorũ improborum* (eorum ſcilicet, qui ex Occidentis partibus advenerant) *coerceretur audacia, tutaque inter eos eſſet Seniorum Eremitarum hujus Mõtis innocentia, illos omnes per obedientiæ vinculum colligavit*; Quia & verbum ipſum *colligavit* hoc indicat fuiſſe videlicet primum ſicut corpore per totum Montem, ſic & mente diſperſos; cum Juniores obedientiæ vinculo obligari nollent, cui Seniores aſtringebantur.

CXXXXIII. Et quod hoc ipſo ſœculo, & ante Sacer Carmelitarum Ordo plenè formatus fuerat, conſtat ex his, quæ ſupraadduximus, & ex eo quod indubitatum ſit Carmelitas ante Patriarchatum Antiochenum Aymerici, ac proindè ante Ordinis reſtaurationem per ipſum factam, jam fuiſſe in Polonia, & Dantiſci habuiſſe Conventum fundatum anno 1136. per Subislaum primum Pomeraniæ Ducem Chriſtianum, prout conſtat ex authentico fundationis inſtrumento, quod demum anno 1677. ex Polonia acceptum eſt, & eſt tenoris ſequentis: *Nos Subislaus Dux Gedanens. Pomeraniæ, &c. anno Domini* 1186. *in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, &c.* ubi ſubſequitur tenor fundationis. Et tandem ſic concluditur: *Hæc omnia quæ nos dicto Carmelitarum Monaſterio, & Templo in honorem Dei Omnipotentis, & Sanctæ Matris ejus ſub titulo Nativitatis Mariæ, præſenti loco titulo legavimus, & adſcripſimus prædicti Venerabiles Patres virtute, & vi hujus noſtri Privilegii in annos perpetuos poſſidebunt, fruentur, & gubernantur: quæ omnia nos in propria noſtra Perſona, & nomine ſucceſſorum noſtrorum in annos perpetuos confirmamus; obligantes dictos Reliſos, noſtram familiam Principem ſuis devotis orationibus includere, ac ſine intermiſſione Deum ter optimum maximum in deceſſu animarum ſuarum exorare. Datum in noſtra Arce Gedanenſi in die Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis anno* 1186. *† Subislaus Dux Gedanenſis, & Pomeraniæ.* Originale iſtius fundationis aſſervatur in Arce Buthorienſi in regiſtro, in quo omnia acta ſpiritualia continentur: Et indè cum ſollemnitatibus juris deſumptum eſt Apographum

Digitized by Google

Romam, & in Belgium miſſum. Inſtrumentum autem iſtud Germanico Idiomate ſcriptum fuit, & inde anno 1556. confecta fuit copia, cui Philippus Dux Pomeraniæ ſubſcripſit his verbis: *Hiſce fidē facimus quod præſens hæc copia veraciter ſecundum verum originale Privilegiī ex noſtro Protocollo de verbo ad verbum tranſcripta ſit: quod manus noſtræ appoſitio, & ſigilli teſtatur. Datum Stetini anno 1556. die 26. Septembris locus † Sigilli. Philippus Dux Pomeraniæ.* Patet etiam, quod ſæculo antecedenti, & ultra, anno ſcilicet 1085. Inclytus Rex Alphonſus IV. ex Mahumetarum manibus cum Tholetanam eripuiſſet Urbem, quam ultra trecentos annos occupaverant, quo annorum ſpatio Toletanus Anthiſtes, & Clerus Carmelitarum S. Maria de Alſizen inhabitabant Baſilicam, & Carmelitæ reſidebant in Monaſterio S. Servandi, relatus Rex Anthiſtiti, & Clero ſuam reſtituit Baſilicam, & Alphonſus VI. ejuſdem ſucceſſor Carmelitis ſub anno 1133. antiquam ſuā Eccleſiam S. Mariæ de Alfizen cum liberaliſſima donatione pro Conventu, ut patet ex ipſo Regis diplomate, quod incipit: *Ego Alphonſus Dei gratia Toletani Imperii Rex, & Magnificus triumphator cum conſenſu dilectiſſimæ Uxoris meæ Verta facio hanc teſtamenti ſeriē ad Monaſterium ſervorum Dei Servandi, & Germani, &c.* Et poſtquam magnificas donationes in eo expreſſas illis impertiri dignatus eſt, ſequitur: *Et pro augmento conſervationis monaſticæ, & ſuorum famulorum, & pro Hoſpitum receptione, teſtor illi antiquam Eccleſiam quæ dicitur S. Maria de Alfizen, quæ numquam Chriſtianitatis titulum perdidit, & quamvis ſub poteſtate Paganorum, nō deſiit de Chriſtianis incoli, & venerari licèt ſub jugo perfidæ gentis: Ita quomodo eſt intra Civitatem ſuper murum ejuſdem Civitatis concluſa cum domibus ibi circumadjacentibus, ubi adiicio ad augmentum cibi, & potus integram villam de Acuquieja, quomodo eſt concluſa per ſuos terminos antiquos; cum omni quo ad profectum hominis in ea eſt de vineis, ac terris cultis, & incultis, Pratis, Paſquis, Paludibus, & Arboribus fructuoſis, & infructuoſis. Æra 1133. idibus Februarii.* Deinde etiam circa finē hujus ſæculi Carmelitæ habuerunt Coloniæ, prout oſtendit clarè Lezzana ad annum 1199. tom. 4. annal. Et confirmatur ex autenthicis quarumdam donationum inſtrumentis circa iſta tempora factis, quorum unum eſt, quod indubitatum nobis perhibet liber Proviſorum Pauperum domeſticorum Parochialis Eccleſiæ D. Jacobi Coloniæ, in quo fol. 4. pag. 2. habentur ſequentia: *Cum inſcriberetur annus* (videlicet 1222.) *Carmelitarum Ordo Civium ope, & cujuſdā Equitis dicti Bonner Hoff, ædificavit domum unam Dei, & Cœnobium, ac Ordinis Fratres cæperunt in eodem variegatas, & nigras cappas, aut pallia deferre; fueruntque nuncupati variegati Fratres B.V. Fravvenbruder.* Accedit denique alia donatio *Fratribus Strepititiis*, ideſt Cappas barratas portantibus, facta à Divo Alexandro de Ripa anno 1231. & denique alia à Domino quodam Brunone Ordinis tertiario an. 1230. quam acceptavit Frater Joannes de Lennia Vicarius Prioris Generalis, quia Prior Generalis tunc reſidebat adhuc in Monte Carmeli, ad quem difficilis erat acceſſus. Præcipitque omnia in dicto inſtrumento contenta obſervari, illudque ſic incipit: *Frater Joannes de Lennia Vicarius Prioris Generalis Fratrum Ordinis B. Mariæ de Monte Carmeli, Univerſis Prioribus, & Fratribus ejuſdem Ordinis in Provincia Alemaniæ*

exi-

Digitized by Google

exiſtentibus. Ex quo patet tunc fuiſſe in Alemania fundatam Provinciam ex multis Monaſteriis, quod confirmatur ex clauſura præfati inſtrumenti, quæ ſic habet: *Ut autem hæc Ordinatio perpetuo firma, & robuſta maneat, ſigillum noſtri officii, & Sigillum Fr. Ermanni Prioris Provincialis; & commune Sigillum Provinciæ præſentibus duximus apponendum*. Ex quo ulterius liquet, quod valde diù ante annum 1230. ibi ſedes fixerint Carmelitæ, cum multum temporis requiratur ad formandam unam integram Provinciam. Conſtat etiam, nam hoc eodem ſœculo Sanctus Brocardus, qui in Generalatu ſucceſſit S. Bertholdo anno 1187. ex Joannis Jeroſolymitani compoſuit Conſtitutiones, in quibus tractat de Capitulo generali, & ſtatuit Priorem Generalem à Diffinitoribus Capituli Generalis poſſe deponi: Quæ attenta aliunde multitudine Conventuum, tùm in Terra Sancta, tùm extra, etiam per Europam, ſufficienter convincunt Ordinem hoc ſœculo perfectè fuiſſe formatum, & non demum *Sæculo XIII: ſub Alberto Patriarcha*, prout fidenter aliqui aſſerere præſumunt.

CXLIV. Cum igitur evidenter conſtet Carmelitarum Ordinem à tempore S. Bertholdi uſque ad præſens, abſque ulla interruptione perſeveraſſe, ſupervacaneum ducimus omnia, & ſingula mirabilia producere, quæ in Ordine interea evenere. Undè ſolum illa hic, & deinceps proferemus, quæ probant, & convincunt Carmelitarum Ordinem ſuum ab Elia Propheta trahere exordium, adeoque plenè formatum extitiſſe, & floruiſſe ante tempora Sanctorum Bertholdi, & Alberti Patriarchæ Jeroſolymitani. In primis ex ipſa Regula, quam circa annum 1205. S. Albertus Patriarcha Jeroſolymitanus, Sancto Brocardo, cœteriſque Carmelitis obſervandā tradidit, clarè conſtat illos antecedenter Monaſticæ vitæ normam, ſeu Regulam habuiſſe, licèt valdè prolixam, & pro Cœnobitica, & communi vita non ſatis exactam. Undè cum Carmelitarum Alumni exoptarent, ac intenderent Cœnobiticam impoſterum ducere vitam, & magis communem, ut videlicet ſimul comedere, jejunare, orare, & ſimilia, de quibus nihil deducebatur ex libro Joannis 44. juſſu Aymerici idiomatè latino translato, & qui illis hucuſque pro Regula deſervierat, hinc ſuppliciter exorarunt, quod Albertus Patriarcha ex dicto Joannis libro breviorem ipſis efformaret Regulam, adjectis nonnullis punctis magis communis obſervantiæ accomodis. Quorum votis benigniter annuens, illā duodecim Capitulis compilandam duxit, in cujus exordio ſequentia leguntur: *Albertus Dei gratia Jeroſolymitanæ Eccleſiæ vocatus Patriarcha, dilectis in Chriſto Filiis Brocardo, & cæteris Fratribus Eremitis, qui ſub ejus obedientia juxta fontē Eliæ in Monte Carmelo morantur &c.* Ex quibus evidenter patet, quod Carmelitæ ante D. Alberti Regulam in Carmelo ſub obedientia unius Prioris religioſè viverent, adeoque, quod plus participaverint de Religioſo ſtatu, quam nudum ſolitudinis locum ab Elia antiquitus habitatum. Et indè ſubjungens: *Verum quia requiritis à Nobis, ut juxta propoſitum veſtrum tradamus Vobis vitæ formulam, quam tenere impoſterum debeatis, &c.* Per hæc verba clarè indicari videtur, antecedenter Carmelitis fuiſſe proviſum de Propoſito, Norma, & Regula vitæ religioſæ, ac monaſticæ juxta Eliæ exemplum, quod exactè imitari ſatagebant. Ex quo apparet, Albertum Patriarcham Carmelitis præſcripſiſſe Regulam non arbitrariè, aut ex ſuo placito, ſed juxta propoſitum, & vitæ religioſæ inſtitutum, quod uſque ad illa tempora in Ordine viguerat, contentum in Joannis Jeroſolymitani libro, qui Carmelitis pro Regula ſervivit ab anno 412. uſque ad tēpora S. Brocardi, cum ex illo ſuas conſtruxerit, & compoſuerit Conſtitutiones, & vivendi normam, & ſuam S. Albertus Regulam, quam cum Joannis libro valdè genuinam, ac conformem eſſe comperiet quiſque, illam reflexè ponderans, & ad litteram

tuni

Digitized by Google

tùm librum Joannis, tùm D. Alberti Regulam attentè inſpiciens in ſpeculo Ordinis, in quo fit ſpecialis reflexio, relatis ex una parte verbis regulæ D. Alberti, & ex alia verbis aliquorum capitum libri Joannis; ex quibus ſatis apertè conſtat, D. Alberti regulam fuiſſe extractam ex relato Joannis libro.

CXXXXV. Deinde S. Cyrillus Conſtantinopolytanus eximius Doctor, & percœlebris Pater, qui in Generalatu ſucceſſit S. Brocardo circa annum 1221. in lib. ſeu Epiſt. ad Euſebium c. 1. aſſerit, Priſcos hujus Sacræ Religionis Profeſſores pro Regula in veteri lege, virtuoſam S. Prophetæ Eliæ habuiſſe vitam, cum Sancta Scriptura, quam in nova lege circa annum 412. ſcripto expoſuit, & Carmelitis obſervandā tradidit Joannes Patriarcha Jeroſolymitanus. Et tandem refert, quomodò Carmelitæ Regulam Joannis Patriarchę Jeroſolymitani vitæ eremiticæ, & ſolitariæ appropriatam poſtulaverint adaptari Cœnobiali per B. Albertum Patriarcham Jeroſolymitanum, cum aliquot dubiis decidendis, quæ per regulam decidit, ut ex illa patet, quam ibidem S. Cyrillus producit cap. 6. Similiter Guillelmus de Sanvico, qui floruit in Terra Sancta circa annum 1280. Montis Carmeli Incola in hiſtoria Ordinis optimè verſatus; poſtquam Chronicæ ſuæ c. 2. egit de multiplicatione Ordinis Carmelitarum per varias Provincias, cap. 8. agit de eorum expulſione ex Terra Sancta, & tandem ſubdit: *Profeſſores itaque hujus Religionis, qui in Monte Carmeli à tempore Eliæ, & Eliſei Prophetarum continuè, & inceſſanter per annos circiter 2218. in Contemplatione Dei extiterant, in hac perſecutione Montem illum ex toto amiſerunt*. Hanc Montis Carmeli amiſſionem ipſamet Virgo Maria Carmelitarum Mater, ac Patrona prædixerat, admonens Montis Carmeli Priorem, quod ſuis Religioſis permitteret, ut ad Occiduas accedere poſſent Regiones, eiſque ſuum propagare, ac diffundere inſtitutum, ut refert relatus Guillelmus Sanvico in Cronica de multiplicatione ſuæ Religionis cap. 3. inquiens: *Inter cætera, quæ in eo Capitulo tractata fuerant* (celebrabatur enim Carmelitarum Capitulum Generale) *propoſuere Fratrum multi receſſum aliquorum à Terra Sancta* (*quæ Incolarum peccatis exigentibus in dies amplius oppugnabatur*) *expedire; ne tanta Religio inter Turcas impudicos evaneſceret, ſed in partibus Occidentibus tranſplantata jugiter floreret, fructumque faceret abbundantem, præſertim cum jam permulti eorum, Saracenorum gladio forent abſumpti; contradixere plures, non eſſe* (*dicentes*) *fortis Militis tergum oſtendere, ſed viriliter perſiſtere, & ad mortem uſque bellando perſeverare. Cumque ſic dubia Patrum fieret ſententia, ſingulare totius ſæculi propitiatorium, piiſſimaque ſuorum ſemper Conſolatrix Virgo Maria, decus Orbis, Sydus hominum, ſpeculum Angelorum, dulcis eloquio, & facie gratioſa, Sancto Priori Carmeli, ad dandam ſcientiam ſalutis Plebi ſuæ clementer apparuit, & admonuit, ut petitioni Fratrum, qui Orientale lumen tenebris occiduis inferre vellent, nequaquam obſiſteret, innuens ei à ſe, & à Filio ſuo hunc egreſſum eſſe ſermonem, quatenus Carmeli flores non ſolum Paleſtinam, & Syriam, ſed & Orbem adornent Univerſum, & Terræ repromiſſionis, quæ olim fluxit lac, & mel ſuis dumtaxat Habitatoribus ex tunc univerſo Orbi remedia ſalutis, & vitæ porrigerent alimenta, ſicque Eccleſia ab unitate, nec mari, nec terrarum ſpatio diſiuncta, pia Incolarum communicatione, & Pignorum ſucceſſione oſtenderetur ſociata. Hoc itaque Reginæ præpotentis edoctus oraculo, divinitus inſpiratus Prior, annuit, ædificandis in Regionibus propriis Monaſteria Sacræ Religionis diviniſſimæ Mariæ licentiam ejs impartiens; retenta adhuc ſecum firmiorum Fratrum, qui animas quotidiè ponere parati forent, multitudine copioſa.* Ex his curioſo, ac benevolo Lectori declaratum remanet quomodò, & quo tempore Carmelitarum Ordo ex Oriente ad Occiduas traductus fuerit par-

tes

Digitized by Google

tet. Hoc idem Trithemius lib. de Ord. Carmel. & accuratus ille, & devotus chronographus Wernecus Rolevinck Carthuſienſis deplorandam illam originalis, & primarii Monaſterii hujus Religionis in Monte Carmelo deſtructionem in faſciculo temporum circa annum 1291. ſic paucis cōmemorat: *Nobiliſſima Civitas Acconenſis à Saracenis deſtruitur, ac demū Deifera Mariæ Monaſteriū in Carmelo ad quatuor millaria Civitati vicinū ab eis igne crematur, Fratribus inventis in eo perfidorū gladiis trucidatis, & tunc (proh dolor!) Ordo Carmeliticus mellifluū locum ex toto perdidit, in quo à tempore Eliæ, & Eliſei Prophetarum duobus millibus ducentis viginti, & uno annis perſtiterant*. Ex quibus verbis ſatis apertè conſtat Carmeli Montem tot ſœculorum ſpatio continuè abſque ulla prorſus interruptione loci à Carmelitis fuiſſe habitatum, retentum, ac excultum, ſæpè ſæpiùs ab Infidelium incurſu divina providentia liberatum, licèt nūnc (proh dolor!) ingraveſcente Turcharum impetu, ac Tyramnide amiſſum, & deperditū, imperſcrutabili judicio Dei, ut ait Paulus ad Rom. 11. *O altitudo divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei, quā incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* Et ne Carmeli Germina, ac Floſculi, virique religioſi Eliæ, & Eliſei veſtigiis inherentes in hac Barbarorum crudelitate totaliter perirent, Deipara Virgo, ac Carmelitarum Mater præmonuit ſui prędilecti Inſtituti Superiores, quatenùs annuerent illos ad Occiduas permeare partes, ut univerſo Orbi, & præcipuè Europæ ſalutis remedia, & vitæ alimenta porrigerēt, ut legitur in officio commemorationis ſollemnis lectione quinta circa finem, ſequentibus verbis: *Cum olim in Europa Ordo eſſet ignotus, & ob id apud Honorium III. non pauci pro illius extinctione inſtarent, adſtitit Honorio noctu puriſſima Virgo Maria, pleneque juſſit, ut Inſtitutum, & homines benignè complecteretur*. Ex quibus patet, Deiparam Virginē ſuorum Filiorum exitum à Carmeli Monte prævidentem, poſtea Honorio III. D. Petri Sedem occupanti, imperaſſe, ut hanc ſuam Religionem, & inſtitutum per Eliam in Carmeli Monte inchoatum ſuſciperet, ac amplecteretur, in finem uſque ſœculi in Europa perſeveraturum.

CXLVI. Eodem ſœculo anno ſcilicèt 1387. in Capitulo Generali in Cōventu Montis Peſulani cęlebrato, dimiſerunt Carmelitæ pallia, ſeu Cappas ſuas barratas, quibus uſi fuerant per ſexcentos, & quadraginta octo annos, ab anno ſcilicet 639. vel 642. quando tempore perſecutionis Humar Regis Arabiæ, coacti fuerunt album quem deferebant Pallium dimittere; & purè album, ut antea, ſuorum priſcorū Fundatorum more, reaſſumpſerunt. Ut conſtat ex actis Capituli in Archivio dicti Conventus Montis Peſulani reſervatis, ut nuper audivimus ab ejuſdem Conventus Religioſis Patribus. Id tamen factū non ſine auctoritate Apoſtolica, utpotè ex Indulto Bonifacii VIII. (cujus tamen executio nonnullis contradictoribus inſurgentibus ad annos plurimos dilata fuit) & per ejus Bullam ad inſtantiam Religioſorum noſtrorum datam ſeptimo kalend. Decemb. anni 1295. quæ Bulla extat in Spec. Ordinis fol. 70. pag. 2. & in tom. 2. Bullarii Laertii Cherubini inter Bullas Bonifacii VIII. cujus etiam meminit Palæonidorus lib. 3. c. 10. Accedat deniq; concors Præſulum Cœtus, qui Summo Pontifici duas direxere Epiſtolas, quibus innuebant, ut Carmelitis eo tempore in Terra Sancta ob rerum penuriam, & varias calamitates afflictis, aliquo ſpirituali, ac temporali ſuccurreret, ac ſubveniret ſubſidio; quarum prima eſt: *Beatiſſimo in Chriſto Patri, &c. Nicoſſienſis Archiepiſcopus, ſcilicet Epiſcopus Ebronenſis, Venerabilis Patris Dom. Patriarchæ Jeroſolymitani Vicarius, Guillelmus Thiberiadēſis Epiſcopus, cujus ad Deum Oratores aſſidui devota pedum oſcula beatorum, & cum Terræ Sanctæ recommendatione ſeipſos*. Et infra: *Credimus enim Vos non ignorare Pater Sancte, qualiter Ordo Fratrum B. Mariæ Ordinis de Monte*

te, Carmelo ; qui inter cæteras Sacras Religiones Apoſtolicæ Sedi devotas claret devotione conſpicua , fuit in Ciſmarinis partibus à tempore , cujus non extat memoria , à prædictis Patribus in ejuſdem Terræ S. Solatium inſtitutus , cujus aliis longè , lateque poſtmodum opitulatione divina extenſis , Fratres ejuſdem Ordinis ſubventioni ejuſdem Terrę Sanctæ devotione penè ineffabili devoventes , quæ manus pietatis ſubminiſtrabat eiſdem , tenui particula pro ſuis ſupportandis neceſſitatibus retenta , fratribus domorum ſuarum præmiſſarum partium miniſtrabant devotius in ſæpè dictæ Terrę ſubſidium convertenda . Terminatur Epiſtola : datum Acon ann. Domini 1272. Menſis Septembris . In hoc ſuo ſcripto affirmabant Paſtores iſti primi prædictum Ordinem illis partibus à tempore cujus non erat tunc eis memoria à Sanctis Patribus inſtitutum. Et correſpondenter eis Magiſter Hoſpitalis S. Joannis cum Magiſtro Militiæ templi in ſua Epiſtola Summo pariter Pontifici Sanctiſſimo, inquiunt *Frater Nicolaus Lorginus Domus hoſpitalis Sancti Joannis Jeroſolymitani Magiſter , & Pauperum Chriſti Cuſtos : ac Frater Guillelmus de Bello loco , Pauperis militiæ templi Magiſter humilis , cum ſupplici Terræ Sanctæ recommendatione devota pedum oſcula Sanctorum . Sedentes ſuper flumina Babylonis , flere amarè , proh dolor , compellimur ; dum Terram illam quaſi factam naufragam conſpicimus jugi perſecutionis infligi ſagittis , & validis fluctuum impulſibus agitari , quam ejus beavit præſentia , qui in ea pro Redemptione humani Generis immolatus manibus tradi non dubitavit nocentium , & Crucis amaritudinem guſtare .* Et infrà : *Invenimus ſiquidem in noſtrę memoriæ tabula exaratum, quod Ordo Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo in Ciſmarinis partibus à tẽpore , quo memoria non exiſtit à Sanctis Patribus in ejuſdem Terrę Sanctę ſolatium extitit inſtitutus, &c. ſcriptum. Acon duodecima die mẽſis Julii* 1284. Ex quibus evidenter conſtat Carmelitarũ Ordinem ibi tot ac tantis ſæculis antea viguiſſe , talitèr quod illius initium ob antiquitatem aſſignari non potuerit . Nam cum in Epiſcoporum , aut Eccleſiarum Archiviis , nulla tunc de Carmelitarum Ordinis inchoatione ſcirentur monumenta , qualia indubiè fuiſſent , ſi Ordo demum poſt recuperatam Terram Sanctam circa annum 1100. fuiſſet inchoatus ab Aymerico in Bertholdo primo Generali latino , vel à Beato Alberto tempore Brocardi illius Succeſſoris , vel ab Innocentio III. in Concilio Lateranenſi , vel Lugdunenſi, in quo hoc ſecundo fit memoria in explicatione capitis: *Nimia de Religioſis Dominibus* . Ubi hæc leguntur: *Eremitarum verò S. Auguſtini , necnon Carmelitarum , volumus in ſolido ſtatu permanere* . Moraliter igitur certum videtur , dictos Terræ Sanctę Prælatos recognoviſſe Carmelitarum Ordinem multis ante ſæculis ibi fuiſſe inſtitutum , & plenè formatum , utpotè affirmant viguiſſe à tempore , quo eis non erat memoria , à Sanctis Patribus inſtitutum .

CXLVII. Paritèr quod Carmelitarum Ordo in veteri teſtamento à Magno Propheta Elia inſtitutus fuerit , ac hucuſque perſeveraverit , oſtenditur etiam ex quadam viſione , quam Joannes XXII. Cathedram Petri occupans , habere meruit circa annum 1316. in quo Virgo Deipara Carmelitico induta habitu apparens , commendavit: *Ordinem Carmelitarum per Eliam , & Eliſeum in Monte Carmelo inchoatum* . Quibus verbis apertè indicavit , ac revelavit Carmelitarum Ordinem in veteri teſtamento fuiſſe inſtitutum . Hancque revelationem ſuo inſeruit Privilegio Carmelitis conceſſo , quod Vulgo dicitur Sabbathinum , quod diverſi Pontifices motu proprio , & ex certa ſcientia confirmarunt , videlicet Alexander V. ſua bulla , quæ incipit : *Tenore cujuſdam privilegii Fel. record. Joannis XXII. prædeceſſoris noſtri , dilectis Filiis Priori Generali , & Fratribus , & dilectis filiabus Sororibus , & Confratribus , Confratriæ Fratrum dicti*

Ordi-

Digitized by Google

Ordinis Carmelitarum conceſſi , per Nos viſi , & diligenter inſpecti de dicto Originali ſumpto , ut de ipſo impoſterum certitudo plenior habeatur, præſentibus fecimus adnotari qui eſt talis: Joãnes Epiſcopus Servus Servorum Dei &c. Et poſt dictum Joannis privilegium verbotenus relatum ſubdit hic Summus Pontifex: *Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ Indulgentię , ſeu Statuti , & ordinationis irritare , vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit , indignationem Omnipotentis Dei , ac Beatorum Apoſtolorum Petri , & Pauli ſe noverit incurſurum .* Quæ clauſula facit , ut contraveniẽtes peccent mortaliter: Incurrantque pęnam arbitrariam , ut docet Peyrinis , Sayrus , & alii apud Lezzanam in *Summa* verbo *Clauſula* nu.3. & Barboſa *clauſula* 91. Item Clemens VII. duplici diplomate , cujus initium eſt : *Ex Clementi* , in quo ſequentia leguntur: *Nos igitur Joannis , & Alexandri , & aliorum litteras , ac per eoſdem Prędeceſſores omnia , & ſingula privilegia &c. Ordini Carmelitarum conceſſa , quorum omnium tenores preſentibus pro ſufficienter expreſſis , & inſertis haberi volentes , authoritate Apoſtolica tenore preſentium approbamus , & innovamus , ac perpetuę firmitatis robur obtinere , & inviolabiliter obſervari &c. decernimus.* Item Paulus III. idem privilegiũ confirmavit una ſimul cum Diplomate Clementis VII. Prædeceſſoris ſui ; ejus bulla , quæ incipit: *Proviſionis noſtræ* . In qua legitur : *Nos tenorem quarundam litterarum fęlicis recordationis Clementis Papæ Prædeceſſoris noſtri , in regiſtro ipſius Prædeceſſoris comperto , &c.* & poſt integrè deſcriptum ſubdit: *Cæterum , ut earundem tenor litterarum hic inſertus omnimodam rei , ſeu facti certitudinem faciat , authoritate noſtra decernimus , ut illud idem robur , eandem vim , eundemque vigorem dictus tenor habęat , quæ haberent originales litteræ ſupradicta , ac eadem prorſus eidem tenori fides adhibeatur.* Item Pius V. in ſua Bulla cujus initium eſt: *Superna diſpoſitione* . Item Gregorius XIII. in bulla: *Ut laudes* data 1577. noviſſimè Clemens X. in Bulla : *Commiſſa nobis* , ſummariè refert Bullas Joannis XXII. Alexandri V. & Clementis VII. jiſdem verbis , quibus ſupra Gregorius XIII. illas retulit . Et tandem aliorum Pontificum citatis bullis ſubdit : *Summarium prainſertum , omniaq; , & ſingula in eo contenta , Authoritate Apoſtolica tenore preſentium approbamus , & confirmamus , illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus .*

CXLVIII. Idipſum quoque revelatum eſt S. Petro-Thomæ : Cum enim in gravi quadam Ordinis afflictione circa annum Chriſti 1351. Sanctus Vir piis , & ardentibus precibus ipſa nocte Pentecoſtes à Deipara Matre Patrocinium , ac ſuæ Religionis imploraret auxilium , ab eadem hoc mirabili , & ſummæ conſolationis dignatus fuit reſponſo : *Confidito Petre Religio enim Carmelitarum in finem uſque ſæculi eſt perſeveratura , Elias namque* (nota) *ejus Inſtitutor jam olim etiam à Filio meo id impetravit* . Ut in ejus officio à S. R. Cong. approbato legitur . En iterũ à D. Virgine revelatum Ordinem Carmelitarum inchoatum , ac inſtitutum eſſe ab Elia Propheta in veteri teſtamento . Hujus ètiam apparitionis , & reſponſi à Deipara recepti de verbo ad verbum legitur in ejus officio ad diem vigeſimam nonam Januarii ab Eccleſia approbato ; & teſtimonium perhibet etiam Vir ſingulari doctrina , & pietate inſignis Joannes Hildesheimenſis S. Petri-Thomæ diſcipulus , ac teſtis auricularis , ſic illam in ſuo defenſorio referens cap. 5. *Cum more ſolito , coram ipſo* (ſcilicet Petro-Thoma) *dormirem , in ſancta nocte Pentecoſtes , vocibus dulcibus , & miris motibus expergefactus , repentè ſurrexi .... petii tunc ab eo quid habuiſſet , ipſe vero noluit indicare mihi . Multiplicavi praces flexis genibus , & tandem vix obtinui , pramiſſo tamen juramento , quod non revelarem quamdiù foret ipſe ſuperſtes , tunc dixit , &c.* Et expoſuit apparı-

Digitized by Google

paritionem ſupra relatam. Imò cum hæc Petri Thomæ apparitio percælebri Lucæ Wadingho Seraphici Ordinis hiſtorico dubia eſſet; exiſtimabat enim conſimile privilegium fuiſſe conceſſum Petro Theutonico Præſuli meritiſſimo, ideò in reviſione, & approbatione Sanctorum Ordinis noſtri à S. R. Cong. cujus ipſe Lucas Wadinghus Conſultor erat, ſuſpenſa fuit reimpreſſio Breviarii Ordinis noſtri, donec præfatæ revelationis veritas erueretur; ſpecialibuſque ab hujus Religionis Alumnis porrectis ſuperno Numini, Deiparæque Virgini præcibus, rigoroſiſſimiſq; Jejuniis ſubipſis præſcriptis, facta in Vaticano omnimoda diligentia, & Bullis examinatis, compertum fuit, verè talem revelationem factam fuiſſe Sancto Petro-Thomæ Carmelitici Inſtituti jubari ſingulari, & non Petro Theutonico S. Patris Franciſci Filio. Quocirca relatus eximius Lucas Wadinghus ſpeciali aliqua devotione erga hunc Sanctum ſe dicavit, in ejuſque obſequium vitam compoſuit, & officium cum ſua oratione, quorum omniũ teſtimonio extant particulares Bullæ pro hoc Sancto conceſſæ, quæ in Archivio S. Mariæ Tranſpontinæ ſervantur.

CXLIX. Hanc pariter S. Petri-Thomæ Revelationem adducit Hjeronymus, à Baſilica Petri Congreg. Oratorii, ex Philippo Mazzerio in lib. cui titulus *Effemeridi Sacra* ſub die 29. Jan. in Vita ejuſdem n. 20. ſequẽtibus Verbis; *Di S. Pietro-Tomaſio ſtà ſcritto, che nel tempo che ſi trovò in Bologna per la pace che compoſe fra il Papa, & il Duca di Milano, una notte al ſolito rimaſto in Choro doppo il Matutino à priegare la ſua gran Protettrice la Madre di Dio, che difendeſſe l'Ordine Carmelitano per la deſtruttione del quale alcuni ſi affaticavano appreſſo il Sommo Pontefice, fù preſo da certa ſonnolenza nella quale gli apparve la Grande Signora, e conſolãdolo li diſſe: Non temere Pietro di queſto, perche Iddio hà determinato, che l'Ordine Carmelitano duri ſino al fine del Mondo, del che ne fù il mio Figliuolo anche pregato da S. Elia primo Inſtitutore dell'Ordine nel giorno, che ſi trasfigurò ſopra il Monte Taborre.*

CL. Huic Petri Thomæ revelationi nonnullas alias adjungere non omittimus ſatis mirabiles, & propoſito noſtro accomodas, quarum duas Seraphica S. Mater Thereſia in libro fundationum cap. 25. adducit. Extraordinariã enim deſcribens Venerabilis Beatricis à Matre Dei, primæ in Monaſterio Hyſpalenſi Novitiæ vocationem, refert quod huic Virgini quidam Venerabilis apparuit ſenex barba oblonga, capillis veluti argenteis, & indutus habitu Carmelitano. Interrogata poſtea prædicta Virgo, quis eſſet ille ſenex. Reſpondit fuiſſe *Patrem noſtrum Eliam*, prout refert Franciſcus à S. Maria tom. 2. de reformatione lib. 3. cap. 38. n. 8. Et cap. 17. deſcribens admirabilem, & aſperrimam Vitam Venerabilis Catharinæ de Cardona, cui Chriſtus Dominus prius monſtravit habitum Carmelitanum, cuique (ut refert laudatus Franciſcus lib. 4. c. 15. n. 4.) apparuit Magnus Elias illo habitu indutus, quæ poſtea ſolita fuit dicere: *Vidi in carne, & oſſibus Patrem noſtrum Eliam*, prout graviſſimi Viri ſub juramento juridicè depoſuerunt. Accedit quod V. Mater Anna à S. Bartholomæo, quæ ut Superiorum præceptis obtemperaret ſuam deſcripſit vitam utpotè Sanctiſſimam, prout toti innoteſcit Belgio, cap. 24. teſtatur ſe vidiſſe *Patrem noſtrum Eliam* extendentem ſuper Conventum Valliſoletanum eo tempore quo ibidem Diſcalceatorum cælebrabatur capitulum, pallium ſuum in ſignum ſingularis protectionis cujus fœlix, & optatus ſucceſſus ſingularis Sancti Patris protectionis ſignum fuit. Nec

minus

Digitized by Google

minus mirabile eſt, quod refert Dorotheus à S. Renato lib. 2. in Apocal. q. 10. ſec. 3. nimirum quod cum Hæretici Angli anno 1580. conarentur deſtruere Conventum Carmelitarum Meclinienſem, S. Eliæ peculiariter dicatum, & conſecratum, apparuit ſupra Conventũ quidam Senex Carmelitarum Habitu indutus, gladium diſtringens contra Hæreticos, qui terrore concuſſi ſtatim à Conventu receſſerunt, & omnium vox illico fuit Venerabilem Senem illum fuiſſe S. Eliam, qui Conventum ſpecialiter ſibi dedicatum, ac filios in eo commorantes protegebat. His ſimilia ſcribit Ludovicus Canitellus Patritius Cremonenſis in Annalibus ſuę Patriæ fol. 402. Similiter in vita V. Matris Franciſcæ à Sanctiſſimo Sacramento Carmelitanæ excalceatæ compoſita per Dominum Michaelem Lanuzza conſiliarium S. M. Catholicæ, & approbata per Epiſcopum Segovienſem, & decem Theologos lib. 3. c. 2. n. 9. & cap. 3. n. 32. refertur quod die 20. Julii annis 1627. 1628. 1629. (quo cælebratur feſtum S. Elię) ipſe cum S. Thereſia apparuerit iſti Moniali, Divaque Tereſia inter cętera dixerit S. Eliæ: *Pater mi ecce noſtram Filiam*; Cui S. Propheta cum magni affectus demonſtratione, benedictionem impertivit.

CLI. Conducit pariter ad intentum, Eliam ſcilicet Carmelitici inſtituti Fundatorem, Auctorem, ac Patriarcham fuiſſe, dictum illud ſæpius repetitum à Seraphica Thereſia Hyſpaniarum Sanctitatis Sydere ſplendidiſſimo, quo Filias ſuas adhortabatur, ne ab earum inſtituti obſervantia recederent, divino inſtinctu, & revelatione ſpeciali ſuadens illas: *Semper oculos coniicere in ſtyrpem, & propaginem Sanctorum illorum Prophetarum Eliæ, & Eliſei, à quibus deſcendimus*. Sicut, & pariter raptus S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, quem promeruit in vigilia S. Auguſtini obtinere, in quo ſic Verbum allocuta fuit æternũ: *Tuus ſervus, & meus advocatus Auguſtinus te vocat antiquam, & novam veritatem. Id ipſe dixit de Te: ſed ita dicam de ipſa mea ſancta Regula* (nota) *eſt quippè mihi veritas, quia praſcribit mihi modum perveniendi ad te veritatem infallibilem. Eſt antiqua, quia fuit facta, & ordinata ſub lege antiqua* (nota) *ante tuam Incarnationem: & quamvis nondum veneras in Mundum, nihilominus iſti antiqui Patres vivebant in magna perfectione, illam magna cum exactitudine ſervantes. Eſt etiam nova, quia poſt tuum adventum fuit obſervata cum perfectione, & rigore, & adhuc in hoc ſęculo reperiuntur, qui eam magna cum rectitudine, & ſimplicitate cuſtodiunt*: ità in vita S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis. Ex his enim clarè conſtat antiquum Carmelitarum Ordinem in lege veteri à magno Propheta Elia ſumpſiſſe originem, hujuſque inſtituti verum Patrem eſſe, ac Patriarcham.

CLII. Maximè etiam ad intentum conducit ſummorum Pontificum authoritas, qui ſuis Diplomatibus expreſsè aſſerunt Carmelitarum Ordinẽ ab Elia Propheta, tamquam Fundatore, & Inſtitutore in Monte Carmelo inchoatum eſſe, & ab eodem illos hæreditariam tenere Succeſſionem, quorum ſingulorum Pontificum verba referre non omittimus. Sixtus enim IV. in bulla cujus initium eſt: *Dum attenta meditatione*, clariſſimis innuit verbis Carmelitas ſpiritualiter deſcendere ab Elia Propheta tamquam Inſtitutore, & Fundatore dum dicit illos: *Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Eliſei, & aliorum Patrum, qui Montem Carmeli juxta Eliæ fontem inhabitarunt ſucceſſionem hæreditariam tenentes &c.* Eadẽ ferè verba in ſuis bullis habent Joannes XXII. Julius II. Pius V. Gregorius XIII. Sixtus V. & Clemens VIII. in quibus aſſerunt Carmelitas eſſe hæredes, & ſucceſſores Eliæ, non quidem quoad bona aliqua temporalia, aut locum materialẽ Carmeli Montis; Sed quoad normam Vitæ Religioſæ, ut ex titulo, quem Pontifices immediatè præmittunt: *Tamquam Religionis ſpeculum, & exemplar* clarè patet. Joannes XXII. in Diplomate quod incipit: *Sacratiſſimo uti culmine*. Sic ait: *Mihi flexis genibus*

Vir-

Digitized by Google

Virgo viſa fuit Carmelitana, ſequentem effata ſermonem. " *Joannes ò Joannes, Vicarie dilecti filii mei &c. iſtam gratiam, & amplam meo Sãcto, & devoto Carmelitarum Ordini confirmationem debes præconcedere per Eliam, & Eliſeum in Mõte Carmeli inchoato.* Quid clarius pro Carmelitarum Ordinis inchoatione, ac inſtitutione à Propheta Elia in Monte Carmelo? Hanc Bullam Alexander V. ſuæ Bullæ, quæ incipit: *Tenore cujuſdam* integram inſeruit, & confirmavit, prout patet ex dictis. Innocentius VIII. in Bulla privilegiorum Ordinis noſtri confirmatoria data anno 1484. tertio kalend. Februarii, & Julius II. in Bulla. *Ad Sacrum Ordinem* data anno 1504. duodecimo kalen. Maii, quæ habetur in dicto Ordinis Bullario anno 1507. impreſſo, ubi hic Pontifex præfatam Sixti IV. Bullã, quo ad omnia, & ſingula confirmat, inter alia ad noſtrum intentum ſequentia habet: *Ordinem B. ſemper Virginis Marię de Monte Carmelo, ejuſquè Profeſſores, Sanctorum Prophetarum Elię, Eliſei, & Enoch* (intellige Amatin) *necnon Sanctorum aliorum Patrum, qui Montem Sanctum Carmeli juxtà Elię fontem habitarunt ſucceſſionem hereditariam tenere, &c.* Ubi benè notanda ſunt hæc verba *Elię, ac Eliſei hereditariam ſucceſſionem tenere.* Quibus ſatis evidenter indicant Pontifices, ſe cenſuiſſe Carmelitas, quoad vitæ monaſticæ normam à Propheta Elia tamquam Fundatore, & Inſtitutore ſpiritualiter deſcendere. Clemens vero VIII. non ſolum in Bulla *Dominici Gregis*, Eliam Prophetam Carmelitarum vocat *Patrem, & Auctorem,* verum etiam illorum inſtituti aſſerit, eſſe Auctorem in litteris ad Regem Perſarum datis Romæ die 5. Octobris anno 1604. ubi ſic habet: *Miſimus jam ad te Paulum-Simonem, Joannem-Thadeum, & Vincentium, Fratres Ordinis B. Marię de Monte Carmelo.* Et infra: *Habuerunt olim Religionis hujus Profeſſores, ſicut à Romanis Pontificibus predeceſſoribus noſtris memoria proditũ eſt, ſui Inſtituti auctores, Sanctos Prophetas Eliam, & Eliſeum, omnibus nationibus, & Gentibus notos.* Ex cujus teſtimonio evidenter conſtat claram, & apertam fuiſſe Summorum Pontificum Prædeceſſorum mentem, & non ut aliqui aſſerere præſumunt, à Generalibus Ordinis cum ambiguitate, & ambagibus propoſitam, utpotè motu proprio & ex certa ſciẽtia decernentium; Eliam ſcilicèt Prophetam quo ad vitam monaſticã Carmelitarum Auctorem eſſe, ac Inſtitutorem. Accedit, quod varii Pontifices Ordinis Carmelitarum Breviarium approbaverint, & Sanctorum Ordinis ejuſdem, in illo contenta officia, inter quæ ſunt officia Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Eliſei, veluti Carmelitani Ordinis Fundatorum. Sixtus V. in Bulla cujus initium eſt: *Eximium quod à Nobis*, pro Patribus noſtris Diſcalceatis, approbans Sanctorum Ordinis Carmelitani officia, inter quæ reperitur officium S. Eliæ, quem Carmelitæ ut ſuum Fũdatorem, & Inſtitutorem ſemper coluerũt, ſatis clarè inſinuat, ſe approbare, & confirmare piam illam in Ordine Carmelitano conſuetudinem cœlebrandi feſtum, ſeu Officium S. Eliæ à multis ſœculis, conformiter ad Bullam Gregorii XIII. & ex Bulla Pii V. 96. §. 4. qui noſtrum approbarunt Breviarium, in quibus patet viguiſſe à multis ſœculis ex illis verbis Pii V. aſſerentis: *Quia vetus jam viget in veſtro Ordine laudabilis conſuetudo dies feſtos in honorem B. Marię, & quorumdam Sanctorum ſollemniter cælebrandi &c.* Nec refert, quod Pontifex illa narrativè tantum dicere videatur, & quidem ſuper facto alieno: quia in antiquis narrativa, ſeu enunciativa Papæ etiam in facto alieno plenè probat, prout demonſtrat Fr. Jacobus à S. Antonio in Append. conſult. nu. 52. ex Auctoribus, quos ibi citat. Ex quibus omnibus patet Summos Pontifices in ſuis Bullis expreſsè affirmare, & approbare magnum Prophetam Eliam Carmelitici Ordinis Auctorem, & Fundatorem eſſe. Et quamvis hoc nõ aſſerant ex Cathedra definiendo, quaſi fide divina credendum ſit, tamen

men

Digitized by Google

men tantam inter limites humani teſtimonii pro credibilate alicujus humanæ hiſtoriæ faciunt certitudinem moralem, ut attenta ſumma vigilantia, & induſtria, quam ſolet adhibere Sedes Apoſtolica antequam ſimiles hiſtorias recipiat, & approbet, nulla major dari poſſit; ut doctè advertit percelebris Carthagena to.3. lib.17. hom. 2. ad obiectionem quintam, ubi ſic: *Quamvis autem prędictorum Pontificum teſtimonia non id tradant tamquam rem de fide divina credendam, infra tamen limites humani teſtimonii nullum majus, aut firmius proferri poteſt, quam tot Summorum Pontificum teſtificatio.*

CLIII. Permaximè etiam ad noſtrum intentum conducunt Hiſtoriæ, ac Eccleſiaſtica officia, quæ in Carmelitico Breviario à Sacr. Rit. Congr. ſępius approbato, & à Summis Pontificibus confirmato diſſeminata conſpiciuntur. In primis in officio S. Eliæ quod ſpecialiter jam conceſſerat Sixtus V. anno 1589. in relata Bulla: *Eximium quod a nobis*: Sanctiſſimus Propheta vocatur Ordinis Carmelitarum: *Dux, Pater, & Auctor*. Et concedentibus Innocentio X. Alexandro VII. & Clemente X. dicimus in Collecta tam Miſſæ, quam Officii canonici. *Præſta quæſumus Omnipotens Deus, ut ſicut B. Eliam Prophetam tuum, & Patrem noſtrum &c.* & in Hymno pro primis veſperis canimus: *Hic Sacri eſt Ductor, columen, decuſque Ordinis noſtri*. Deindè *O Pater ſalve, placidus tuoſque excipe Alumnos*. Et in Hymno ad laudes: *Hilares nam decet hoc die noſtri nos memores Ducis*. Et infra: *Nos numquã auxilium deſtituat Pater*. Et in Hymno ad ſecundas Veſperas: *Ordinis noſtri Columen*. Et in officio S. Angeli Martyris in quinta lectione ſic legitur: *Inſignem Sanctitatis Virum, Patribuſque ſuis Eliæ, & Eliſeo perſimilem, miraculis Deus ſimilibus illuſtravit*. Iterumq; in Reſponſorio quarto ſpeciatim exprimitur: *Inſtar Patris ſui Eliæ*. Item in officio omnium Sanctorum Ordinis, in primo Reſponſorio: *Sancte Propheta Dei Elia Carmelitarum Dux, & Pater intercede pro noſtra omniumque ſalute, &c.* In officio S. Avertani in quinta lectione ſic dicitur: *Sibi Chriſtum, & magnum Eliã Prophetam ſui Ordinis Fundatorem in exemplar Paupertatis propoſuerat, &c.* Item in collecta S. Spiridionis ſic legimus: *Sancti Spiridionis Confeſſoris tui, atque Pontificis nos feſta tueantur, ut ſicut ille Religionis à Propheta Elia inſtituta orationibus, & operibus, &c.* Deindè in officio S. Dionifii Papæ, quem Carmelitæ inter Ordinis ſui ſanctos colunt, in quarta lectione ſic dicitur: *Dionifius imitatus Sanctiſſimos illos Monaſtici Inſtituti Duces, qui ædificabant ſibi Caſulas juxta fluenta Jordanis.* Quod vero Duces illi fuerint Eliæ, & Eliſei Diſcipuli conſtat ex 4. Reg. c. 6. Denique in officio S. Petri-Thomæ in quinta lectione in qua legitur ſuprarelata revelatio, quam habere promeruit à Deipara Virgine iteratò à Sac. Rit. Congreg. approbata, ſequentia leguntur: *Elias namquè ejus Inſtitutor jam olim à Filio meo id impetravit*. Hæc omnia ſi maturè cõſiderentur, cenſemus omni pio, ac docto Catholico ſufficere poſſe, ut humana fide, piè, ac fideliter credere valeat Carmelitas nullum alium habere Fundatorem, & Inſtitutorem, quam Magnum Prophetam Eliam. Ut autem antiquiſſima illorum Origo, continuatio, ac propagatio expreſſius conſtet, iterum adducere non omittimus ea quæ in quarta officii Cõmemorationis ſollemnis lectione à Sac. Rit. Cong. examinati, ac approbati leguntur, videlicet: *Cum Sacra Pentecoſtes die Apoſtoli cœlitus afflati variis linguis loquerentur, & invocato Auguſtiſſimo Jeſu Nomine mira multa patrarent; Viri plurimi qui veſtigiis Eliæ, & Eliſei inſtiterant, & Joannis Baptiſtæ præconio ad Chriſti Adventum comparati fuerant, rerum veritate perſpecta, atque probata, evangelicam fidem confeſtim amplexati ſunt, ac peculiari quodam affectu Beatiſſimam Virginem*

(cujus

(*cujus colloquiis, ac familiaritate feliciter frui potuere*) *adeo venerari cœperunt, ut primi omnium in eo Montis Carmeli loco, ubi Elias olim aſcendentem Nubeculam Virginis Typo inſignem conſpexerat, eidem puriſſimæ Virgini Sacellum conſtruxerint*: Ex quibus omnibus patet Magnũ Prophetam Eliam etiam ad Mentem Eminentiſſimorum Dominorum S. Rit. Cong. Cardinalium, Carmelitici inſtituti *Patrem* eſſe, *Auctorem*, & *Fundatorem*. Quantam autem Breviaria, & Officia divina cum hiſtoriis, quas continet, à Sede Apoſtolica approbata, habeant auctoritatẽ, quiſquis facile aſſequetur, qui noverit ſummam vigilantiam, & induſtriam, quam Eminentiſſimi Domini S. Cong. Cardinales huic negotio incumbentes in illis recognoſcendis, ac approbandis adhibere ſolent. Nihil enim in hac parte concedunt, niſi maturo prævio examine, productiſque ſolidis, & authenticis monumentis, auditiſque, aut conſultis deſuper Viris gravibus, antiquitatis peritiſſimis, ut contigit ſupra ex revelatione B. Virg. D. Petro-Thomæ facta. Undè Sacra Rota Romana in una Deciſiono Cæſarauguſtana coram Domino Coccino anno 1630. merito dixit: *Hiſtorias contentas in Breviario approbato, cenſeri ab Eccleſia Canonizatas*. Et Sac. Cardinalium Congregatio anno 1618. die. 14. declaravit, quod: *Hiſtoriæ quæ in Breviario per Sanctam Sedem Apoſtolicam approbato recitantur, ut maximè veræ ab Eccleſia venerantur*; prout refert Sylveira opuſc. 3. reſol. 3. q. 1. n. 4.

CLIII. Itidem cum Martyrologia, & Kalendaria, quæ ſunt Sanctorum officiorum, & eorumdem hiſtoriarum veluti Brevia compendia in veneratione haberi ſoleant, infirmam in Ordine ad noſtrum intentum neutiquam ſortiri debent auctoritatem, cum permaxima ſortiantur in Eccleſia. Quocirca cum in illis Magnus Propheta Elias, *Dux*, *Pater*, *&* *Inſtitutor* Carmelitici Ordinis nuncupetur, multum intento noſtro addent roboris. In primis ad diem 20. Julii in Martyrologio Romano dicitur: *In Monte Carmelo S. Prophetæ Eliæ*. Ubi benè notat Daniel à Virgine Maria in ſpec. Carmel. tom. 2. par. 4. n. 2000. ibi dici in Monte Carmelo; non quod raptus in Cœlum ſeu translatio in Paradiſum ibi facta ſit; ſed quod ibi S. Elias cum ſuis Diſcipulis Prophetarum Filiis conſueverint habitare, & vitam agere monaſticam, prout ibidem pleniùs declarat. Antiquum autẽ Ordinis Martyrologium ad 18. kal. Julias ſic habet: *Raptus magni Eliæ Prophetæ, Carmelitanæque Religionis Patriarchæ*. Et Martyrologium, quod modo in Ordine legitur inſertum Cęremoniali ad diem 20. Julii ſic habet: *In Monte Carmelo S. Patris Eliæ magni Sacerdotis, & Prophetæ Dei, primi ſolitudinis Incolæ, totius perfectionis monaſticæ Patris*. Deindè Andreas Suaſay Vir doctiſſimus, & Epiſcopus Tullenſis in Martyrologio Gallico die 20. Julii, ſic dicit: *Raptus Eliæ Prophetæ Ordinis Carmelitarũ Inſtitutoris hodiè ſollemnis eſt in univerſo Ordine*. Item Ægyptium Martyrologium ad diem ſextam menſis Tubæ ſic habet: *Elias Propheta fuit primus in veteri lege, qui deſerta incoluit, & monaſticam in montibus egit vitam*: De quo Martyrologio plura videri poterunt apud Lezzanam tom. 1. annal. in apparatu cap. 5. num. 1. quæ Joannes Molanus in Auctuario ad Uſuardi Martyrologium ad 15. kalend. Julii corroborat dicens: *Raptus in Cœlum S. Eliæ Prophetæ Domini, & Carmelitanæ Religionis Patriarchæ; qui tantam coram Domino invenit gratiam ut verbo clauderet, & aperiret Cęlum*. Quantæ autem auctoritatis cenſendus ſit Doctor ille Joannes Molanus, & iſtud ejus martyrologium, ſeù Auctuarium habetur ex Eminentiſſimi Baronii teſtimonio, qui in præludiis ad Martyrologium Romanum cap. 9. int cętera illius encomia, ingenuè fatetur: *Molanum ſibi in difficillimo opere Martyrologii Romani adornandi, & notationibus illuſtrandi, ducem fuiſſe &c.*

CLV. Nec pro intento noſtro omittenda eſt cõtinua, & antiquiſſima Carmeli-

meliticici Ordinis traditio ; quia licèt nullus teſtis eſſe poſſit in propria cauſa, conſtans tamen, & certa eſt ſententia, quemlibet de aliqua Communitate teſtem admitti debere, & fidem facere, quando non agitur de eorum particulari commodo, ut communiter tradunt Doctores in cap. *Inſuper*, cap. *cum Nuncius de teſtibus*. Quod à fortiori verificatur in Religioſis circa ſuarum Religionum cauſas: Quia nulli alii magis compertas habere poſſunt res ſuæ Religionis, & Communitatis, quam ipſi, maximè dum ad factum pertinent, prout etiam communiter tradunt Doctores locis citatis, & in cap. *tertio loco de probationibus*, & cap. *veniens* 2. *de Teſtibus*, *&* *de Jurejurando* cap. *&* *ſi Chriſtus* prout docet noſter Reſolutus Doctor tom. 4. in lib. Sententiarum. Et quodlib. 3. q. 3. art. 2. inquiens: *In rebus ad proprium Inſtitutum ſpectantibus reputantur teſtes omni exceptione digni, & maximam retinent auctoritatem, & vim, præcipuè quando in ipſis concurrunt qualitates Sanctitatis, & Doctrinæ.* Item Mantica *de tacita, & ambigua convenientia* lib. 8. tit. 14. nu. 11. Maſcardus de probat. 6. volum. 1. concl. 3. nu. 1. ubi multos Juriſtas adducit. Alexander conſ. 187. nu. 16. volum. 2. Janſon. conſ. 128. nu. 1. vol. 1. & 3. conſ. 65. column. 3. Undè in Sanctorum Canonizatione ſuæ Religionis, Religioſi tamquam legitimi teſtes admittuntur, ut conſtat ex praxi, & reſolvunt Auditores Rotæ in Canonizatione S. Franciſcæ Romanæ par. 1. art. 7. Quinimmò non ſolum Religioſis, ſed etiam libris, ac Sacrarum Religionum hiſtoriis in canonizatione (quæ eſt cauſa graviſſima) fides adhibetur, ut patet in canonizatione S. Bonaventuræ par. 2. art. 8. & ex profeſſo probat Joannes Andreas in fine mercuralium ſuper ultim. queſt. & alias nullus Carmelita alium hucuſque recognovit Patriarchã, niſi magnum Prophetam Eliam opere, profeſſione, prædicatione, & meditatione, & S. Sedes Apoſtolica dictum Prophetam tamquam Carmelitarum Patriarcham ſæpé ſæpius approbavit, & confirmavit in officiis divinis, dictaque Religio equè ac cœteræ aliorum inſtitutorum à Summis Põtificibus approbata eſt, in quarum approbatione Summus Pontifex errare non valet, ut eſt concors Theologorum, & Sanctorum Patrum Sentẽtia. Nulla igitur poteſt eſſe ratio, quod Carmelitis (quorum nonnulli sũt Sanctitate, & doctrina præclariſſimi) unanimitèr, & conſtanter aſſerentibus, ſe ex perpetua Ordinis traditione ſemper habuiſſe, & tenuiſſe Eliam Prophetam pro ſuo *Fundatore*, & *Inſtitutore*, fides non adhibeatur: Cum alicujus Eccleſiæ, aut Diæceſis traditio fidem faciat, & probabilitatem fundet pro rebus etiam graviſſimis, qualis eſt cultus alicujus Sancti, & veneratio aliquarum Reliquiarum, ut conſtat ex communi praxi; & latè tradunt Ambroſius Machin, *in defenſione Sanctorum Caralitanorum* lib. 1. c. 32. Eculanus in Cronico S. Hjerothei ann. Chriſti 64. pag. 256. Quintadueñas tract. 7. ſingul. 14. & Martinez de Prado in *Opuſculo de ſtigmatibus S. Catarinæ* queſt. 2. §. 2. Et profectò niſi hæc regula admittatur corruent plurima, quæ tam in Eccleſiis privatis, quam in Sacris Religionibus pie, & probabiliter creduntur. Nam ſublata traditionis auctoritate, tollitur fundamentum illa admittendi. Cum igitur ex his ſatis conſtet, quantam cujuſque Religionis traditiones habeant auctoritatem, ad probãdum illa, quæ illius ſunt; hujuſmodi ſubſidium maximè Carmelitis pro ſui Ordinis probanda antiquitate ſuffragari debet. Nam nullus hactenus repertus eſt Carmelita, qui de ſui Ordinis *Fundatore*, *&* *Auctore* requiſitus, aut mentionem in ſcriptis faciens non ſuſtinuerit eſſe ſanctiſſimum *Patrem*, *&* *Prophetam Eliam*, prout ſatis indicant Religionis ſtegmata, antiquiſſimæ imagines, vetuſtiſſima Breviària, Conventuum fundationes, Archiviorum monumenta, Scriptorum libri, & denique tot Summorum Pontificum diplomata, quibus veneranda illa comprobatur traditio. Quæ, & alia hujuſmodi Idelphonſum de Flores præclariſſimum Sa-

Digitized by Google

cræ Scripturæ interpretem ex Societate Jeſu tàm efficaciter moverunt ad amplectendam noſtram atiquitatem, ut *Nefas ducat nonnihil huic Sacræ Carmelitarum Familiæ de ſua vetuſtate detrahere.*

CLVI. Teſtes autem domeſtici venerandæ hujus noſtræ antiquitatis ſeſe ex Ordine offerunt quotquot de illa hactenus ſcripſerunt; ex quibus antiquiores dumtaxat hic referemus, & verba illorum adducemus. Primus occurrit Joannes Jeroſolymitanus Patriarcha 44. qui floruit anno 512. tempore S. Hjeronymi, inquiens: *Propheta Dei Elias Monachorum Princeps primus extitit, à quo ſancta eorum primeva Inſtitutio ſumpſit exordiū.* Et cap. 9. dicit: *Monachus enim verè deinceps ipſe fuit.* Quibus Joannes ſatis clarè indicat Eliam Prophetam fuiſſe verè Monachum tribus votis obſtrictum; Nam ut benè, & doctè noſtri Salmaticenſes notant to. 8. tract. 20. diſput. 3. dub. 8. §. 3. nu. 115. Nemo poteſt eſſe verus Monachus abſque tribus ſubſtantialibus votis. Et idem Joannes cap. 16. ait: *Quidquid igitur perfectionis eſt in hac veſtra Religione Eremitica, ab hoc Propheta Dei, tamquam à primordiali, ac principali Monachorum Auctore exemplariter emanavit.* Occurrit etiam S. Brochardus Secundus Ordinis Generalis ex latinis, qui vixit ante annum 1166. & antiqua Ordinis ſtatuta compilavit, in quorum exordio ſic dicit: *Teſtimonium veritatis perhibentes dicimus, quod à tempore Eliæ, & Eliſei ejus diſcipuli, Montem Carmeli, qui non lōgè ab Achon diſtat, devotè inhabitarūt multi Sancti Patres tàm veteris, quàm novi teſtamenti, ſolitudinis Montis ejuſdem pro contemplatione Cæleſtium veri amatores, ibidem juxtà fontem S. Eliæ in ſancta Pœnitentia ſanctis ſucceſſibus continuata, ſunt proculdubio converſati laudabiliter.* Item affirmat S. PetrusThomas lib. de Peccato Originali cap. 3. & de S. Avertano in ejus Officio ab Eccleſia approbato dicitur: *Sibi in exemplum paupertatis propoſuiſſe Magnum Eliā ſui Ordinis Fundatorem.* Accedit, & teſtimonium Seraphicæ Thereſiæ, quæ cœleſti luce perfuſa hanc quoque eſt amplexata traditionem, nam lib. fundat: nullum alium agnoſcit *Patrem, & Fundatorem*, quam Eliam Prophetam, dum cap. 27. & 28. dicit: *Noſter Pater Elias.* Eodem modo loquitur ejus fideliſſimus coadjutor, & illuminatiſſimus Doctor Myſticus Beatus Joannes à Cruce lib. 2. Aſcenſ. in Mont. Carm. cap. 8. 20. &c. Quæ verba repetita leguntur in omnibus Codicibus Conſtitutionum manuſcriptis, & impreſſis, quotquot extant uſque in hodiernum diem, nempè in iis, quæ in Capitulis Generalibus reviſæ ſunt ſub Joanne de Alerio 1321. ſub Joanne Baliſtario 1369. ſub Joanne Soreth 1462. ſub Nicolao Audet 1524. ſub Joanne Baptiſta Caffardo 1580. & ſub Gregorio Canalio 1625. Et cum in iſtis Capitulis, quæ totum repræſentant Ordinem conveniant Religioſi omnium Nationum, & Regionum continua illa, & immutata declaratio tot ſæculis facta, demonſtrat iſtum ſemper fuiſſe ſenſum totius Ordinis. Tertio accedit Joannes Bachonius Doctor Reſolutus à Bellarmino in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis Doctiſſimus Theologus, ac Philoſophus nuncupatus, & à Sixto Senenſi lib. 4. Bibliothecæ Sacræ ſui temporis Theologorum Princeps, & floruit circa ann. 1340. Hic in tract. de Inſtitut. Ord. c. 1. ſic dicit: *Licèt omnes ſalvandi tempore Prophetarum, Filium B. Mariæ venturum venerati ſint, ſecundum Auguſtinū in Epiſtola 29. ad Deogratias; Fratres tamen de Carmelo tempore Eliſei venturum venerantes, in Carmelo B. Mariæ Religionem ſuam inceperunt, ut habetur in hiſtoria de antiquitate Ordinis. Ad ejus igitur venerationem Originē habuerunt. Et antiquis Patribus Ordinis de ortù ejuſdē tēpore Prophetarum credendum eſt. Nam in negotiis Eccleſiarum illi potiſſimum aſſumendi ſunt, qui eadem negotia tractaverunt.* Hoc idem tom. 4. in lib. ſentent. quodlib. 3. quæſt. 7. art. 2. editionis Cremonenſis anno 1618. Accedit paritèr ſæpè relatus Thomas Waldenſis, de quo Poſſevinus in

ſuo

Digitized by Google

ſuo Apparatu, ut ſupra diximus fuiſſe à Pontifice Maximo Martino V. & ſui Ævi Scriptoribus in ſpecie à Joanne Cochleo, & Stanislao Hoſio Cardinali magnopere celebratum, ac mortuum eſſe non ſine Sanctitatis opinione, & floruit circa annum 1424. tom. 3. de ſacramental. tit. 9. cap. 89. agens contra Hæreſiarcham Witcleff Religioſorum Ordines *novas* appellantem *Sectas*, ſic dicit: *Ordo Carmelitarum à Propheta Elia, & Eliſeo priùs incepit; poſt Salvatoris Adventum cum Apoſtolis in Evangelio ſollicitiſſimè elaboravit, à Joanne Patriarcha Jeroſolymitano primo Carmelita Regulam vivendi grecè ſcriptam accepit, quam pleniorè poſt ſub Alberto itidem Patriarcha forma digeſtam inſpexit*. Et tom. 1. doctr. fid. lib. 3. art. 2. cap. 4. *Sufficiat Religioſis tales habere Patronos* (ſcilicet Eliã, & Eliſeum, & Filios Prophetarũ) *& Sancti Propoſiti Fundatores, ut planè ſe monſtret Sacrarum Scripturarum ignarum, quicumq; ſic errat, ut dicat non eſſe jure fundatos*. Alia hujuſmodi reperiet benevolus Lector apud Patrem Danielem à Virgine Maria in Speculo Carmel. tom. 1. n. 1344. & Sylveiram ſcriptis in Evangelia toti mundi notiſſimum, Opuſc. 3. reſol. 2. Accedit etiam Venerabilis Pater Joannes Soreth vir Pietate, & Sapientia inſignis totius Ordinis Generalis anno 1450. de quo Vernerus Chartuſianus in Faſciculo temporum circa annum 1464. ait: *Vir Sanctæ vitæ, & ſingulariter Chriſto fructiferus Andegavis obiit, ubi quãplurimis nunc miraculis coruſcat*. Hic in Præãbulo Regulæ, ſic ad ſuos ſcribit: *Filii namque Prophetarum ſumus, non carnis origine, ſed operis imitatione: Elias namque cepit facere, & docere Regulam hujus Sacre Religionis, & quidem perfecta, ſcilicet, quo ad ſuum eſſe eſſentiale, divina revelatione doctus*. Similia dicunt, & aſſerunt Baptiſta Mantuanus, Arnoldus Boſtius, Joannes Palæonydorus, Hjeronymus Gratianus, quem Franciſcus Ribera ex Societate Jeſu in vita S. Thereſiæ lib. 3. cap. 4. nũcupat: *Virum magnum, & Sanctimonia illuſtrem*. Et ipſa S. Thereſia appellat: *Virum egregiè doctum, ſummi ingenii, continuum omnium virtutum cultorem*. Et alii multi Scriptores Ordinis præclariſſimi, & antiquiſſimi, quos citat relatus Pater Daniel à Virgine Maria loco citato p. 2. ſynopſ. 1. Ex quibus evidenter patet unanimem, ac conſtantem in Ordine Carmelitico ſemper fuiſſe traditionem antiquiſſimam; magnum Prophetã Eliam Carmelitici Inſtituti in veteri teſtamento, & in Monte Carmeli exſtitiſſe *Fundatorem*, *& Inſtitutorem* cum alium numquã agnoverint. Hoc idem Petrus Corneyo eruditis in D. Thomæ Commentariis notiſſimus, Michael Mugnoz in ſuo Propugnaculo Eliæ Romæ impreſſo. Petrus Waſtellius lib. 1. Vindic. Oper. Joann. Jeroſol. Lezzana Vir piiſſimus & doctiſſimus ſcriptis notiſſimus, ac Sac. Congr. Romæ Indicis Conſultor in apparatu ſuo ad tom. 1. annal. Ord. Carmel.. Thomas Beauxamis in Evangelica armonia. Matthias à Corona Sac. Theol. Doctor Pariſ. in Opere, cui titulus *Sanctitas Eccleſiæ Romanæ in Elia Propheta Carmelitarũ Protoparente figurata*. Franciſcus Bonæſpei in utraque parte ſui Armamentarii; & alii quamplurimi quos citat relatus Pater Daniel à Virgine Maria.

CLVII. At quia extraneorum teſtimonium, & Auctoritas permaximè ad noſtrum intentum conducere non deſinunt, ideoque illos ſummatim adducere non omittimus. Joſephus igitur Antiochenus qui teſte Poſſevino in apparatu vixit anno Chriſti 130. ſic dicit: *Perfectorum Militum Chri-* *lib. de perſ.-*
ſti Apoſtolorum Coadiutores ſurrexerunt Strenuiſſimi Viri, ſolitarii, con- *cta militia*
templationi dediti, Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Eliſei imitatores, *primitivæ Ec-*
qui de Monte Carmelo deſcendentes per Galileam, Samariam, & Pale- *cleſ. c. 12.*
ſtinam fidem Chriſti conſtantiſſimè ſparſerunt, quippè in Virginis Mariæ honorem in Montis Carmeli declivio fabricantes Oratorium Salvatoris Matri ſpecialiſſimè ſervierunt. Luitprandus ſive Eutrandus Epiſcopus Cremo-

Digitized by Google

tùm librum Joannis, tùm D. Alberti Regulam attentè inſpiciens in ſpeculo Ordinis, in quo fit ſpecialis reflexio, relatis ex una parte verbis regulæ D. Alberti, & ex alia verbis aliquorum capitum libri Joannis; ex quibus ſatis apertè conſtat, D. Alberti regulam fuiſſe extractam ex relato Joannis libro.

CXXXXV. Deinde S. Cyrillus Conſtantinopolytanus eximius Doctor, & percœlebris Pater, qui in Generalatu ſucceſſit S. Brocardo circa annum 1221. in lib. ſeu Epiſt. ad Euſebium c. 1. aſſerit, Priſcos hujus Sacræ Religionis Profeſſores pro Regula in veteri lege., virtuoſam S. Prophetæ Eliæ habuiſſe vitam, cum Sancta Scriptura, quam in nova lege circa annum 412. ſcripto expoſuit, & Carmelitis obſervandā tradidit Joannes Patriarcha Jeroſolymitanus. Et tandem refert, quomodò Carmelitæ Regulam Joannis Patriarchę Jeroſolymitani vitæ eremiticæ, & ſolitariæ appropriatam poſtulaverint adaptari Cœnobiali per B. Albertum Patriarcham Jeroſolymitanum, cum aliquot dubiis decidendis, quæ per regulam decidit, ut ex illa patet, quam ibidem S. Cyrillus producit cap. 6. Similiter Guillelmus de Sanvico, qui floruit in Terra Sancta circa annum 1280. Montis Carmeli Incola in hiſtoria Ordinis optimè verſatus; poſtquam Chronicæ ſuæ c. 2. egit de multiplicatione Ordinis Carmelitarum per varias Provincias, cap. 8. agit de eorum expulſione ex Terra Sancta, & tandem ſubdit: *Profeſſores itaque hujus Religionis, qui in Monte Carmeli à tempore Eliæ, & Eliſei Prophetarum continuè, & inceſſanter per annos circiter 2218. in Contemplatione Dei extiterant, in hac perſecutione Montem illum ex toto amiſerunt*. Hanc Montis Carmeli amiſſionem ipſamet Virgo Maria Carmelitarum Mater, ac Patrona prædixerat, admonens Montis Carmeli Priorem, quod ſuis Religioſis permitteret, ut ad Occiduas accedere poſſent Regiones, eiſque ſuum propagare, ac diffundere inſtitutum, ut refert relatus Guillelmus Sanvico in Cronica de multiplicatione ſuæ Religionis cap. 3. inquiens: *Inter cætera, quæ in eo Capitulo tractata fuerant* (celebrabatur enim Carmelitarum Capitulum Generale) *propoſuere Fratrum multi receſſum aliquorum à Terra Sancta (quæ Incolarum peccatis exigentibus in dies amplius oppugnabatur) expedire; ne tanta Religio inter Turcas impudicos evaneſceret, ſed in partibus Occidentibus tranſplantata jugiter floreret; fructumque facere abbundantem, præſertim cum jam permulti eorum, Saracenorum gladio forent abſumpti; contradixere plures, non eſſe (dicentes) fortis Militis tergum oſtendere, ſed viriliter perſiſtere, & ad mortem uſque bellando perſeverare. Cumque ſic dubia Patrum fieret ſententia, ſingulare totius ſæculi propitiatorium, piiſſimaque ſuorum ſemper Conſolatrix Virgo Maria, decus Orbis, Sydus hominum, ſpeculum Angelorum, dulcis eloquio, & facie gratioſa, Sancto Priori Carmeli, ad dandam ſcientiam ſalutis Plebi ſuæ clementer apparuit, & admonuit, ut petitioni Fratrum, qui Orientale lumen tenebris occiduis inferre vellent, nequaquam obſiſteret, innuens ei à ſe, & à Filio ſuo hunc egreſſum eſſe ſermonem, quatenus Carmeli flores non ſolum Paleſtinam, & Syriam, ſed & Orbem adornent Univerſum, & Terræ repromiſſionis, quæ olim fluxit lac, & mel ſuis dumtaxat Habitatoribus ex tunc univerſo Orbi remedia ſalutis, & vitæ porrigerent alimenta, ſicque Eccleſia ab unitate, nec mari, nec terrarum ſpatio disjuncta, pia Incolarum communicatione, & Pignorum ſucceſſione oſtenderetur ſociata. Hoc itaque Reginæ præpotentis edoctus oraculo, divinitus inſpiratus Prior, annuit, ædificandis in Regionibus propriis Monaſteria Sacræ Religionis diviniſſimæ Mariæ licentiam ejs impartiens; retenta adhuc ſecum firmiorum Fratrum, qui animas quotidiè ponere parati forent, multitudine copioſa.* Ex his curioſo, ac benevolo Lectori declaratum remanet quomodò, & quo tempore Carmelitarum Ordo ex Oriente ad Occiduas traductus fuerit partes

Digitized by Google

tet. Hoc idem Trithemius lib. de Ord. Carmel. & accuratus ille, & devotus chronographus Wernecus Rolevinck Carthuſienſis deplorandam illam originalis, & primarii Monaſterii hujus Religionis in Monte Carmelo deſtructionem in faſciculo temporum circa annum 1291. ſic paucis cōmemorat: *Nobiliſſima Civitas Acconenſis à Saracenis deſtruitur, ac demū Deifera Maria Monaſteriū in Carmelo ad quatuor millaria Civitati vicinū ab eis igne crematur, Fratribus inventis in eo perfidorū gladiis trucidatis, & tunc (proh dolor!) Ordo Carmeliticus melliſluū locum ex toto perdidit, in quo à tempore Eliæ, & Eliſei Prophetarum duobus millibus ducentis viginti, & uno annis perſtiterant*. Ex quibus verbis ſatis apertè conſtat Carmeli Montem tot ſœculorum ſpatio continuè abſque ulla prorſus interruptione loci à Carmelitis fuiſſe habitatum, retentum, ac exultum, ſæpè ſæpiùs ab Infidelium incurſu divina providentia liberatum, licèt nunc (proh dolor!) ingraveſcente Turcharum impetu, ac Tyrannide amiſſum, & deperditū, imperſcrutabili judicio Dei, ut ait Paulus ad Rom. 11. *O altitudo divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei, quā incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus*! Et ne Carmeli Germina, ac Floſculi, virique religioſi Eliæ, & Eliſei veſtigiis inherentes in hac Barbarorum crudelitate totaliter perirent, Deipara Virgo, ac Carmelitarum Mater præmonuit ſui prędilecti Inſtituti Superiores, quatenùs annuerent illos ad Occiduas permeare partes, ut univerſo Orbi, & præcipuè Europæ ſalutis remedia, & vitæ alimenta porrigerēt, ut legitur in officio commemorationis ſollemnis lectione quinta circa finem, ſequentibus verbis: *Cum olim in Europa Ordo eſſet ignotus, & ob id apud Honorium III. non pauci pro illius extinctione inſtarent, adſtitit Honorio noctu puriſſima Virgo Maria, pleneque juſſit, ut Inſtitutum, & homines benignè complecteretur*. Ex quibus patet, Deiparam Virginē ſuorum Filiorum exitum à Carmeli Monte prævidentem, poſtea Honorio III. D. Petri Sedem occupanti, imperaſſe, ut hanc ſuam Religionem, & inſtitutum per Eliam in Carmeli Monte inchoatum ſuſciperet, ac amplecteretur, in finem uſque ſœculi in Europa perſeveraturum.

CXLVI. Eodem ſœculo anno ſcilicèt 1287. in Capitulo Generali in Cōventu Montis Peſulani cęlebrato, dimiſerunt Carmelitæ pallia, ſeu Cappas ſuas barratas, quibus uſi fuerant per ſexcentos, & quadraginta octo annos, ab anno ſcilicet 639. vel 642. quando tempore perſecutionis Humar Regis Arabiæ, coacti fuerunt album quem deferebant Pallium dimittere; & purè album, ut antea, ſuorum priſcorū Fundatorum more, reaſſumpſerunt. Ut conſtat ex actis Capituli in Archivio dicti Conventus Montis Peſulani reſervatis, ut nuper audivimus ab ejuſdem Conventus Religioſis Patribus. Id tamen factū non ſine auctoritate Apoſtolica, utpotè ex Inaulto Bonifacii VIII. (cujus tamen executio nonnullis contradictoribus inſurgentibus ad annos plurimos dilata fuit) & per ejus Bullam ad inſtantiam Religioſorum noſtrorum datam ſeptimo kalend. Decemb. anni 1295. quæ Bulla extat in Spec. Ordinis fol. 70. pag. 2. & in tom. 2. Bullarii Laertii Cherubini inter Bullas Bonifacii VIII. cujus etiam meminit Palæonidorus lib. 3. c. 10. Accedat deniq; concors Præſulum Cœtus, qui Summo Pontifici duas direxere Epiſtolas, quibus innuebant, ut Carmelitis eo tempore in Terra Sancta ob rerum penuriam, & varias calamitates afflictis, aliquo ſpirituali, ac temporali ſuccurreret, ac ſubveniret ſubſidio; quarum prima eſt: *Beatiſſimo in Chriſto Patri, &c. Nicoſſienſis Archiepiſcopus, ſcilicet Epiſcopus Ebronenſis, Venerabilis Patris Dom. Patriarchæ Jeroſolymitani Vicarius, Guillelmus Thiberiadeſis Epiſcopus, cujus ad Deum Oratores aſſidui devota pedum oſcula beatorum, & cum Terra Sanctæ recommendatione ſeipſos*. Et infra: *Credimus enim Vos non ignoorare Pater Sancte, qualiter Ordo Fratrum B. Mariæ Ordinis de Mon-*

Digitized by Google

te, Carmelo ; qui inter cæteras Sacras Religiones Apoſtolicæ Sedi devotas claret devotione conſpicua , fuit in Ciſmarinis partibus à tempore ,cujus non extat memoria , à prædictis Patribus in ejuſdem Terræ S. Solatium inſtitutus , cujus aliis longè , lateque poſtmodum opitulatione divina extenſis , Fratres ejuſdem Ordinis ſubventioni ejuſdem Terrę Sanctæ devotione penè ineffabili devoventes , quæ manus pietatis ſubminiſtrabat eiſdem , tenui particula pro ſuis ſupportandis neceſſitatibus retenta , fratribus domorum ſuarum præmiſſarum partium miniſtrabant devotius in ſæpè dicta Terrę ſubſidium convertenda . Terminatur Epiſtola : datum Acon ann. Domini 1272. Menſis Septembris . In hoc ſuo ſcripto affirmabant Paſtores iſti primi prædictum Ordinem illis partibus à tempore cujus non erat tunc eis memoria à Sanctis Patribu sinſtitutum. Et correſpondenter eis Magiſter Hoſpitalis S. Joannis cum Magiſtro Militiæ templi in ſua Epiſtola Summo pariter Pontifici Sanctiſſimo,inquiunt *Frater Nicolaus Lorginus Domus hoſpitalis Sancti Joannis Jeroſolymitani Magiſter , & Pauperum Chriſti Cuſtos : ac Frater Guillelmus de Bello loco, Pauperis militiæ templi Magiſter humilis , cum ſupplici Terræ Sanctæ recommendatione devota pedum oſcula Sanctorum . Sedentes ſuper flumina Babylonis , flere amarè, proh dolor , compellimur ; dum Terram illam quaſi factam naufragam conſpicimus jugi perſecutionis infligi ſagittis , & validis fluctuum impulſibus agitari , quam ejus beavit preſentia , qui in ea pro Redemptione humani Generis immolatus manibus tradi non dubitavit nocentium , & Crucis amaritudinem guſtare .* Et infrà : *Invenimus ſiquidem in noſtrę memoriæ tabula exaratum,quod Ordo Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo in Ciſmarinis partibus à tẽpore , quo memoria non exiſtit à Sanctis Patribus in ejuſdem Terrę Sanctę ſolatium extitit inſtitutus, &c. ſcriptum. Acon duodecima die mẽſis Julii* 1284. Ex quibus evidenter conſtat Carmelitarũ Ordinem ibi tot ac tantis ſœculis antea viguiſſe , talitèr quod illius initium ob antiquitatem aſſignari non potuerit . Nam cum in Epiſcoporum , aut Eccleſiarum Archiviis , nulla tunc de Carmelitarum Ordinis inchoatione ſcirentur monumenta , qualia indubiè fuiſſent , ſi Ordo demum poſt recuperatam Terram Sanctam circa annum 1100. fuiſſet inchoatus ab Aymerico in Bertholdo primo Generali latino , vel à Beato Alberto tempore Brocardi illius Succeſſoris , vel ab Innocentio III. in Concilio Lateranenſi , vel Lugdunenſi, in quo hoc ſecundo fit memoria in explicatione capitis: *Nimia de Religioſis Dominibus* . Ubi hæc leguntur: *Eremitarum verò S. Auguſtini , necnon Carmelitarum , volumus in ſolido ſtatu permanere* . Moraliter igitur certum videtur , dictos Terræ Sanctę Prælatos recognoviſſe Carmelitarum Ordinem multis ante ſœculis ibi fuiſſe inſtitutum , & plenè formatum , utpotè affirmant viguiſſe à tempore , quo eis non erat memoria , à Sanctis Patribus inſtitutum .

CXLVII. Paritèr quod Carmelitarum Ordo in veteri teſtamento à Magno Propheta Elia inſtitutus fuerit , ac hucuſque perſeveraverit , oſtenditur etiam ex quadam viſione , quam Joannes XXII. Cathedram Petri occupans , habere meruit circa annum 1316. in quo Virgo Deipara Carmelitico induta habitu apparens , commendavit: *Ordinem Carmelitarum per Eliam , & Eliſeum in Monte Carmelo inchoatum* . Quibus verbis apertè indicavit , ac revelavit Carmelitarum Ordinem in veteri teſtamento fuiſſe inſtitutum . Hancque revelationem ſuo inſeruit Privilegio Carmelitis conceſſo , quod Vulgo dicitur Sabbathinum , quod diverſi Pontifices motu proprio , & ex certa ſcientia confirmarunt , videlicet Alexander V. ſua bulla , quæ incipit : *Tenore cujuſdam privilegii Fel. record. Joannis XXII. prædeceſſoris noſtri , dilectis Filiis Priori Generali , & Fratribus , & dilectis filiabus Sororibus , & Confratribus , Confratriæ Fratrum dicti*

Ordi-

Ordinis Carmelitarum conceſſi, per Nos viſi, & diligenter inſpecti de dicto Originali ſumpto, ut de ipſo impoſterum certitudo plenior habeatur, præſentibus fecimus adnotari qui eſt talis: Joãnes Epiſcopus Servus Servorum Dei &c. Et poſt dictum Joannis privilegium verbotenus relatum ſubdit hic Summus Pontifex: *Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ Indulgentię, ſeu Statuti, & ordinationis irritare, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli ſe noverit incurſurum.* Quæ clauſula facit, ut contravenietes peccent mortaliter: Incurrantque pęnam arbitrariam, ut docet Peyrinis, Sayrus, & alii apud Lezzanam in *Summa* verbo *Clauſula* nu.3. & Barboſa *clauſula* 91. Item Clemens VII. duplici diplomate, cujus initium eſt: *Ex Clementi*, in quo ſequentia leguntur: *Nos igitur Joannis, & Alexandri, & aliorum litteras, ac per eoſdem Prędeceſſores omnia, & ſingula privilegia &c. Ordini Carmelitarum conceſſa, quorum omnium tenores preſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis haberi volentes, authoritate Apoſtolica tenore preſentium approbamus, & innovamus, ac perpetuę firmitatis robur obtinere, & inviolabiliter obſervari &c. decernimus.* Item Paulus III. idem privilegiũ confirmavit una ſimul cum Diplomate Clementis VII. Prædeceſſoris ſui; ejus bulla, quæ incipit: *Proviſionis noſtra.* In qua legitur: *Nos tenorem quarumdam litterarum fęlicis recordationis Clementis Papæ Prædeceſſoris noſtri, in regiſtro ipſius Prædeceſſoris comperto, &c.* & poſt integrè deſcriptum ſubdit: *Cæterum, ut earundem tenor litterarum hic inſertus omnimodam rei, ſeu facti certitudinem faciat, authoritate noſtra decernimus, ut illud idem robur, eandem vim, eundemque vigorem dictus tenor habeat, quæ haberent originales litteræ ſupradictæ, ac eadem prorſus eidem tenori fides adhibeatur.* Item Pius V. in ſua Bulla cujus initium eſt: *Superna diſpoſitione.* Item Gregorius XIII. in bulla: *Ut laudes* data 1577. noviſſimè Clemens X. in Bulla: *Commiſſa nobis,* ſummariè refert Bullas Joannis XXII. Alexandri V. & Clementis VII. jiſdem verbis, quibus ſupra Gregorius XIII. illas retulit. Et tandem aliorum Pontificum citatis bullis ſubdit: *Summarium prainſertum, omniaq; , & ſingula in eo contenta, Authoritate Apoſtolica tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus.*

CXLVIII. Idipſum quoque revelatum eſt S. Petro-Thomæ: Cum enim in gravi quadam Ordinis afflictione circa annum Chriſti 1351. Sanctus Vir piis, & ardentibus precibus ipſa nocte Pentecoſtes à Deipara Matre Patrocinium, ac ſuæ Religionis imploraret auxilium, ab eadem hoc mirabili, & ſummæ conſolationis dignatus fuit reſponſo: *Confidito Petre Religio enim Carmelitarum in finem uſque ſæculi eſt perſeveratura, Elias namque* (nota) *ejus Inſtitutor jam olim etiam à Filio meo id impetravit.* Ut in ejus officio à S. R. Cong. approbato legitur. En iterũ à D. Virgine revelatum Ordinem Carmelitarum inchoatum, ac inſtitutum eſſe ab Elia Propheta in veteri teſtamento. Hujus ètiam apparitionis, & reſponſi à Deipara recepti de verbo ad verbum legitur in ejus officio ad diem vigeſimam nonam Januarii ab Eccleſia approbato; & teſtimonium perhibet etiam Vir ſingulari doctrina, & pietate inſignis Joannes Hildesheimenſis S. Petri-Thomæ diſcipulus, ac teſtis auricularis, ſic illam in ſuo defenſorio referens cap. 5. *Cum more ſolito, coram ipſo* (ſcilicet Petro-Thoma) *dormirem, in ſancta nocte Pentecoſtes, vocibus dulcibus, & miris motibus expergefactus, repentè ſurrexi.... petii tunc ab eo quid habuiſſet, ipſe vero noluit indicare mihi. Multiplicavi praeces flexis genibus, & tandem vix obtinui, præmiſſo tamen juramento, quod non revelarem quamdiù foret ipſe ſuperſtes, tunc dixit, &c.* Et expoſuit appari-

paritionem ſupra relatam. Imò cum hæc Petri Thomæ apparitio percælebri Lucæ Wadingho Seraphici Ordinis hiſtorico dubia eſſet; exiſtimabat enim conſimile privilegium fuiſſe conceſſum Petro Theutonico Præſuli meritiſſimo, ideò in reviſione, & approbatione Sanctorum Ordinis noſtri à S. R. Cong. cujus ipſe Lucas Wadinghus Conſultor erat, ſuſpenſa fuit reimpreſſio Breviarii Ordinis noſtri, donec præfatæ revelationis veritas erueretur; ſpecialibuſque ab hujus Religionis Alumnis porrectis ſuperno Numini, Deiparæque Virgini præcibus, rigoroſiſſimiſq; Jejuniis ſubipſis præſcriptis, facta in Vaticano omnimoda diligentia, & Bullis examinatis, compertum fuit, verè talem revelationem factam fuiſſe Sancto Petro-Thomæ Carmelitici Inſtituti jubari ſingulari, & non Petro Theutonico S. Patris Franciſci Filio. Quocirca relatus eximius Lucas Wadinghus ſpeciali aliqua devotione erga hunc Sanctum ſe dicavit, in ejuſque obſequium vitam compoſuit, & officium cum ſua oratione, quorum omniū teſtimonio extant particulares Bullæ pro hoc Sancto conceſſæ, quæ in Archivio S. Mariæ Tranſpontinæ ſervantur.

CXLIX. Hanc pariter S. Petri-Thomæ Revelationem adducit Hjeronymus, à Baſilica Petri Congreg. Oratorii, ex Philippo Mazzerio in lib. cui titulus *Effemeridi Sacra* ſub die 29. Jan. in Vita ejuſdem n. 20. ſequētibus Verbis; *Di S. Pietro-Tomaſſo ſtà ſcritto, che nel tempo che ſi trovò in Bologna per la pace che compoſe fra il Papa, & il Duca di Milano, una notte al ſolito rimaſto in Choro doppo il Matutino à priegare la ſua gran Protettrice la Madre di Dio, che difendeſſe l'Ordine Carmelitano per la deſtruttione del quale alcuni ſi affaticavano appreſſo il Sommo Pontefice, fù preſo da certa ſonnolenza nella quale gli apparve la Grande Signora, e conſolādolo li diſſe: Non temere Pietro di queſto, perche Iddio hà determinato, che l'Ordine Carmelitano duri ſino al fine del Mondo, del che ne fù il mio Figliuolo anche pregato da S. Elia primo Inſtitutore dell'Ordine nel giorno, che ſi trasfigurò ſopra il Monte Taborre.*

CL. Huic Petri Thomæ revelationi nonnullas alias adjungere non omittimus ſatis mirabiles, & propoſito noſtro accomodas, quarum duas Seraphica S. Mater Thereſia in libro fundationum cap. 25. adducit. Extraordinariā enim deſcribens Venerabilis Beatricis à Matre Dei, primæ in Monaſterio Hyſpalenſi Novitiæ vocationem, refert quod huic Virgini quidam Venerabilis apparuit ſenex barba oblonga, capillis veluti argenteis, & indutus habitu Carmelitano. Interrogata poſtea prædicta Virgo, quis eſſet ille ſenex. Reſpondit fuiſſe *Patrem noſtrum Eliam*, prout refert Franciſcus à S. Maria tom. 2. de reformatione lib. 3. cap. 38. n. 8. Et cap. 17. deſcribens admirabilem, & aſperrimam Vitam Venerabilis Catharinæ de Cardona, cui Chriſtus Dominus prius monſtravit habitum Carmelitanum, cuique (ut refert laudatus Franciſcus lib. 4. c. 15. n. 4.) apparuit Magnus Elias illo habitu indutus, quæ poſtea ſolita fuit dicere: *Vidi in carne, & oſſibus Patrem noſtrum Eliam*, prout graviſſimi Viri ſub juramento juridicè depoſuerunt. Accedit quod V. Mater Anna à S. Bartholomæo, quæ ut Superiorum præceptis obtemperaret ſuam deſcripſit vitam utpotè Sanctiſſimam, prout toti innoteſcit Belgio, cap. 24. teſtatur ſe vidiſſe *Patrem noſtrum Eliam* extendentem ſuper Conventum Valliſoletanum eo tempore quo ibidem Diſcalceatorum cælebrabatur capitulum, pallium ſuum in ſignum ſingularis protectionis cujus fœlix, & optatus ſucceſſus ſingularis Sancti Patris protectionis ſignum fuit. Nec minus

Digitized by Google

minus mirabile eſt, quod refert Dorotheus à S. Renato lib. 2. in Apocal. q. 10. ſec. 3. nimirum quod cum Hæretici Angli anno 1580. conarentur deſtruere Conventum Carmelitarum Meclinienſem, S. Eliæ peculiariter dicatum, & conſecratum, apparuit ſupra Conventũ quidam Senex Carmelitarum Habitu indutus, gladium diſtringens contra Hæreticos, qui terrore concuſſi ſtatim à Conventu receſſerunt, & omnium vox illico fuit Venerabilem Senem illum fuiſſe S. Eliam, qui Conventum ſpecialiter ſibi dedicatum, ac filios in eo commorantes protegebat. His ſimilia ſcribit Ludovicus Canitellus Patritius Cremonenſis in Annalibus ſuę Patriæ fol. 402. Similiter in vita V. Matris Franciſcæ à Sanctiſſimo Sacramento Carmelitanæ excalceatæ compoſita per Dominum Michaelem Lanuzza conſiliarium S. M. Catholicæ, & approbata per Epiſcopum Segovienſem, & decem Theologos lib. 3. c. 2. n. 9. & cap. 3. n. 32. refertur quod die 20. Julii annis 1627. 1628. 1629. (quo cælebratur feſtum S. Elię) ipſe cum S. Thereſia apparuerit iſti Moniali, Divaque Tereſia inter cętera dixerit S. Eliæ: *Pater mi ecce noſtram Filiam*; Cui S. Propheta cum magni affectus demonſtratione, benedictionem impertivit.

CLI. Conducit pariter ad intentum, Eliam ſcilicet Carmelitici inſtituti Fundatorem, Auctorem, ac Patriarcham fuiſſe, dictum illud ſæpius repetitum à Seraphica Thereſia Hyſpaniarum Sanctitatis Sydere ſplendidiſſimo, quo Filias ſuas adhortabatur, ne ab earum inſtituti obſervantia recederent, divino inſtinctu, & revelatione ſpeciali ſuadens illas: *Semper oculos coniicere in ſtyrpem, & propaginem Sanctorum illorum Prophetarum Eliæ, & Eliſei, à quibus deſcendimus*. Sicut, & pariter raptus S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, quem promeruit in vigilia S. Auguſtini obtinere, in quo ſic Verbum allocuta fuit æternũ: *Tuus ſervus, & meus advocatus Auguſtinus te vocat antiquam, & novam veritatem. Id ipſe dixit de Te: ſed ita dicam de ipſa mea ſancta Regula* (nota) *eſt quippè mihi veritas, quia præſcribit mihi modum perveniendi ad te veritatem infallibilem. Eſt antiqua, quia fuit facta, & ordinata ſub lege antiqua* (nota) *ante tuam Incarnationem: & quamvis nondum veneras in Mundum, nihilominus iſti antiqui Patres vivebant in magna perfectione, illam magna cum exactitudine ſervantes. Eſt etiam nova, quia poſt tuum adventum fuit obſervata cum perfectione, & rigore, & adhuc in hoc ſęculo reperiuntur, qui eam magna cum rectitudine, & ſimplicitate cuſtodiunt*: ità in vita S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis. Ex his enim clarè conſtat antiquum Carmelitarum Ordinem in lege veteri à magno Propheta Elia ſumpſiſſe originem, hujuſque inſtituti verum Patrem eſſe, ac Patriarcham.

CLII. Maximè etiam ad intentum conducit ſummorum Pontificum authoritas, qui ſuis Diplomatibus expreſsè aſſerunt Carmelitarum Ordinẽ ab Elia Propheta, tamquam Fundatore, & Inſtitutore in Monte Carmelo inchoatum eſſe, & ab eodem illos hæreditariam tenere Succeſſionem, quorum ſingulorum Pontificum verba referre non omittimus. Sixtus enim IV. in bulla cujus initium eſt: *Dum attenta meditatione*, clariſſimis innuit verbis Carmelitas ſpiritualiter deſcendere ab Elia Propheta tamquam Inſtitutore, & Fundatore dum dicit illos: *Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Eliſei, & aliorum Patrum, qui Montem Carmeli juxta Eliæ fontem inhabitarunt ſucceſſionem hæreditariam tenentes &c.* Eadẽ ferè verba in ſuis bullis habent Joannes XXII. Julius II. Pius V. Gregorius XIII. Sixtus V. & Clemens VIII. in quibus aſſerunt Carmelitas eſſe hæredes, & ſucceſſores Eliæ, non quidem quoad bona aliqua temporalia, aut locum materialẽ Carmeli Montis; Sed quoad normam Vitæ Religioſæ, ut ex titulo, quem Pontifices immediatè præmittunt: *Tamquam Religionis ſpeculum, & exemplar* clarè patet. Joannes XXII. in Diplomate quod incipit: *Sacratiſſimo uti culmine*. Sic ait: *Mihi flexis genibus*

Vir-

Digitized by Google

Virgo viſa fuit Carmelitana, ſequentem effata ſermonem. Joannes ò Joannes, Vicarie dilecti filii mei &c. iſtam gratiam, & amplam meo Sãcto, & devoto Carmelitarum Ordini confirmationem debes præconcedere per Eliam, & Eliſeum in Mõte Carmeli inchoato. Quid clarius pro Carmelitarum Ordinis inchoatione, ac inſtitutione à Propheta Elia in Monte Carmelo? Hanc Bullam Alexander V. ſuæ Bullæ, quæ incipit: *Tenore cujuſdam* integram inſeruit, & confirmavit, prout patet ex dictis. Innocentius VIII. in Bulla privilegiorum Ordinis noſtri confirmatoria data anno 1484. tertio kalend. Februarii, & Julius II. in Bulla. *Ad Sacrum Ordinem* data anno 1504. duodecimo kalen. Maii, quæ habetur in dicto Ordinis Bullario anno 1507. impreſſo, ubi hic Pontifex præfatam Sixti IV. Bullã, quo ad omnia, & ſingula confirmat, inter alia ad noſtrum intentum ſequentia habet: *Ordinem B. ſemper Virginis Marię de Monte Carmelo, ejuſque Profeſſores, Sanctorum Prophetarum Elię, Eliſei, & Enoch* (intellige Amatin) *necnon Sanctorum aliorum Patrum, qui Montem Sanctum Carmeli juxtà Elię fontem habitarunt ſucceſſionem hereditariam tenere, &c.* Ubi benè notanda ſunt hæc verba *Elię, ac Eliſei hereditariam ſucceſſionem tenere.* Quibus ſatis evidenter indicant Pontifices, ſe cenſuiſſe Carmelitas, quoad vitæ monaſticæ normam à Propheta Elia tamquam Fundatore, & Inſtitutore ſpiritualiter deſcendere. Clemens vero VIII. non ſolum in Bulla *Dominici Gregis*, Eliam Prophetam Carmelitarum vocat *Patrem, & Auctorem*, verum etiam illorum inſtituti aſſerit, eſſe Auctorem in litteris ad Regem Perſarum datis Romæ die 5. Octobris anno 1604. ubi ſic habet: *Miſimus jam ad te Paulum-Simonem, Joannem-Thadeum, & Vincentium, Fratres Ordinis B. Marię de Monte Carmelo.* Et infra: *Habuerunt olim Religionis hujus Profeſſores, ſicut à Romanis Pontificibus prędeceſſoribus noſtris memoria proditũ eſt, ſui Inſtituti auctores, Sanctos Prophetas Eliam, & Eliſeum, omnibus nationibus, & Gentibus notos.* Ex cujus teſtimonio evidenter conſtat claram, & apertam fuiſſe Summorum Pontificum Prædeceſſorum mentem, & non ut aliqui aſſerere præſumunt, à Generalibus Ordinis cum ambiguitate, & ambagibus propoſitam, utpotè motu proprio & ex certa ſciẽtia decernentium; Eliam ſcilicèt Prophetam quo ad vitam monaſticã Carmelitarum Auctorem eſſe, ac Inſtitutorem. Accedit, quod varii Pontifices Ordinis Carmelitarum Breviarium approbaverint, & Sanctorum Ordinis ejuſdem, in illo contenta officia, inter quæ ſunt officia Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Eliſei, veluti Carmelitani Ordinis Fundatorum. Sixtus V. in Bulla cujus initium eſt: *Eximium quod à Nobis*, pro Patribus noſtris Diſcalceatis, approbans Sanctorum Ordinis Carmelitani officia, inter quæ reperitur officium S. Eliæ, quem Carmelitæ ut ſuum Fũdatorem, & Inſtitutorem ſemper coluerũt, ſatis clarè inſinuat, ſe approbare, & confirmare piam illam in Ordine Carmelitano conſuetudinem cœlebrandi feſtum, ſeu Officium S. Eliæ à multis ſœculis, conformiter ad Bullam Gregorii XIII. & ex Bulla Pii V. 96. §. 4. qui noſtrum approbarunt Breviarium, in quibus patet viguiſſe à multis ſœculis ex illis verbis Pii V. aſſerentis: *Quia vetus jam viget in veſtro Ordine laudabilis conſuetudo dies feſtos in honorem B. Marię, & quorumdam Sanctorum ſollemniter cœlebrandi &c.* Nec refert, quod Pontifex illa narrativè tantum dicere videatur, & quidem ſuper facto alieno: quia in antiquis narrativa, ſeu enunciativa Papæ etiam in facto alieno plenè probat, prout demonſtrat Fr. Jacobus à S. Antonio in Append. conſult. nu. 52. ex Auctoribus, quos ibi citat. Ex quibus omnibus patet Summos Pontifices in ſuis Bullis expresſè affirmare, & approbare magnum Prophetam Eliam Carmelitici Ordinis Auctorem, & Fundatorem eſſe. Et quamvis hoc nõ aſſerant ex Cathedra definiendo, quaſi fide divina credendum ſit, tamen

Digitized by Google

men tantam inter limites humani teſtimonii pro credibilate alicujus humanæ hiſtoriæ faciunt certitudinem moralem, ut attenta ſumma vigilantia, & induſtria, quam ſolet adhibere Sedes Apoſtolica antequam ſimiles hiſtorias recipiat, & approbet, nulla major dari poſſit; ut doctè advertit percelebris Carthagena to.3. lib.17. hom. 2. ad obiectionem quintam, ubi ſic: *Quamvis autem prędictorum Pontificum teſtimonia non id tradant tamquam rem de fide divina credendam, infra tamen limites humani teſtimonii nullum majus, aut firmius proferri poteſt, quam tot Summorum Pontificum teſtificatio.*

CLIII. Permaximè etiam ad noſtrum intentum conducunt Hiſtoriæ, ac Eccleſiaſtica officia, quæ in Carmelitico Breviario à Sacr. Rit. Congr. ſępius approbato, & à Summis Pontificibus confirmato diſſeminata conſpiciuntur. In primis in officio S. Eliæ quod ſpecialiter jam conceſſerat Sixtus V. anno 1589. in relata Bulla: *Eximium quod a nobis*: Sanctiſſimus Propheta vocatur Ordinis Carmelitarum: *Dux, Pater, & Auctor*. Et concedentibus Innocentio X. Alexandro VII. & Clemente X. dicimus in Collecta tam Miſſæ, quam Officii canonici. *Præſta quæſumus Omnipotens Deus, ut ſicut B. Eliam Prophetam tuum, & Patrem noſtrum &c.* & in Hymno pro primis veſperis canimus: *Hic Sacri eſt Ductor, columen, decuſque Ordinis noſtri*. Deindè *O Pater ſalve, placidus tuoſque excipe Alumnos*. Et in Hymno ad laudes: *Hilares nam decet hoc die noſtri nos memores Ducis*. Et infra: *Nos numquā auxilium deſtituat Pater*. Et in Hymno ad ſecundas Veſperas: *Ordinis noſtri Columen*. Et in officio S. Angeli Martyris in quinta lectione ſic legitur: *Inſignem Sanctitatis Virum, Patribuſque ſuis Eliæ, & Eliſeo perſimilem, miraculis Deus ſimilibus illuſtravit*. Iterumq; in Reſponſorio quarto ſpeciatim exprimitur: *Inſtar Patris ſui Eliæ*. Item in officio omnium Sanctorum Ordinis, in primo Reſponſorio: *Sancte Propheta Dei Elia Carmelitarum Dux, & Pater intercede pro noſtra omniumque ſalute, &c.* In officio S. Avertani in quinta lectione ſic dicitur: *Sibi Chriſtum, & magnum Eliā Prophetam ſui Ordinis Fundatorem in exemplar Paupertatis propoſuerat, &c.* Item in collecta S. Spiridionis ſic legimus: *Sancti Spiridionis Confeſſoris tui, atque Pontificis nos feſta tueantur, ut ſicut ille Religionis à Propheta Elia inſtituta orationibus, & operibus, &c.* Deindè in officio S. Dioniſii Papæ, quem Carmelitæ inter Ordinis ſui ſanctos colunt, in quarta lectione ſic dicitur: *Dioniſius imitatus Sanctiſſimos illos Monaſtici Inſtituti Duces, qui ædificabant ſibi Caſulas juxta fluenta Jordanis.* Quod vero Duces illi fuerint Eliæ, & Eliſei Diſcipuli conſtat ex 4. Reg. c.6. Denique in officio S. Petri-Thomæ in quinta lectione in qua legitur ſuprarelata revelatio, quam habere promeruit à Deipara Virgine iteratò à Sac. Rit. Congreg. approbata, ſequentia leguntur: *Elias namquè ejus Inſtitutor jam olim à Filio meo id impetravit*. Hæc omnia ſi maturè cōſiderentur, cenſemus omni pio, ac docto Catholico ſufficere poſſe, ut humana fide, piè, ac fideliter credere valeat Carmelitas nullum alium habere Fundatorem, & Inſtitutorem, quam Magnum Prophetam Eliam. Ut autem antiquiſſima illorum Origo, continuatio, ac propagatio expreſſius conſtet, iterum adducere non omittimus ea quæ in quarta officii Cōmemorationis ſollemnis lectione à Sac. Rit. Cong. examinati, ac approbati leguntur, videlicet: *Cum Sacra Pentecoſtes die Apoſtoli cœlitus afflati variis linguis loquerentur, & invocato Auguſtiſſimo Jeſu Nomine mira multa patrarent; Viri plurimi qui veſtigiis Eliæ, & Eliſei inſtiterant, & Joannis Baptiſtæ præconio ad Chriſti Adventum comparati fuerant, rerum veritate perſpecta, atque probata, evangelicam fidem confeſtim amplexati ſunt, ac peculiari quodam affectu Beatiſſimam Virginem*

(cujus

(*cujus colloquiis, ac familiaritate feliciter frui potuere*) *adeo venerari cœperunt, ut primi omnium in eo Montis Carmeli loco, ubi Elias olim aſcendentem Nubeculam Virginis Typo inſignem conſpexerat, eidem puriſſimæ Virgini Sacellum conſtruxerint*: Ex quibus omnibus patet Magnũ Prophetam Eliam etiam ad Mentem Eminentiſſimorum Dominorum S. Rit. Cong. Cardinalium, Carmelitici inſtituti *Patrem* eſſe, *Auctorem*, & *Fundatorem*. Quantam autem Breviaria, & Officia divina cum hiſtoriis, quas continet, à Sede Apoſtolica approbata, habeant auctoritatẽ, quiſquis facile aſſequetur, qui noverit ſummam vigilantiam, & induſtriam, quam Eminentiſſimi Domini S. Cong. Cardinales huic negotio incumbentes in illis recognoſcendis, ac approbandis adhibere ſolent. Nihil enim in hac parte concedunt, niſi maturo prævio examine, productiſque ſolidis, & authenticis monumentis, auditiſque, aut conſultis deſuper Viris gravibus, antiquitatis peritiſſimis, ut contigit ſupra ex revelatione B. Virg. D. Petro-Thomæ facta. Undè Sacra Rota Romana in una Deciſione Cæſarauguſtana coram Domino Coccino anno 1630. merito dixit: *Hiſtorias contentas in Breviario approbato, cenſeri ab Eccleſia Canonizatas*. Et Sac. Cardinalium Congregatio anno 1618. die. 14. declaravit, quod: *Hiſtoriæ quæ in Breviario per Sanctam Sedem Apoſtolicam approbato recitantur, ut maximè veræ ab Eccleſia venerantur*; prout refert Sylveira opuſc. 3. reſol. 3. q. 1. n. 4.

CLIII. Itidem cum Martyrologia, & Kalendaria, quæ ſunt Sanctorum officiorum, & eorumdem hiſtoriarum veluti Brevia compendia in veneratione haberi ſoleant, infirmam in Ordine ad noſtrum intentum neutiquam ſortiri debent auctoritatem, cum permaxima ſortiantur in Eccleſia. Quocirca cum in illis Magnus Propheta Elias, *Dux*, *Pater*, & *Inſtitutor* Carmelitici Ordinis nuncupetur, multum intento noſtro addent roboris. In primis ad diem 20. Julii in Martyrologio Romano dicitur: *In Monte Carmelo S. Prophetæ Eliæ*. Ubi benè notat Daniel à Virgine Maria in ſpec. Carmel. tom. 2. par. 4. n. 2000. ibi dici in Monte Carmelo; non quod raptus in Cœlum ſeu translatio in Paradiſum ibi facta ſit; ſed quod ibi S. Elias cum ſuis Diſcipulis Prophetarum Filiis conſueverint habitare, & vitam agere monaſticam, prout ibidem pleniùs declarat. Antiquum autẽ Ordinis Martyrologium ad 18. kal. Julias ſic habet: *Raptus magni Eliæ Prophetæ, Carmelitanæque Religionis Patriarchæ*. Et Martyrologium, quod modo in Ordine legitur inſertum Cęremoniali ad diem 20. Julii ſic habet: *In Monte Carmelo S. Patris Eliæ magni Sacerdotis, & Prophetæ Dei, primi ſolitudinis Incolæ, totius perfectionis monaſticæ Patris*. Deindè Andreas Suaſay Vir doctiſſimus, & Epiſcopus Tullenſis in Martyrologio Gallico die 20. Julii, ſic dicit: *Raptus Eliæ Prophetæ Ordinis Carmelitarũ Inſtitutoris hodiè ſollemnis eſt in univerſo Ordine*. Item Ægyptium Martyrologium ad diem ſextam menſis Tubæ ſic habet: *Elias Propheta fuit primus in veteri lege, qui deſerta incoluit, & monaſticam in montibus egit vitam*: De quo Martyrologio plura videri poterunt apud Lezzanam tom. 1. annal. in apparatu cap. 5. num. 1. quæ Joannes Molanus in Auctuario ad Uſuardi Martyrologium ad 15. kalend. Julii corroborat dicens: *Raptus in Cælum S. Eliæ Prophetæ Domini, & Carmelitanæ Religionis Patriarchæ; qui tantam coram Domino invenit gratiam ut verbo clauderet, & aperiret Celum*. Quantæ autem auctoritatis cenſendus ſit Doctor ille Joannes Molanus, & iſtud ejus martyrologium, ſeù Auctuarium habetur ex Eminentiſſimi Baronii teſtimonio, qui in præludiis ad Martyrologium Romanum cap. 9. int cętera illius encomia, ingenuè fatetur: *Molanum ſibi in difficillimo opere Martyrologii Romani adornandi, & notationibus illuſtrandi, ducem fuiſſe &c.*

CLV. Nec pro intento noſtro omittenda eſt cõtinua, & antiquiſſima Carmeli-

melitici Ordinis traditio; quia licèt nullus teſtis eſſe poſſit in propria cauſa, conſtans tamen, & certa eſt ſententia, quemlibet de aliqua Communitate teſtem admitti debere, & fidem facere, quando non agitur de eorum particulari commodo, ut communiter tradunt Doctores in cap. *Inſuper,* cap. *cum Nuncius de teſtibus*. Quod à fortiori verificatur in Religioſis circa ſuarum Religionum cauſas: Quia nulli alii magis compertas habere poſſunt res ſuæ Religionis, & Communitatis, quam ipſi, maximè dum ad factum pertinent, prout etiam communiter tradunt Doctores locis citatis, & in cap. *tertio loco de probationibus*; & cap. *veniens 2. de Teſtibus, & de Jurejurando* cap. *& ſi Chriſtus* prout docet noſter Reſolutus Doctor tom. 4. in lib. Sententiarum. Et quodlib. 3. q. 3. art. 2. inquiens: *In rebus ad proprium Inſtitutum ſpectantibus reputantur teſtes omni exceptione digni, & maximam retinent auctoritatem, & vim, præcipuè quando in ipſis concurrunt qualitates Sanctitatis, & Doctrinæ.* Item Mantica *de tacita, & ambigua convenientia* lib. 8. tit. 14. nu. 11. Maſcardus de probat. 6. volum. 1. concl. 3. nu. 1. ubi multos Juriſtas adducit. Alexander conſ. 187. nu. 16. volum. 2. Janſon. conſ. 128. nu. 1. vol. 1. & 3. conſ. 65. columnn. 3. Undè in Sanctorum Canonizatione ſuæ Religionis, Religioſi tamquam legitimi teſtes admittuntur, ut conſtat ex praxi, & reſolvunt Auditores Rotæ in Canonizatione S. Franciſcæ Romanæ par. 1. art. 7. Quinimmò non ſolum Religioſis, ſed etiam libris, ac Sacrarum Religionum hiſtoriis in canonizatione (quæ eſt cauſa graviſſima) fides adhibetur, ut patet in canonizatione S. Bonaventuræ par. 2. art. 8. & ex profeſſo probat Joannes Andreas in fine mercuralium ſuper ultim. queſt. & alias nullus Carmelita alium hucuſque recognovit Patriarchã, niſi magnum Prophetam Eliam opere, profeſſione, prædicatione, & meditatione, & S. Sedes Apoſtolica dictum Prophetam tamquam Carmelitarum Patriarcham ſæpé ſæpius approbavit, & confirmavit in officiis divinis, dictaque Religio equè ac cœteræ aliorum inſtitutorum à Summis Põtificibus approbata eſt, in quarum approbatione Summus Pontifex errare non valet, ut eſt concors Theologorum, & Sanctorum Patrum Sentẽtia. Nulla igitur poteſt eſſe ratio, quod Carmelitis (quorum nonnulli ſũt Sanctitate, & doctrina præclariſſimi) unanimitèr, & conſtanter aſſerentibus, ſe ex perpetua Ordinis traditione ſemper habuiſſe, & tenuiſſe Eliam Prophetam pro ſuo *Fundatore*, & *Inſtitutore*, fides non adhibeatur: Cum alicujus Eccleſiæ, aut Diæceſis traditio fidem faciat, & probabilitatem fundet pro rebus etiam graviſſimis, qualis eſt cultus alicujus Sancti, & veneratio aliquarum Reliquiarum, ut conſtat ex communi praxi; & latè tradunt Ambroſius Machin, *in defenſione Sanctorum Caralitanorum* lib. 1. c. 32. Eculanus in Cronico S. Hjerothei ann. Chriſti 64. pag. 256. Quintadueñas tract. 7. ſingul. 14. & Martinez de Prado in *Opuſculo de ſtigmatibus S. Catarinæ* queſt. 2. §. 2. Et profectò niſi hæc regula admittatur corruent plurima, quæ tam in Eccleſiis privatis, quam in Sacris Religionibus pie, & probabiliter creduntur. Nam ſublata traditionis auctoritate, tollitur fundamentum illa admittendi. Cum igitur ex his ſatis conſtet, quantam cujuſque Religionis traditiones habeant auctoritatem, ad probãdum illa, quæ illius ſunt; hujuſmodi ſubſidium maximè Carmelitis pro ſui Ordinis probanda antiquitate ſuffragari debet. Nam nullus hactenus repertus eſt Carmelita, qui de ſui Ordinis *Fundatore*, & *Auctore* requiſitus, aut mentionem in ſcriptis faciens non ſuſtinuerit eſſe ſanctiſſimum *Patrem*, & *Prophetam Eliam*, prout ſatis indicant Religionis ſtegmata, antiquiſſimæ imagines, vetuſtiſſima Breviaria, Conventuum fundationes, Archiviorum monumenta, Scriptorum libri, & denique tot Summorum Pontificum diplomata, quibus veneranda illa comprobatur traditio. Quæ, & alia hujuſmodi Idelphonſum de Flores præclariſſimum Sa-

Digitized by Google

cræ Scripturæ interpretem ex Societate Jeſu tàm efficaciter moverunt ad amplectendam noſtram atiquitatem, ut *Nefas ducat nonnihil huic Sacræ Carmelitarum Familiæ de ſua vetuſtate detrahere.*

CLVI. Teſtes autem domeſtici venerandæ hujus noſtræ antiquitatis ſeſe ex Ordine offerunt quotquot de illa hactenus ſcripſerunt; ex quibus antiquiores dumtaxat hic referemus, & verba illorum adducemus. Primus occurrit Joannes Jeroſolymitanus Patriarcha 44. qui floruit anno 512. tempore S. Hjeronymi, inquiens: *Propheta Dei Elias Monachorum Princeps primus extitit, à quo ſancta eorum primæva Inſtitutio ſumpſit exordiũ.* Et cap. 9. dicit: *Monachus enim verè deinceps ipſe fuit.* Quibus Joannes ſatis clarè indicat Eliam Prophetam fuiſſe verè Monachum tribus votis obſtrictum; Nam ut benè, & doctè noſtri Salmaticenſes notant to. 8. tract. 20. diſput. 3. dub. 8. §. 3. nu. 115. Nemo poteſt eſſe verus Monachus abſque tribus ſubſtantialibus votis. Et idem Joannes cap. 16. ait: *Quidquid igitur perfectionis eſt in hac veſtra Religione Eremitica, ab hoc Propheta Dei, tamquam à primordiali, ac principali Monachorum Auctore exemplariter emanavit.* Occurrit etiam S. Brochardus Secundus Ordinis Generalis ex latinis, qui vixit ante annum 1166. & antiqua Ordinis ſtatuta compilavit, in quorum exordio ſic dicit: *Teſtimonium veritatis perhibentes dicimus, quod à tempore Eliæ, & Eliſei ejus diſcipuli, Montem Carmeli, qui non lõgè ab Achon diſtat, devotè inhabitarũt multi Sancti Patres tàm veteris, quàm novi teſtamenti, ſolitudinis Montis ejuſdem pro contemplatione Cæleſtium veri amatores, ibidem juxtà fontem S. Eliæ in ſancta Pœnitentia ſanctis ſucceſſibus continuata, ſunt proculdubio converſati laudabiliter.* Item affirmat S. Petrus Thomas lib. de Peccato Originali cap. 3. & de S. Avertano in ejus Officio ab Eccleſia approbato dicitur: *Sibi in exemplum paupertatis propoſuiſſe Magnum Eliã ſui Ordinis Fundatorem.* Accedit, & teſtimonium Seraphicæ Thereſiæ, quæ cœleſti luce perfuſa hanc quoque eſt amplexata traditionem, nam lib. fundat: nullum alium agnoſcit *Patrem, & Fundatorem*, quam Eliam Prophetam, dum cap. 27. & 28. dicit: *Noſter Pater Elias.* Eodem modo loquitur ejus fideliſſimus coadjutor, & illuminatiſſimus Doctor Myſticus Beatus Joannes à Cruce lib. 2. Aſcenſ. in Mont. Carm. cap. 8. 20. &c. Quæ verba repetita leguntur in omnibus Codicibus Conſtitutionũm manuſcriptis, & impreſſis, quotquot extant uſque in hodiernum diem, nempè in iis, quæ in Capitulis Generalibus reviſæ ſunt ſub Joanne de Alerio 1321. ſub Joanne Baliſtario 1369. ſub Joanne Soreth 1462. ſub Nicolao Auder 1524. ſub Joanne Baptiſta Caffardo 1580. & ſub Gregorio Canalio 1625. Et cum in iſtis Capitulis, quæ totum repræſentant Ordinem conveniant Religioſi omnium Nationum, & Regionum continua illa, & immutata declaratio tot ſæculis facta, demonſtrat iſtum ſemper fuiſſe ſenſum totius Ordinis. Tertio accedit Joannes Bachonius Doctor Reſolutus à Bellarmino in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis Doctiſſimus Theologus, ac Philoſophus nuncupatus, & à Sixto Senenſi lib. 4. Bibliothecæ Sacræ ſui temporis Theologorum Princeps, & floruit circa ann. 1340. Hic in tract. de Inſtitut. Ord. c. 1. ſic dicit: *Licèt omnes ſalvandi tempore Prophetarum, Filium B. Mariæ venturum venerati ſint, ſecundum Auguſtinũ in Epiſtola 29. ad Deogratias; Fratres tamen de Carmelo tempore Eliſei venturum venerantes, in Carmelo B. Mariæ Religionem ſuam inceperunt, ut habetur in hiſtoria de antiquitate Ordinis. Ad ejus igitur venerationem Originẽ habuerunt. Et antiquis Patribus Ordinis de ortu ejuſdẽ tẽpore Prophetarum credendum eſt. Nam in negotiis Eccleſiarum illi potiſſimum aſſumendi ſunt, qui eadem negotia tractaverunt.* Hoc idem tom. 4. in lib. ſentent. quodlib. 3. quęſt. 7. art. 2. editionis Cremonenſis anno 1618. Accedit paritèr ſæpè relatus Thomas Waldenſis, de quo Poſſevinus in ſuo

ſuo Apparatu, ut ſupra diximus fuiſſe à Pontifice Maximo Martino V. & ſui Ævi Scriptoribus in ſpecie à Joanne Cochleo, & Stanislao Hoſio Cardinali magnopere celebratum, ac mortuum eſſe non ſine Sanctitatis opinione, & floruit circa annum 1424. tom. 3. de ſacramental. tit. 9. cap. 89. agens contra Hæreſiarcham Witcleff Religioſorum Ordines *novas* appellantem *Sectas*, ſic dicit: *Ordo Carmelitarum à Propheta Elia, & Eliſeo prius incepit; poſt Salvatoris Adventum cum Apoſtolis in Evangelio ſollicitiſſimè elaboravit, à Joanne Patriarcha Jeroſolymitano primo Carmelita Regulam vivendi græcè ſcriptam accepit, quam pleniorè poſt ſub Alberto itidem Patriarcha forma digeſtam inſpexit.* Et tom. 1. doctr. fid. lib. 3. art. 2. cap. 4. *Sufficiat Religioſis tales habere Patronos* (ſcilicet Eliã, & Eliſeum, & Filios Prophetarũ) *& Sancti Propoſiti Fundatores, ut planè ſe monſtret Sacrarum Scripturarum ignarum, quicumq; ſic errat, ut dicat non eſſe jure fundatos.* Alia hujuſmodi reperiet benevolus Lector apud Patrem Danielem à Virgine Maria in Speculo Carmel. tom. 1. n. 1344. & Sylveiram ſcriptis in Evangelia toti mundi notiſſimum, Opuſc. 3. reſol. 2. Accedit etiam Venerabilis Pater Joannes Soreth vir Pietate, & Sapientia inſignis totius Ordinis Generalis anno 1450. de quo Vernerus Chartuſianus in Faſciculo temporum circa annum 1464. ait: *Vir Sanctæ vitæ, & ſingulariter Chriſto fructiferus Andegavis obiit, ubi quãplurimis nunc miraculis coruſcat.* Hic in Præãbulo Regulæ, ſic ad ſuos ſcribit: *Filii namque Prophetarum ſumus, non carnis origine, ſed operis imitatione: Elias namque cepit facere, & docere Regulam hujus Sacræ Religionis, & quidem perfectæ, ſcilicet, quo ad ſuum eſſe eſſentiale, divina revelatione doctus.* Similia dicunt, & aſſerunt Baptiſta Mantuanus, Arnoldus Boſtius, Joannes Palæonydorus, Hjeronymus Gratianus, quem Franciſcus Ribera ex Societate Jeſu in vita S. Thereſiæ lib. 3. cap. 4. nũcupat: *Virum magnum, & Sanctimonia illuſtrem.* Et ipſa S. Thereſia appellat: *Virum ægregiè doctum, ſummi ingenii, continuum omnium virtutum cultorem.* Et alii multi Scriptores Ordinis præclariſſimi, & antiquiſſimi, quos citat relatus Pater Daniel à Virgine Maria loco citato p. 2. ſynopſ. 1. Ex quibus evidenter patet unanimem, ac conſtantem in Ordine Carmelitico ſemper fuiſſe traditionem antiquiſſimam; magnum Prophetã Eliam Carmelitici Inſtituti in veteri teſtamento, & in Monte Carmeli exſtitiſſe *Fundatorem, & Inſtitutorem* cum alium numquã agnoverint. Hoc idem Petrus Corneyo eruditis in D. Thomæ Commentariis notiſſimus, Michael Mugnoz in ſuo Propugnaculo Eliæ Romæ impreſſo. Petrus Waſtellius lib. 1. Vindic. Oper. Joann. Jeroſol. Lezzana Vir piiſſimus & doctiſſimus ſcriptis notiſſimus, ac Sac. Congr. Romæ Indicis Conſultor in apparatu ſuo ad tom. 1. annal. Ord. Carmel.. Thomas Beauxamis in Evangelica armonia. Matthias à Corona Sac. Theol. Doctor Pariſ. in Opere, cui titulus *Sanctitas Eccleſiæ Romanæ in Elia Propheta Carmelitarũ Protoparente figurata.* Franciſcus Bonæſpei in utraque parte ſui Armamentarii; & alii quamplurimi quos citat relatus Pater Daniel à Virgine Maria.

CLVII. At quia extraneorum teſtimonium, & Auctoritas permaximè ad noſtrum intentum conducere non deſinunt, ideoque illos ſummatim adducere non omittimus. Joſephus igitur Antiochenus qui teſte Poſſevino in apparatu vixit anno Chriſti 130. ſic dicit: *Perfectorum Militum Chriſti Apoſtolorum Coadjutores ſurrexerunt Strenuiſſimi Viri, ſolitarii, contemplationi dediti, Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Eliſei imitatores, qui de Monte Carmelo deſcendentes per Galileam, Samariam, & Paleſtinam fidem Chriſti conſtantiſſimè ſparſerunt, quippè in Virginis Mariæ honorem in Montis Carmeli declivio fabricantes Oratorium Salvatoris Matri ſpecialiſſimè ſervierunt.* Luitprandus ſive Eutrandus Epiſcopus Cremo-

lib. de perfecta militia primitivæ Eccleſ. c. 12.

monenſis, qui floruit circa annum Chriſti 900. in Fragmentis n. 272. & 226. hoc idem adſtruit, & n. 273. ſic ſcribit: *Magna pars eorum, qui ex Judęa trajecerant in Hyſpaniam tempore Nabucdonoſoris, erat ex diſcipulis Sanctorum Eliæ, & Eliſei, & ſucceſſores illorum*. Et multa alia habet ſimilia, quæ intentum noſtrum evidentiſſimè evincunt. Sigisbertus Gemblacenſis, qui floruit ante annum 1100. in Hiſtoria Jeroſolym. apud Quintaduennas ſic ait: *Cum in ſancta pœnitentia Carmelitæ perſeveraſſent à tempore Eliæ, & Eliſei Prophetarum, tandem Chriſtum prædicantem audierunt, & proceſſu temporis per Apoſtolos baptizati ſunt*.

in lib. de SS. Tolet. p. 137.

Armachanus Hiberniæ Primas qui floruit ante annum 1400. apud Navarrum, ſic dicit: *Ut dicunt fide dignæ hiſtoriæ, à tempore Eliæ, & Eliſei Prophetarum, qui ſæpius morabantur in Carmelo, ſecretius ſolebant homines devoti inhabitare uſque ad tempora Salvatoris. Et tunc Carmelitæ prædicantibus Apoſtolis in fide ſolidati, in latere uno montis ipſius primò Eccleſiam conſtruxerunt in honorem B. Mariæ Virginis*.

de horis Can. c. 21. n. 27.

Joannes Gilemanus Ordinis Canonicorum Regularium, qui obiit anno 1487. ſic habet: *Raptus in Cœlum S. Elia Propheta Domini, & Carmeliticæ Religionis Patriarcha, &c.* & ad diem 14. Junii de S. Eliſeo dicit: *S. Eliſei Prophetarum præcipui, qui primus poſt Eliam quadraginta, & tribus annis Sacræ Religionis Carmeli Pater extitit & Auriga*. Et infra 4. Kalen. Septembris: *Decollatio S. Joannis Baptiſtæ Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ejuſdem in ſpiritu, & virtute Eliæ Pręcurſoris. Hic Vitam eremiticam ab Elia Propheta inſtitutam adhuc Puer aſſumpſit*. Et ſimilia quis reperiet apud Danielem à Virgine Maria loco ſupra citato n. 1277.

in hagiologio ad 15. & 18. Kalend. Julii

Joannes Trithemius Abbas Benedictinus qui floruit ante annum 1500. ſic dicit: *Elias Propheta Domini eximius rectè, & Catholicè Fundator Carmelitanæ Religionis dicitur, &c.*

in lib. de laud Carm. c. 2.

Gisbertus Genebrardus Vir doctiſſimus ejuſdē Ordinis ſententiam Polydori ſentientis Ordinem Carmelitarum cæpiſſe à temporibus Aymerici Præſulis Antiocheni, illam corrigit his verbis: *Sed eorum origo altius repetitur, nempè à Prophetis Elia, & Eliſeo; qui Carmelum Montem Terræ Sanctę primitus conſecrarunt, & diſcipulos illic reliquerunt, quos Scriptura Filios Prophetarum appellat*. Quæ confirmata reperies apud Benedictum Haſtenum ejuſdem Ordinis præpoſitum Affligenienſem, cujus verba refert citatus Daniel à Virgine Maria n. 1245.

in ſua Chron. l. 4. an. 1142.

Chriſoſtomus Henriquez hiſtoriographus Ciſtercienſis ſic dicit: *Certum eſt Ordinem Carmelitarum nomenclaturam accepiſſe à Monte Carmelo, unde, & originem trahit, & magnum Prophetam Eliam eſſe Patrem, & Inſtitutorem Religioſorum iſtius Ordinis*. Ferè idem aſſerit Marolus Ciſtercienſis *in Mari Oceano Religionum*, de quibus ſparſim plura R. D. Argais in ſuis tomis, quibus titulus: *Poblation Eccleſ. de Eſpaña*, Ordinis S. Benedicti. Joannes Caramuel Epiſcopus Satrianenſium doctiſſimus in Theol. Regul. diſp. 34. n. 345.

in Apol. pro Benedic. 11.
in Vita Ven. Annæ à San. Berthol.

Vernerus Rolevinck. Carthuſianus ſic dicit: *Elias Propheta, & Auriga Iſrael & Origo Ordinis Carmelitani, Eliſeo vivente rapitur*. Et ad annum poſt Chriſtum 1291. ait. *Nobiliſſima Civitas Acconenſis à Saracenis deſtruitur, ac domus Deiferę Mariæ in Carmelo ad quatuor milliaria Civitati vicina ab eis igne crematur, Monaſteriumque, Fratribus inventis in eo perfidorum gladiis trucidatis, & tunc (proh dolor!) Ordo Carmeliticus mellifluum locum ex toto perdidit, in quo à tempore Eliæ, & Eliſei Prophetarum duobus millibus viginti & uno annis perſtiterant*.

in Faſcic. tēp. ad an. 4300. ante Chr. 973

Dominicus Gravina ex præclariſſimo Prædicatorum Ordine, poſtquam oſtendit Eliam Prophetam omnium primum vitam inſtituiſſe Monaſticam, & poſt ipſum Filii Prophetarum, ſic dicit: *Permanſerunt verò hi Prophetarum Filii uſque ad tempora Apoſtolorum, ex Euſebio. Succeſſerunt enim eis illi, qui ſupra Eliæ inſtitutiones, alias ſupererogaverunt, fortè ab Eliſeo Propheta eorum Magiſtro, & Auctore acceptas,*

In Voce turt. ris par. 2. cap. 15.

Digitized by Google

ceptas, *&c.* Hjeronymus Xavier in Academia Cæſar-Auguſtana Sacræ Scripturæ emeritus Cathedraticus. Didacus Ramirez ejuſdem Ordinis, & qualificator Inquiſitionis ſupremæ, ac Viſitator Aragoniæ in lib. *Encenio-rum Matritenſium* eadem ferè habet. Uti & Juſtinus Miechovienſis *ſu-per Litan.Lauret. diſt.* 232. *n.* 6. *tom.* 2. Necnon Vincentius Baronius tom. 2. homiliar. ſerm. de S. Thereſia. Quinimò D. Thomas cenſet Eliam fuiſſe Religioſum: Nam 2. 2. q. 187. art. 2. & 6. reſoluit: *Licere Religioſis vilioribus uti veſtibus quam cæteri, & ſecularia tractare negotia ob pias cauſas*, exemplo Eliæ, & Eliſei, quos cenſere debet fuiſſe Religioſos, alioquin ipſius argumentum nihil concluderet. Petrus Valderama Auguſtinianus loquens de Carmelitarum Religione ait: *Beata Religio tua ſacra, quæ tali Patre, & Fundatore fruitur, &c.* Proſper Stellartius lib. 2. c. 13. *de Tonſuris* ſic dicit: *S. Prophetam Eliam Monachorum Patrem, & Ordinis à ſe denominati Fundatorem.* Et de S. Eliſeo ait: Quod ſublato Elia Diſcipulis: *Magno numero creſcentibus Monaſteriola fabricatus ſit.* Auguſtinus Paulettus Sac. Theol. Doctor, & Eccleſiaſtes percælebris ſermone: *In feſto Prophetæ, & Patriarchæ S. Eliæ Inſtitutoris Religionis Carmelitanæ*, inter alia hæc habet: *Elias caput, & Generalis Religionis Carmelitanæ ex Zelo divini honoris inſtitutæ*, & de S. Eliſeo paulo infra: *Quem immediatè poſt ſe conſtituit Religionis ſuę Carmelitanę Generalem.* Ubi etiam pro conſervatione Ordinis uſque ad finem ſęculi conformiter ad revelationem factam S. Petro Thomæ præclarum dat teſtimonium. Baſilius Poncius lib. 7. de Matrim. c. 1. n. 2. Ac deniq; Magiſter Gabriel Hernandez apud Joſephum Andres in ſuo Carmeli decore n. 225. Joannes Carthagena homiliographus celeberrimus Seraphici Ordinis S. Franciſci, ſic ſcribit: *Quemadmodum in ſcientiis edocendis prima earum principia non probantur, ſed ſupponuntur, tamquam lumine naturę per ſe nota; ita Prophetam Eliam primum hujus Sacrę Carmelitanę Religionis inſtitutorem fuiſſe (Beata Virgine ſpecialiter ad ejus conſervationem poſtea cooperante) primaque ejus fundamenta ad inſtar peritiſſimi Architecti jeciſſe, probatione non indigebat; cum tamquam rem notiſſimam Sancti Patres teſtentur, ſacri Pontifices ei ſubſcribant, ac diverſarum traditionum monumenta confirment; ſolum Supercilioſi negent, invidi inficientur, hiſtoriarum ignari diſcredant, &c.* Et homil. 2. ſic ait: *Accedit quod extat apoſtolicæ ſedis decretum cum Cardinalium Conſilio à Sixto V. editum, in quo cautum eſt, ut Carmelitarum Religio Eliam, & Eliſeum ſui inſtituti Patronos colat, & in eorum memoriam dies feſtos cœlebret, & propria eorum officia recitet. Certè univerſa noſtra Hyſpania non alio graviori innixa fundamento profitetur, Apoſtolum Jacobum terram ejus calcaſſe, quam quod Romani Pontifices ſpeciali officio, in quo adventus ejus in Hyſpaniam mentio fit, illum ut Patronum colendi facultatem præbent.* Franciſcus Orantius Vir doctiſſimus, & Epiſcopus Ovetenſis lib. 5. *locorum Cathol.* c. 12. & Cœleſtinus à Monte Marſano Cappuccinus id fusè etiam demonſtrat in clave David. obſervat. 79. Idipſum quoque teſtatur Ordinis Minimorum Generalis Camartus in opere cui titulus: *Elias Thesbithes ſeu de rebus Eliæ Prophetæ* cap. 5. ſec. 10. Didacus Yepes Heronymianus Philippi II. Confeſſarius, & Epiſcopus Turiaſonenſis: *In Vita S. Thereſiæ* cap. 20. Jodocus Clictoveus tom. 2. homil. ſerm. penult. *in impreſſione Colonienſi noviſſima anni* 1644. Guillelmus Eiſengrenius centuria 1. tit. *de Religionibus & Monaſtica Vita Cultoribus*. Renatus Choppinus Vir clariſſimus in ſupremo Pariſiorum Senatu lib. 1. monaſt. tit. 3. n. 15. &c. Andreas Sauſaii vir doctiſſimus, & Epiſcopus Tulenſis in Martyrologio Gallico ad diem 20. Julii. Alphonſus de Villeguas in Floribus Sanctorum 2. par. Laurentius

par. 2. fol. 50.

in teatro Relig. ſerm. de S. Elia.

tom. 3. lib. 17. hom. 1.

tius

tius Beyerlinck tom. 6. lib. 16. litt. R. verb. *Religio* pag. 248. Aubertus Miræus toti Belgio notiſſimus tract. de Origine, & increm. Ord. Carm. Item Comes Antonius Montecatinus Conciſtorialis Advocatus coram Sanctiſſimo Urbano VIII. & Eminentiſſimis Cardinalibus in publico Conciſtorio pro Canonizatione S. Andreæ Corſini an. 1629. idem affirmavit, & affirmant quamplurimi alii auctores graviſſimi, quos curioſus lector reperiet apud Danielem à Virgine Maria ſpec. Carm. tom. 1. p. 2. Synopſ. 1. Salmat. tom. 8. tract. 20. diſp. 3. Lezzanam in apparatu cap. 6. quia prolixim nimis foret, & tedioſum, ipſorum ſolum recenſere nomina.

CLVIII. Et ne quis dicat Viros iſtos graviſſimos, ac doctiſſimos antiquã iſtam Carmelitarum amplecti traditionem, non quia ex profeſſo, ſed dumtaxat per tranſennam attigerunt illam, fidentes in eo Carmelitani Ordinis Scriptoribus, unanimiter id quidem aſſerentibus, ſed ſine ſufficienti fundamento ex antiquis Monumentis ad hoc omninò neceſſariis; ideò dicimus in primis fundamentum maximum nos attuliſſe ex Summis Pontificibus, approbatis revelationibus, officiis divinis, Martyrologiis, &c. & inſuper adjungimus ſcripturas antiquiſſimas, aliaque hujuſmodi monumẽta fide digniſſima, jam à trecentis, & ultra annis in judicio contradictorio in Anglia fuiſſe exhibita, maturè examinata, & ab Univerſitate Cantabrigenſi approbata. Quæ cum cæteris, omnia Hæreticis devaſtantibus, & Religioſos uſque ad mortem perſequentibus, perierunt. Quorum vices & teſtimonium apud omnem Virum doctum, & indifferentem ſufficienter ſubit, & præbet fidem ſollemne illud Accademiæ Cantabrigenſis in Anglia celeberrimæ decretum. Cum enim in prædicta Univerſitate nonnullæ circa Carmelitarum antiquitatem moverentur difficultates, itaut inde rixæ, & diſcordiæ ſuſcitarentur, res tota delata eſt ad Univerſitatis Cancellarium Joannem de Donelhico, qui convocatis Aſſeſſoribus, aliiſq; Collegiis Univerſitatis die 23. Februarii anno 1374. utraque parte plenariè audita, ſequens edidit decretum, prout in antiquo Ordinis Speculo habetur fol. 81. tenoris ſequentis videlicet: *Univerſis S. Matris Eccleſiæ Filiis præſentes litteras inſpecturis Joannes de Donelhico Cancellarius Univerſitatis Cantabrigiæ ſalutem in Domino ſempiternam. Cum nuper &c. Nos verò Cancellarius memoratus attendẽtes præmiſſa conſona eſſe juri, & rationi, auditis rationibus, & allegationibus, viſiſque privilegiis, lectis, & examinatis una cum nonnullis aliis monumentis, & ſcripturis antiquis, de conſilio, & conſenſu diſcretorum & Juris peritorum dictæ Univerſitatis, nobis aſſiſtentium in ea parte, & per eandem deputatorum, dictum Ordinem B. Mariæ de Monte Carmeli in jure communi, ac ſpeciali confirmatum, & titulo B. Mariæ Dei Genitricis fore ſpecialiter inſignitum, ac etiam Fratres dicti Ordinis, prout ſufficienter apparuit per præmiſſa exhibita, producta, & allegata Eliæ, & Eliſei Sanctorum Prophetarum fore imitatores, ſucceſſores, cauſæ cognitione, & juris Ordine in ea parte de jure requiſitis ad plenũ obſervatis, reputamus, decidendo declaramus in his ſcriptis. Inhibentes quibuſcumque noſtris, & dictæ Univerſitatis ſubditis, ne contra has deciſionem, & declarationem noſtras in ipſorum Fratrum præjudicium, & dictæ Univerſitatis vituperium, & ſtudentium in eadem Univerſitate inquietationem, venire temere præſumat, ſub pœnis, & cenſuris noſtro, & ſucceſſorum noſtrorum arbitrio, debitè in contravenientes ferendis. in quorum omnium, & ſingulo-*

Digitized by Google

gulorum teſtimonium præmiſſorum præſentes litteras decretum noſtrum continentes, Sigilli officii noſtri appenſione fecimus communiri. Data Cantabrigiæ 23. Menſis Februarii anno Domini 1374. Quod decretum aſſerit Idelphonſus de Flores in c. 24. lib. Eccleſiaſt. nu. 1684. eſſe confirmatum à Gregorio XI. ex Thoma à Jeſu in regula Carmel. par. 1. c. 1. Hoc confirmari poteſt aliarum Academiarum teſtimonio; nam in primis Collegium Bononienſis Univerſitatis ſuper antiquitate Monachatus conſultum, reſpondit conſil. 1. (quod extat poſt Conſilia Cardinalis Zabarellæ) n. 35. in hunc modum: *Ordo Monaſticus eſt antiquior cæteris. Nam Paulus, Antonius, Hilarion, Macarius, & alii multi habuerunt vitam Monaſticam, ut dicitur, ab Eliſeo in veteri teſtamento ſeminatam*: Et Collegium Paduanum apud eundem Zabarellam conſil. 2. n. 26. dicit: *Principaliter nos movet antiquitas Monaſticæ Religionis, quam etiam apud Cænobitas, & in eodem Monaſterio ſive Cœnobio habitantes, ante adventum Chriſti variis in locis Sac. Scripturæ, & in ſcriptis Patrum, aliorumque qui antiquitates conſcripſerunt fuiſſe adinvenimus.* Quæ intelligi debent de Elia, & Eliſeo, cœteriſque Filiis Prophetarum, ac Eſſenis uſq; ad Chriſti adventum. Deindè Collegium Academiæ Ferrarienſis in eadem cauſa cõſultum idem reſpondit conſil. 3. poſt conſilia Zabarellæ n. 12. ſic dicens: *Legitur in hiſtoria tripartita monaſticam vitam habuiſſe originem in veteri teſtamento, ab Elia, & Eliſeo, & à Joanne Baptiſta in novo.* Et inferius: *Cænobitæ ſub Eliſeo videntur exorti, & à Chriſto revocati.* Prò qua ſententia refert Archi-Epiſcopum Florentinum in 2. par. 3. partis tit. 26. Eandem ſententiam docuit Baptiſta de Caccialupis Advocatus Conciſtorialis, qui in concil. 4. poſt Conſilia Zabarellæ nu. 6. ſic ait: *Conſtat etiam monaſticam Religionem, etiam apud Cænobitas fuiſſe ante Adventum Chriſti, ut legitur in lib. Eccleſiaſtic. Hiſtor. rubr. de ſignis in morte Chriſti, ubi fit mentio de S. Scharioth, qui fuit Abbas Monaſterii, & Monachorum. Et in eadem Hiſtor. ſub rubr. de tribus Sectis Judæorum, dum loquitur de Eſſenis* (qui Inſtitutum habebãt Elianum. ut vidimus) *in omnibus vitam monaſticam gerentibus.* Quibus omnibus ſubſcribit Doctiſſimus Cardinalis Tuſchus tom. 5. pratt. cõcluſ. litt. M. concl. 301. num. 7. ſic ſcribens: *Monachi fuerunt, & erant, tempore Concilii Niceni; imò etiam in veteri teſtamento, prout Eliſeus Et quod eſſent in veteri teſtamento probatur de Elia, Eliſeo, Joanne Baptiſta, & poſt in initio Eccleſiæ fuerunt.* Ex quibus manifeſtè patet Eliam, Eliſeum, Filios Prophetarum, & Eſſenos veri nominis fuiſſe Religioſos ſecundum ſubſtantiam, à quibus Carmelitę antiqui, & moderni attentis Summorum Pontificum bullis, revelationibus, viſionibus, Divinis Officiis, Martyrologiis, Kalendariis, & antiqua Scriptorum traditione, aliiſque probationibus ſuprarelatis, & infra referendis hæreditariam abſq; interruptione adſtruunt ſucceſſionem.

CLIX. Nec omittẽda ducimus graviſſimorum Societatis Jeſu Doctorum, ac Scriptorum teſtimonia, cum noſtro intento ſummopere fauere eadem recognoſcamus. Imprimis Jacobus Salianus veteris teſtamenti facilè Princeps tom. 4. annal. variis in locis Magnum Prophetam Eliam anteſignanum, ac Fundatorem fuiſſe non ſemel apertè demonſtrat, maximè ad annum mundi 3139. in Elogio elegantiſſimo, quod eidem apponit, inter alia hæc habet: *Hic eſt qui &c. Lectos Prophetarum, & Religioſorum in Carmelo, totaque Chananitide manipulos, ſui æmulos, atque imitatores Inſtituti, ad Cæleſtem vitam Mundo ignotam, ac contemptam, traducen-*

dam

Digitized by Google

dam adduxit, tot ſæculis ſuarum precum, quaſi facularum ardore calefecit, & ad hunc diem tot inter rerum, locorum, temporumque varietates conſtantes reddidit magni ſui Patriarchæ Sectatores &c. Et de Eliſeo ad an. mũdi 3204. hęc addit: *Hic eſt, qui religioſæ paupertatis theſauro dives &c. innumerabilium Religioſorum Parens, atque Propugnator &c.* Et ne benevolentiæ in Carmelitas potiùs, quam ex veritatis amore hæc dixiſſe videatur, ſubjunxit ad annum 3139. nu. 45. *At ne quis noſtrum hoc benevolentiæ potius ergo religioſiſſimum Carmelitarum Ordinem, quã veritatis teſtimonium putet, quod eos Eliæ Sanctiſſimi Diſcipulos, atque imitatores agnoſcamus; Audiat is Sixti IV. Romani Pontificis Conſtitutionem &c.* Quam verbotenùs refert addito Clementis VIII. & Sixti V. decreto. Item Jacobus Tirinus ſic habet: *Et videtur in Carmelo Prophetarum Colonia ob frequentiorem iſtic Eliæ, ac Eliſei præſentiam, & perluſtriora ibi patrata miracula, inter reliqua eorundem Cœnobia, principalem locum tenuiſſe; Undè & nomen illis adnotatum Carmelitarum. Quod idem nomen etiam in Evangelica lege, uſque eo placuit Viris, fœminiſque ſub nomine, & auſpicio Beatæ Virginis in Eccleſia Dei, hucuſque magna Vitæ Sanctitate, ac Religionis gloria militantibus, ut plurima alia ad ſpeciem nobiliora nomina, una illi poſt-habenda putarint, vel eam maximè ob cauſam, ni fallor, ut etiam ipſo ſuo nomine, palã Orbi facerent, Sacrum hunc Ordinem ſuum ab Elia, atque Eliſei diſciplina, inſtitutioneque exordium habuiſſe. Quod, & Sixtus IV. &c. & alii Cõtifices ſuis Bullis (ut hiſtoricos, & alios Auctores nunc omittam) apertè profitentur.* Et Paulus Sehentner de Carmelitarum inſtitutione ſic diſſerit: *Carmelitana Religio ex Elia Sanctiſſimo Vate, ejuſque Aſſeclis, hæreditaria quaſi ſucceſſione Originem ſuam trahit.* Ibidem etiam refert, poſteros, ac Succeſſores Sanctiſſimi Patris Eliæ tenaces arrepti ſemel inſtituti eodem in loco ſemper perſtitiſſe uſque ad Chriſti Salvatoris tempora. Et infra, quod *voluntaria Paupertate, Caſtimonia, Obedientiaque ſeſe Deo adſtrinxerint in arctius ejuſdem obſequium, auſpicaturi ſimul, & religioſæ vitæ exemplar, & daturi aliis pulchræ imitationis occaſionem.* Item Joſeph Andres in Cœſar-Auguſtano Collegio primariæ Cathedræ Theologiæ Moderator, & S. Officii Qualificator in opere, cujus titulus: Decor Carmeli, poſtquam aſſeruit Decore 34. nu. 129. ex Pontificum Bullis cum Sanchez: *Carmelitanæ familiæ Viros ab Elia, & Eliſeo hæreditariam ſucceſſionem tenere* num. 130. ſic dicit, & probat: *Sed antequam ad ulteriora præcurrat Oratio, præmittere oportet hujus tanti Carmelitani aſſerti decoris Oraculum Marianum, quod bullæ dictæ Sabbathinæ inſeruit Joannes XXII. & ratam habent firmantque in ſuis diplomatibus Alexander V. Clemens VIII. Paulus III. Pius V. & Gregorius XIII. uti licèt videre in Vinea nu.* 188. *O Joannes Joannes ipſum alloquens aſſerit Beatiſſima Virgo, iſtam gratiam, & amplam meo Sancto devoto Carmelitarum Ordini confirmationem debes præconcedere per Eliam, & Eliſeum in Monte Carmeli inchoato. Hæc Deipara Virgo nectarea cujus ex ore luculentiſſima illa, quæ Beatus Petrus Thomas Ordinis Carmelitani perſeverantiam efflagitans excepit, & aſſerta ſunt deciſ.16. à nu.44. iterum audiat, & conſideret benevolus lector; Confidito Petre Religio enim Carmelitarum in finem uſque ſæculi eſt perſeveratura, Elias namque ejus Inſtitutor olim etiam à Filio meo id impetravit. Premat, Premat, quiſquis hæc legit, Oraculum Marianum in officio à Sac. Rit. Congregatione pro eodem B. Petro approbato ad diem 29. Januarii lect. 6. contentum, iiſque, qui adverſatur ori manum imponat, ac Deiparę aſſerenti, ut par eſt, conſentiat.* Sunt & alii ejuſdẽ Societatis quampluṛimi, quos benevolus Lector reperiet apud Danielem

lib.3.Reg.cap. 17.

in Promont. Malaſpei lib. 3.§.13.

à Vir-

Digitized by Google

à Virgine Maria to. 1. ſpecul. Carm. Quibus adjungendus eſt Doctiſſimus Pater Bollandus, qui agmen claudit; hic enim ad diem 6. Januarii ſub initium ſic habet in vita S. Teleſphori Papæ: *Sub Antonino Imperatore floreſcente Eccleſiæ ſtatu, floret quoque vetuſtum prophetici, ſeu Eliani Ordinis Inſtitutum monaſticum*. Et paulo infra: *Sub hoc itaque Imperatore pacifico non tàm Chriſti fideles feliciorem aſpiciebant ſtatum Eccleſiæ, ſed & prophetici, ſeu Eliani Ordinis florebat inſtitutum monaſticum, quod vetus Carmelitarum Religio à tempore magni Eliæ Prophetæ, uſque in preſens licèt variè temperatum, hereditariam ſucceſſionem, ut plures loquuntur Romani Pontifices, continuatum ſervat.*

CLX. Sed ut magis ſupradicta corroborentur afferre non omittimus verba celeberrimi divinarum ſcripturarum interpretis Gaſparis Sanchez ſup. c. 17. lib. 3. Reg. qui cum c. 17. egiſſet de Collegiis, & Cœnobiis à Propheta Elia inſtitutis, & de Ordine prophetico ab eo inchoato n. 12. ſic ſcribit: *Hinc opinor ortum habuerunt antiquum, & nobilem, qui noſtro æuo Carmelitæ dicuntur, Viri Religionis gloria, & vitæ ſanctitate conſpicui. Quod ut credam facit non ſolum illius Ordinis, ſed etiam* (nota quæſo) *omniũ penè gentium conſtans, & perpetua traditio. Et quidem ſi ab hac mea cogitatione nihil ſtaret preter traditionem omni memoria ſuperiorem, ſatis putaretur habere præſidii, quia communis conſpiranſque conſentio* (nota) *nullo interrupta tempore eam habet auctoritatem, quam nulla niſi magna fides* (nota ly magna fides, quæ divinam innuit) *convellere, aut firmare poſſet. Sed præter traditionem, quæ ut diximus conſtans exiſtimatur, atque perpetua, ſunt alia multa, quæ ad hanc cogitationem plurimũ afferunt momenti, Doctorum nimirum, non tam ex illa religioſa familia, quorum ingens numerus, ſed extraneorum, quod longum eſſet numerare gravis auctoritas, & tam veteres, quam recenſiores hiſtoriæ, & ſacri Ordinis antiqua monumenta. Accedit ad hæc à Pontificum judicio graviſſimum pondus, qui ſacrum hunc Ordinem ab Eliæ diſciplina, atque inſtituto* (nota) *ortum habuiſſe teſtantur. Ita ſanè apertè in ſuis Bullis Sixtus IV. Julius II. Gregorius XIII. & Clemens VIII. qui dicunt Carmelitanæ Familiæ Viros ab Elia, & Eliſeo hæreditariam ſucceſſionem tenere; Hæc mihi graviſſima ſunt, nequè pauca, neque levia, quæ ſi Carmelitanæ cauſæ vindicem agerem, libens adducerem, à quibus in præſentia abſtineo; cum ne ab interpretis munere (quod longas digreſſiones non admittit) defeciſſe videar.* Audiamus nunc quid dicat ad intentum Sapientiſſimus Suarez; hic tom. 4. de Relig. tract. 9. lib. 2. c. 4. ſic ſcribit: *Eſt autem valdè recepta, & ſatis antiqua traditio, Religionem Carmelitarum à temporibus Prophetarum, & ſignatim ab Eliæ inſtitutione, ſuam ducere originem, & quaſi* (ly quaſi non ponitur in bullis Pontificum) *hæreditariam ſucceſſionem in Monte Carmelo, à quo nomen etiam accepit; quam traditionem* (nota) *ut veram ſuſcipimus. Præcipuè quia Summi Pontifices Sixtus IV. Joannes XXII. Julius II. Pius V. Gregorius XIII. Sixtus V. & Clemens VIII. in Bullis huic Ordini conceſſis, de Profeſſoribus hujus ſacri inſtituti ita loquuntur; tamquam Religionis Speculum, & exẽplar charitate fulgentes, Sanctorumque Prophetarum Eliæ, & Eliſei, & aliorum Sanctorum Patrum, qui Montem Sanctum Carmeli juxta Eliæ Fontem inhabitarunt, ſucceſſionem hæreditariam tenentes, &c. Undè Sixtus V. huic Religioni conceſſit, ut Eliam, & Eliſeum tamquam ſuæ inſtitutionis Patronos coleret, dies feſtos in eorum honorem celebrando, propriaque officia in eorum memoriam recitando, quod ipſa Religio ſtudioſè ſervat, & in ipſorum officio nomen, & ſollemnitatem Patroni Eliæ tribuit*. Hoc idem Cornelius à Lapide in 3. Reg. c. 18. ver. 42. ad quem remittimus benevolum lectorem, ut omnem ab ipſo quantum poſſumus removeamus moleſtiam, & ſolum breviter referemus quæ in c. 7. Canti-

Digitized by Google

eorum dicit videlicet: *Elias in Monte Carmelo Religioſam familiam Virorum, Deo ſervientium, qui in libris Regum Filii Prophetarum vocantur, inſtituit; Undè ab hoc Monte Religioſi Carmelitæ veluti Eliæ Poſteri nomen acceperunt, ſucceſſionem hæreditariam tenentes*. Cum noſtrum aſſertum apud Suarez ex Sacris Scripturis, & Sanctorum Patrum Auctoritatibus, magnum habeat fundamentum ad inferendum Carmelitas ab Elia ſuum ſumpſiſſe exordium, & originem nullo tempore interruptam, & talis veritas ſit omnium penès Gentium conſtans, & perpetua traditio omni memoria ſuperior, tot Doctorum tam domeſticorum, quam extraneorum gravis auctoritas, & à Pontificum judicio graviſſimum pondus, inſtitutionem hujus Ordinis per ſucceſſionem hæreditariam ab Elia, & Eliſeo decidentium: ſolum audemus dicere cum ſapientiſſimo Magiſtro Idelphonſo de Flores ſup. Eccleſ. in tract. Aſcetico, ſec. 36. 3. par. reſente ipſiſſima verba Cornelii, & Sapientiſſimi Suarez: *Continuam illam ſucceſſionem ab Elia per hanc graduum diverſitatem ductam, haud gravabor ex antiquis monumentis demonſtrare; non tam ut Carmelitis gratificer (& ſi id velim) quam vt veritati ipſi conſulam, &c.* Et id primo Pontificum auctoritate confirmatum, addit: *Et quidem vel unum ita ſenſiſſe, aut ſcripſiſſe Pontificem, ſuffeciſſet, nedum tot tamque doctiſſimos, ut nemo prorſus de veritate ambigeret*. Ergò ſi juxta ſapientiſſimum de Flores: *Nemo prorſus de hac veritate ambigere poteſt*, neutiquam nobis ambigēdi reſtat locus, quin benevolus lector circa hanc veritatem omnem prorſus non ſit removiturus ambiguitatem.

CLXI. Favet etiam noſtro intento decretum quod habetur in lib. 6. decretalium Canone 13. de Religioſis Domibus, in quo legitur: *Eremitarum autem S. Auguſtini, & Carmelitarum Ordinis, qui dictum Conciliū* (hoc eſt Lateranenſe) *præceſſerunt in ſolido ſtatu volumus permanere*; Et quāvis alii legant in *Solito*, utrumque ſemper indicat antiquitatem Ordinis. Sicut, & pariter ad intentum conducit indultum apoſtolicum Beatæ mem. Joannis XXII. in quodam Privilegio Carmelitis dato, in quo hæc producit: *Sacer Ordo veſter in Agro Domini divina diſpoſitione plantatus, & titulo Beatiſſimæ Virginis Mariæ ſpecialiter inſignitus, quem in ſtatu ſolido, ſtabili, & firmo volumus permanere, &c.* Nec à noſtro intento removendum ducimus decretum ſupremæ Inquiſitionis Hyſpaniarum, in favorē veri ſtatus Monaſtici in lege veteri, prolatū. Cum enim exorta eſſet inter ſapientiores Hyſpaniarum Theologos controverſia circa hiſtoriā propheticam eruditiſſimi Patris Franciſci à S. Maria Carmelitæ diſcalceati, utpotè continentem doctrinas (ut aliqui dicebant) legi evangelicæ injurioſas, & deprimentes Chriſti Domini, & Apoſtolorum gloriam in admiſſione veri ſtatus Monaſtici in lege ſcripta, & negantes Beatæ Mariæ ſupremum in vovendo Virginitatem primatum, fuere hujuſmodi propoſitiones delatæ ſupremo Sanctiſſimæ Inquiſitionis Hyſpaniarum Tribunali, quo audito, ſtatim prænominatus Franciſcus à S. Maria, efficaciſſimam hiſtoriæ Ordinis compoſuit Apologiam, quam cum libello ſupplici Carmelitarum Diſcalceatorum Præpoſitus Generalis, totius Religionis nomine, Catholicæ obtulit Majeſtati, humillimè illam rogando, quatenus Viros deputare dignaretur ad controverſas propoſitiones examinandas, qui non tantum in Theologis, ſed etiam hiſtoricis eſſent verſatiſſimi. Quales verè fuere deputati, & ſpecialis ad hoc inſtituta fuit Congregatio, cui ſequentes interfuere viri ſapientiſſimi; ſcilicet Doctor D. Joſeph Aragaiz, poſtea Epiſcopus Abulenſis, & Archi-Epiſcopus Granatenſis. Magiſter Joannes à S. Thoma Confeſſarius Philippi IV. & profundiſſimis ſcriptis celeberrimus. Dominus Antoninus Calderon Magiſter Sereniſſimi Principis Hyſpaniarum, & Archi-Epiſcopus Granatenſis. Petrus de Urbina Generalis Seraphicæ Religionis Archi-Epiſcopus Valentinus, & Hyſpalenſis.

Ma-

Digitized by Google

Magiſter Petrus Tapia Epiſcopus Segovienſis, Cordubenſis, & tandem Hyſpalenſis Archi-Epiſcopus ſcriptis, & Sanctitate conſpicuus. Magiſter Salmeron Generalis Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede, electus Epiſcopus Fruxillenſis. Magiſter Luiſius de Cabrera Ordinis S. Auguſtini. Doctor Franciſcus de Rixa Inquiſitor Hyſpalenſis. Doctor Rubbiñas Canonicus Magiſtralis. Magiſter Joannes Garzia, & Magiſter Gonzales. Huicque Congregationi præſidebat Dominus Ferdinandus de Caſtro, & Andrada, tunc Supremi Concilii Inquiſitor, poſtea Epiſcopus Gennenſis, & electus Archi-Epiſcopus Hyſpalenſis. Ex his igitur Illuſtriſſimis, graviſſimis viris, ac Magiſtris præfata conſtabat Congregatio, in qua propoſitiones controverſæ undequaque diſcuſſæ, & examinatæ fuerunt non ſemel, aut iterum, ſed ob continuas adverſariorum inſtantias per plures annos, & tandem anno 1639. die 9. Decembris lata eſt ſententia in favorem Carmelitarum, & declaratum eſt in ſupremo iſto Tribunali, quod ſequentes propoſitiones in libro præfati Franciſci à S. Maria impreſſæ, currere, & denvo imprimi poſſent; dummodo declaretur, prout jam declaravimus, & intelleximus: *Non fuiſſe Monachatum in lege ſcripta cum ſollenitate, & perfectione, & poteſtate clavium, ſicut in legè gratiæ; quia iſtius (in tota ſua perfectione) Auctor, & Inſtitutor fuit Redemptor Jeſus Chriſtus, & illius in lege ſcripta fuit cauſa exemplaris, & meritoria*. Propoſitiones autem ſunt ſequentes videlicet.

In lege ſcripta fuit Votum Caſtitatis, & Virginitatis perpetuæ.
Mulieres fecerunt votum Virginitatis in lege Scripta.
In lege Scripta fuit votum Obedientiæ perpetuæ.
In lege Scripta fuit Votum paupertatis voluntariæ.
In lege Scripta fuit verus Monachatus, & Religio.

CLXII. Huic ſentētiæ adverſarii, quantumvis juſtiſſimæ, acquieſcere nolentes novas allegationes, ac delationes præſentarunt, quibus præfatas propoſitiones cum nonnullis aliis accuſarunt. Undè opus fuit illas rurſum in judicio contradictorio per novos cenſores, & coram novis Judicibus examinari. Quod negotium pro rei gravitate plures conſumpſit annos. Sed tandem prædictæ propoſitiones, quæ aſſerunt tria vota ſubſtantialia, & verum Monachatum (excepta ſollemnitate, aliiſque legis gratiæ privilegiis) fuiſſe in veteri teſtamento, iterum approbatæ ſunt, & antecedens decretum de novo confirmatum eſt Matriti die 6. Martii anno 1673. in Supremo SS. Inquiſitionis Senatu, cui præſidebat Excellentiſſimus Princeps, & eruditiſſimus Vir Dominus Didacus de Valladares, & Sarmiento, Epiſcopus Ovetenſis, ac Placentinus, & in Regio, ac ſupremo Concilio Caſtellæ Præſes. Undè magis elucet maxima prædictarum propoſitionum probabilitas. Vix enim inter probabiles aliqua reperietur, cui tantæ auctoritatis extrinſecæ pondus aſſiſtat, quævè graviora habet pro ſe teſtimonia, præſertim ſi conſideremus auctoritatem, doctrinam, potentiam, & zelum eas accuſantium, qui facilè eas ſubruiſſent, ſi potentior, innocentiorque non fuiſſet illarum veritas. Sic referunt Salmaticenſes in curſu Theologico tom. 8. tract. 20. diſput. 3. dub. 2. §. 2. Et etiam conſtat ex publicis Sanctiſſimæ Hyſpaniarum Inquiſitionis in forma authentica exhibitis, à Domino Antonio Alvarez præfatæ Inquiſitionis Notario auctorizatis, & ejuſdem Supremi Tribunalis Sigillo munitis. Undè Joſeph Andres Societatis Jeſu percœlebris Alumnus, in approbatione Vitæ V. P. Fr. Michaelis à Fonte, ſic Carmelitis congratulatur. *Gratulor antiquæ, & ſemper obſervanti Religioni B. Virginis de Monte Carmelo, quod cognita jam ſit, & ad lidium lapidem affricta veritas, & veri Monachatus Eliæ, & glorioſorum ipſius Filiorum in veteri teſtamento per novum decretum S. Tribunalis Inquiſitionis in præſenti anno* 1673. Fuiſſe in lege veteri verum Monachatum, & Carmelitarum Religionem à Sa-

Digitized by Google

ſto Propheta Elia exordium ſumpſiſſe, pariter approbavit ſupremum SS. Inquiſitionis Portugalliæ Tribunal ſub die 3. Novembris anni 1670. Et ſub die 16. Januarii 1671. in libro, cui titulus: *Primatus, ſeu Principatus Eliæ*. Et cum hæc materia tot Sapientiſſimorum Qualificatorũ examine, ſcrutinio, ponderataque cognitione, & doctrina pro Carmelitis favorabilitèr deciſa ſit, non ſemel, ſed iterum anno videlicet 1639. & anno 1673. in ordine ad tria Vota, eſſentialiter, & ſubſtantialiter verum Monachatum, & Religionem conſtituentia, in lege gratiæ intuitu Chriſti in genere cauſæ efficientis, & in omnimoda perfectione, cum ſollemnitatibus, & poteſtate Clavium; in lege vero veteri ejuſdem Chriſti intuitu tamquam cauſæ exemplaris, & meritoriæ, præciſis ſollemnitatibus, & poteſtate clavium, præſens inquam materia jàm tranſiit in rem judicatã, & quamnam vim habeat res judicata, dicant Juriſconſulti, qui hujuſmodi materiam ſatis ſuperque callent, maximè cum fuerit ad forum contentioſum deducta, & perallegatis utriuſque partis rationibus, & fundamentis, eiſque cognitis, ac maturè ponderatis, in Carmelitarum favorem, deciſa, ac deffinita, in enarrato Supremo Tribunali per duos præclariſſimos, doctiſſimoſque, & omnibus Hiſpaniæ Regnorum notos in utroque jure Præſides, ad quos ſingulariter ſpectat conſimilia Decreta educere, publicare, & ad Eccleſiarum Januas affigere, deciſionibus, & propoſitionibus ſupra adductis, Vota Caſtitatis, Obedientiæ, Paupertatis, & verũ in lege ſcripta Monachatum, & Religionem adſtruentibus, præciſis tamẽ ſollemnitatibus, & poteſtate Clavium.

LXIII. Accedit tandẽ ad corroborandum noſtrum intentum pacifica poſſeſſio, qua Carmeliticus Ordo præfato ab Elia exordio hæreditariaque ſucceſſione, quacumque interruptione, quantumvis minima ſemota, tali Patriarcha, ac antiquitate gaudet, non per centuriam, aut ſœculum, ſed per plura ſœcula, & centurias, cum nullus ex Carmelitis tot ſœculorũm decurſu extiterit, qui de hac veritate dubitaret, omneſque firmiter credãt, inſtitutum, quod colunt, à magno Propheta Elia exordium, ac originem ſumpſiſſe, eumque tamquam ſuum Patrem, ac Patriarcham in Officio divino ſæpè à Sac. Rit. Congregatione approbato, trutinato, examinato, & à Summis Pontificibus confirmato colant, & revereantur, ac uſq; ad aras colent, & venerabuntur tamquam legitimi Filii; Itaut etiam ex jure civili vera extet pro Carmelitis præſcriptio, ac uſucapio; nam ſi exceptioni præſcriptionis, temporis quidem, cujus initii memoria non extat, inniti volumus; noſcent certè omnes cum Modeſtino Uſucapionem eſſe *adjectionem dominii per continuationem poſſeſſionis temporis lege definiti*. Et licèt Præſcriptionem ab Uſucaptione differre vulgariter aliqui credant, ducti ex eo, quod Uſucapio ſit rerum mobilium, præſcriptio verò immobilium; diſcrimen tamen hujuſmodi definitione uſucapionis tradita Ulpiano planè ſubvertitur; Ait enim Ictus in fragmentis: *Uſucapionem eſſe adeptionem dominii per continuationem poſſeſſionis, anni, vel biennii: Rerum mobilium anni, immobilium biennii*. Quinimò eodẽ pariter modo à Modeſtino Vſucapionem deſcriptam fuiſſe exiſtimat Joannes Borcholten, verum à Triboniano definitionem Vſucapionis traditam à Modeſtino fuiſſe immutatam; *Et ubi Modeſtinus ſcripſerat per continuationem anni, vel biennii, ſcripſiſſe Tribonianum, per continuationem poſſeſſionis temporis lege definiti*. Rectius ergò ſolertiſſimus Alciatus (*in* l. quinquepedum Cod. finium regund.) *Præſcriptio* (ait) *eſt veluti quidam fructus, & effectus uſucapionis, nempè peremptoria illa exceptio, quæ ex jure efficaci, translato à priori Domino in uſucapientem, ipſi Domino reliquias ſuperioris auctoritatis intendenti, ejus depellendi gratia proponitur*. Ità ergò præſcriptio pertinet præcipuè ad jus excipiendi, adeo quidem, ut præſcriptionis voce antiquiores Juriſconſulti, ut plurimũ pro excep-

l. 3. ff. de uſurp. & uſuca.

tit. 19.

Inſtit. lib. 2. tit. 6. pag. 136

exceptione perpetua uſi fuerint, ut ex dicta l. quinquepedum, atq; etiam aliũdè deducit Mynſingerius. Attamen in rei veritate inſpecta Uſucapio, & Præſcriptio eſt à Jure civili introducta, ſcilicet propter bonum publicum ex teſt. in l. 1. ff. de Uſucapionibus; quod bonum publicum verſatur circa duo: primo ne dominia rerum diù vel ſemper remaneant ſub incerto, ut in dicta l. 1. Secundo, ut litium aliquis ſit finis l. finali, ff. pro ſuo. Quod indicant verba Tullii pro Cecinna Uſucapionem ita explicantis, eſſe, ſcilicèt: *Finem ſollicitudinis a periculo litium*, ut docet Franciſcus Balduinus, qui etiam apud Platonem 12. *de legibus* extare obſervat ejuſmodi legem præſcriptionis, quamvìs nonniſi rerum mobilium. Quoniam ergo bono publico uſucapio introducta eſt, hinc ipſa: *Non ſolum nô iniqua, ſed ut juri naturali non adverſa eſſe videtur*. Ut benè notat Straucchio. Et quidem rectè; neque enim Novellam IX. ubi uſucapio dicitur: *Impium præſidium* authenticam eſſe cenſent Doctiores; Qui enim jura impium præſidium ſuggeſſiſſent, ſi jam pridem de ſe, deque cœteris jurium civilium conditoribus cautionem dederat Magnus Papinianus, quippè dicens (l. filius ff. de condit. Inſtit.) *Quę facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, & ut generaliter dixerim, contra bonos mores ſunt, nec facere nos poſſe credendum eſt*. Rectè ergò *in communium opinionum* album retulit Baptiſta Villalobos: *Præſcriptionem eſſe jus quoddam, ex tempore congruens, legum auctoritate vim capiens, negligentibus pœnam inferens, & finem litibus imponens*. Igitur uſucapione, atque præſcriptionis acceptione dominium nobis acquiritur, non directum tantum, nec tantum utile, ſed omninò plenum. Præterquamquod diviſio hujus dominii in directum, atque utile magno Interpretum mœrore introducta eſt; Siquidem ut benè docet Cujacius, *Dominiũ proprie nihil aliud eſt quam proprietas*. Quod idem reſpexiſſe videtur Neratius (l. ſi Procurator ff. de acquir. domin.) Ratum etiam, firmumque eſt in jure, teſte Duareno, *verum, juſtum, rectumvè Dominium acquiri uſucapione, ſine ulla rerum diſtinctione, ſivè res ſint mobiles, ſive immobiles*. Verùm poſſeſſio, quam quidem formam eſſe dicunt uſucapionis, & per cujus continuationem plenum dominium nobis acquiritur eſſe debet juſta; & ut juſta ſit duo requiruntur, unum eſt, ut poſſeſſio juſto titulo acquiratur, alterum verò, ut acquiratur bona fide: Siquidem, *nullo juſto titulo præcedente, poſſidentes ratio juris quærere dominium prohibet* (l. nullo juſto C. de rei vindic.) Duplex autem eſt hujuſmodi titulus, nempè vel generalis, vel ſpecialis: generalis vocatus *pro ſuo*, qui quidem titulus ad omnes omninò ſpecies poſſeſſionis acquirendæ aptari poteſt, qui propterea ſolus ad uſucaptionem non ſufficit, niſi adſit aliquis ex ſpecialibus titulis, ut puta ex illis, quos proximè poſt titulum generalem de uſucapionibus collocarunt digeſtorum compilatores, nempè titulus, vel pro Emptore, vel pro Hærede, vel pro Donato, vel pro Derelicto, vel pro Legato, vel pro Dote; Titulo enim deficiente, deficit juſta poſſeſſio, & deficiente juſta poſſeſſione, deficit uſucapio, ut inquit Hermanus Vultejus, *& ſi poſſeſſio ſit facti, non tamen propterea debet eſſe à jure remota, quod fieret, ſi ſine titulo poneretur*. Hæc de titulo.

Inſtit. lib. 2. tit. 6. pag. 127

Inſtit. lib. 2. tit. 6. pag. 207

ad jus Juſtin. diſſert. 8. §. 3.

Cōmun. opin. litt. P. §. 197.

Obſerv. lib. 10. cap. 16.

in ff. de Uſurpat. & Uſucap. cap. 5.

Inſtit lib. 2. cap. 6. pa. 208

CLXIV. Hunc de bona fide ſermo eſt nempè eũ bona fide poſſidere, qui rem ſibi juſto titulo acquiſitam fuiſſe, firmiter credit, & ſine ulla animi hæſitatione; nam bona fides debet eſſe conſcientia omninò ſyncera. Ubi quidem notandum eſt, quod veteri jure in præſcriptione 10. vel 20. annorum, ſpecialis titulus non requirebatur, ſed ſufficiebat longi temporis exceptio, neque enim ex illa præſcriptione acquirebatur dominium (l. ſi quis diuturno, ff. ſi ſervitus vindicetur) multoque minus in præſcriptione 30. vel 40. ann. opus erat titulo; nam ut refert Dinus *etiam Fures tanto tempore præſcribebant*. At verò jure novo, niſi poſſeſſio ſit temporis, cujus initia

in cap. 2. nu. 6. de reg. jur. in 6.

initia memoriam hominum antecedant; ad præſcriptionis exceptionem ſpecialis titulus eſt ferè ſemper neceſſarius. Atque jure canonico, cui quidem hodiè hac in re jus civile faſces ultro ſubmittit, non modò ad temporis longiſſimi, verum etiam ad temporis, ſupra hominum memoriam decurſi, præſcriptionem, bona fides, ex juſto titulo progenita, neceſſaria eſt; atq; ita teſte Mynſingerio ſtatutum eſt in Camera Imperiali; adeò quidem ut ad præſcriptionem cujuſcumque demum temporis, atque generis illa ſit, tria ſemper requirantur (ut poſt Baptiſtam à Villalobos monet Fichardus) nimirum *titulus, bona fides, & poſſeſſio*: Idque (ut ipſeidem refert ex Vaſquez) *omnes veluti notiſſimum juris elementum tradere ſolent*. Ex quibus omnibus jam benevolo Lectori non admodũ difficile erit conjecturare quorſumnam tendat hæc ſemita de Uſucapionibus, & præſcriptionibus. Quidni etiam minus benevoli, Carmelitarumque Religioni neutiquam affines, ex ſola præſcriptionis acceptione repelli poterunt. An Poſſeſſio, quam quidam uſucapionis formam eſſe aſſerunt, & per cujus continuationẽ plenum acquiri dominiũ affirmãt Juriſconſulti in Carmelitis aſſerentibus à Magno Propheta Elia ſuam trahere originem, & ab ipſo per hæreditariam ſucceſſionem nullatenus interruptam deſcendere, juſta ſit nec ne, videre eſt ex his, quæ ad juſtam poſſeſſionem requiruntur, *titulo*, ſcilicet, & *bona fide*; Juſtus namque titulus, non tam generalis, *pro quo* ſcilicet, quam ſpecialis pro *hærede* videlicet Carmelitis deficere neutiquam videtur, cum canant Summorum Pontificum Bullæ, & in ſpecie Sixti IV. Diploma: *Ordinem Beatæ ſemper Virginis Mariæ de Monte Carmelo, ejuſque Profeſſores Sanctorum Prophetarum Eliæ, Eliſei, & Enoch, necnon Sanctorum aliorum Patrum, qui Montem Sanctum Carmeli juxta Eliæ fontem habitarunt ſucceſſionem hereditariam tenere*. Nullo Carmelita dubio, ſicut nec dubia fuere Pontificis verba, cum poſitivè, & ſpeciali tenore loquatur Summus Pontifex de Carmelitarum Ordine, cujus titulus ſpecialis eſt, & diſtinctus ab omni alio Sacro Religioſorum inſtituto; Nam ubi alia ab Elia dicuntur per imitationem, Carmeliticum dicitur eſſe ab Elia per hæreditariam ſucceſſionem, & ſpiritualem generationem, à tempore, cujus initia memoriam hominum antecedunt, ut fatentur ſuprarelatæ litteræ Summo Pontifici ab Achon Orientis Civitate ſcriptæ, in quibus legitur: *Credimus enim vos non ignorare Pater Sancte: qualiter Ordo Fratrum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, qui inter cæteras Sacras Religiones Apoſtolicæ Sedi devotas, claret devotione conſpicua, fuit in Ciſmarinis partibus à tempore cujus non extat memoria*. Nec deficit pariter Carmelitis bona fides; Nam talem à Magno Propheta Elia hæreditariam ſucceſſionem juſto titulo ipſis acquiſitam eſſe firmiter credunt, & ſine ulla animi hæſitatione; conſcientia enim omninò Syncera, Semoto quocumque dubio, aut hæſitatione ſuam ab Elia ſucceſſionem affirmant, fatentur, ac propugnant, ac pro aris, & focis ut veri Eliæ filii propugnare intendunt, cum hoc idem fateantur eximia Carmelitici inſtituti Sanctitatis luminaria, approbent, & confirment Summorum Pontificum Bullæ, divina officia terque, quaterque examinata, revelationes, apparitiones, Kalẽdaria, Traditiones, cœteraq; ſuprarelata teſtimonia; Igitur ſi ad præſcriptionẽ, & uſucapionem juxta Baptiſtam à Villalobos, & Ficardum, *Titulus, Bona fides, & Poſſeſſio*, requiruntur, cum Carmelitarum Ordo tot annorum centuriis extet in poſſeſſione, titulo ſpeciali omni prorſus animi hæſitatione ſemotâ, ſuæ hæreditariæ à Magno Propheta Elia ſucceſſionis, jus præſcriptionis, & uſucapionis eidem competit, ac debetur; Undè ſi juxta relatum Baptiſtam à Villalobos: *Præſcriptio eſt jus quoddam ex tempore congruens, legùm auctoritate vim capiens; negligentibus pœnã inferens, & finem litibus imponens*; Jam circa Carmelitarum hæreditariam ab Elia ſucceſſionem omnes litigiorum aditus

Coment. ſpin. lit. P. §. 203.

præ-

Digitized by Google

præcludendi ſunt, maximè cum dicat Ulpianus l. 11. ff. de hæredit. petit. *pro harede poſſidet, qui putat ſe haredem eſſe*: Nimirum (l. 33. §. quod vulgo ff. de Uſucap. & Uſurpat.) *Si juſtam cauſam habuerit exiſtimandi ſe haredem eſſe*. Ait enim Duarenus. *Poſſidere pro harede in petitione hareditatis accipimus eum, qui contendit ſe haredem eſſe, quamvis forte hares non ſit*. Atque: *Si juſta erroris cauſa interveniat, uſucapit is, qui putat, ſe heredem eſſe, etſi heres non ſit*. Et Cujacius inquit: *Pro herede uſucapit, qui juſtam cauſam habuerit exiſtimandi ſe heredem eſſe*. Igitur cum Carmelitæ non tantum putent ſe hæredes eſſe, & non tātum juſtam cauſam habeant exiſtimandi ſe hæredes eſſe, ſed firmiter credant ſe eſſe hæredes, & bona fide, ſincera conſcientia, ac titulo juſto, & pleno poſſideant intuitu Eccleſiæ, & approbatione Religionis utriuſque Familiæ, digni ſunt relatæ ſententiæ Baptiſtę à Villalobos: *Preſcriptionem* ſcilicet *eſſe jus quoddam ex tempore congruens, legum anctoritate vim capiens, negligentibus pœnam inferens, & finem litibus imponens*. Necnon ſententia Alciati aſſerentis, quod *Preſcriptio eſt veluti quidam fructus, & effectus uſucapionis, nempè peremptoria illa exceptio, quę ex jure efficaci, translato a priori Domino in uſucapientem, ipſi Domino reliquias ſuperioris anctoritatis intendenti, ejus depellendi gratia proponitur*. Quocirca ſi pręſcriptionis voce antiquiores Juriſconſulti exceptionem perpetuam intelligunt, cum Carmelitarum Religio pręſcriptionis, & uſucapionis jure à tempore cujus non extat memoria potiatur, damnandi veniunt Perturbatores antiquitatis Carmelitıcę Religionis, deciſę in Supremo Apoſtolico Tribunali Hyſpanico, & Luſitano, necnon in Univerſitate Cantabrigenſi per Juriſconſultos ſententia ſuprarelata in favorē Carmelitarum, ex communi utriuſq; juris Doctorum aſſenſu, atque adeo hæc eorum à Magno Propheta Elia deſcendentia, hæreditariaque ſucceſſio jam tranſiit in rem judicatam, ſententiaque diffinitiva prolata tam in condemnando, quam in abſolvendo imponit finem controverſiæ, & liti, & ex tali ſententia oritur exceptio litis finitæ, l. 1. & ibi Gloſſa ff. de jurejurando. Jaſon in l. inter Pares num. 11. in fin. ff. de re judicata, & eſt vulgatum axioma quod ſententia facit dè albo nigrum, & de nigro album. Baldus in cap. noſtri de electione. Qua de re ſententia tranſacta in rem judicatam pręſumitur juſta, præſumptione juris, & de jure, quę non admittit probationem in contrarium l. fin. C. arbitrium tutelæ. Gratianus diſcept. Forenſ. cap. 403. n. 1. Et quid importet res judicata in Apicibus juris, judicet S. Sedes, & Juriſconſulti, & Theologi doctiſſimi doceant.

in tit. 5. lib. 41. Pandect.

ad li. 3. ff. pro harede.

CLXV. Quomodo ergo impius Witcleff, invidens Religioni toti perfectæ antiquitatis titulos, in Fratribus Carmelitis libro de Eccleſia, & Mēbris ejus cap. 6. dicere audebit: *Carmelitę inquiunt, cum ante Incarnationem Domini fundati, & Beatam Virginem Patronam habeant ſingularem, patet eorum Excellentia ſuper cunctos. Nam, ut fingunt, Elias fundavit eos in Monte Carmelo, tamquam Filios Prophetarum, ſequitur etiam Fratres Beatę Virginis debent dici?* Et quia dicit *Carmelitę* hoc *inquiunt*, certè præjudicium infert teſtimonio Carmelitæ. Quocirca nolumus, quod dicat cum perfidis Judęis; *Tu de teipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non eſt verum*. Teſtetur igitur amicus Armachanus *in ſerm. de Concept. Virg. Marię*, quem prædicavit anno Domini 1342. in Conventu Carmelitarum Avinione, & habet exordium, *Ave*, & audiat Witcleff Armachani teſtimonium: *An non merito* (inquit) *dicimus illi AVE, quę ſic erat illuſtrata virtutibus in Origine? Utique hanc illuſtrationem in ſuo Ortu hic Sanctus, ac peculiaris, & antiquus Ordo ſuus Barmelitarum pratendit in habitu: qui hoc feſtum ipſius ſingulariter ſollemnizat, candorem habitus ſui, ut exiſtimo prudenter, & devo-*

tè

tè referens ad hoc factum. Miramini forſan, quia dixi Ordo ſuus peculiaris, & antiquus cum veritate attenta nullatenus ſit mirandum; quoniam, ut dicunt fide digne hiſtorie (nota) *à tempore Elie, & Eliſei, qui ſapius morabantur in Monte Carmelo juxta Nazareth Civitatem Domine noſtræ ad tria milliaria, ſolebant homines devoti ſecretiùs habitare uſque ad tempora Salvatoris: Et tunc illi Eremite predicantibus Apoſtolis, inter cæteros ſunt converſi, & in uno latere Montis ipſius primo Eccleſiam, ſive Oratorium in honorem Beatę Virginis conſtruxerunt in loco illo, ſcilicèt in quo didicerant ipſam in vita ſua cum ſodalibus Virginibus cohabitaſſe. Et ob hoc nimirum inter omnes Religioſos Domine Noſtrę primitus ſunt adſcripti, ut vocarentur Fratres Beatę Marię de Monte Carmelo. Quia inſuper in principio naſcentis Eccleſie in partibus illis predicando Evangelium ſollicitiſſimè laborarunt, & conſeqnenti tempore à Joanne Jeroſolymitano Patriarcha regulam vivendi communiter Sanctorum Paulini, & Baſilii ſuſceperunt, & meritò gaudent prę cæteris Ordinibus antiquitatis honore. Undè rationabilitèr hic Ordo propter hanc prerogativam duplicem ab omnibus in magna reverentia eſt habendus.* Quid ad hæc Witcleff? Audiat tunc Waldenſem: *Tacent Carmelitæ, dum talis, ac tantus teſtis magnus indubiè Præſul Eccleſiæ, & Vir altæ peritiæ in ſacris litteris teſtimonium perhibeat Carmelitis Ordinem ſuum dixerat, dum Virginem Sacram commemorat, & primo omnium illi Virgini dicatũ, & in cubiculo illo Virginis poſt ejus Obitum monaſticè converſantem: Qui à Prophetis Sanctis Elia, & Eliſeo prius incæpit, poſt Salvatoris Adventum cum Apoſtolis in Evangelio ſollicitiſſimè laboravit, à Joanne Patriarcha Jeroſolymitano primò Carmelita regulam vivendi grecè ſcriptam accepit, quam pleniore poſt* (nota) *ſub Alberto itidem Patriarcha forma digeſtam inſpexit*. Et adhuc audebit relatus Witcleff Sacrum Eliæ inſtitutum, quod Carmelitæ profitentur, novellam nuncupare vanitatem? Audiat Divum Bernardum ſic loquentem: *Ad Dei gloriam, & magnam Coronam veſtram, & gaudium omnium bonorum, hoc ſanctę novitatis inſtauretur ornamentum. Novitatem verò dico propter linguas nequam (à quarum contradictione abſcondat vos Deus in abſcondito faciei ſue) hominum impiorum, qui cùm manifeſtum lumen veritatis obnubilare non queunt, de ſolo novitatis nomine cavillantur veteres ipſi, & in veteri mente neſcientes nova meditari, utres veteres non capientes vinum novum: quod ſi eis infunderetur, rumperentur. Sed hęc novitas non eſt novella vanitas. Res enim eſt antiquę Religionis perfectę fundatę in Chriſto, antiqua hęreditas Dei à tempore Apoſtolorum premonſtrata. Jamque novę gratię ſole exorto in Joanne Baptiſta, inſtaurata, & innovata, ab ipſo Domino familiariſſimè cœlebrata: ab ejus Diſcipulis ipſo preſente concupita*. Et infra. *Poſt Paſſionem verò Domini, calente adhuc in cordibus Fidelium effuſi ſanguinis ejus recenti memoria, ſolitariam hanc vitã eligentibus, paupertatẽ ſpiritus ſectantibus, & in ſpiritualibus exercitiis contemplatione, pingue otium alterum in alterum zelantibus, deſerta repleta ſunt. Ex quibus legimus Paulum, Macharium, Antonium, Arſenium, & alios quoque plures in ſancta hujus converſationis regula conſulares Viros, egregia nomina in Civitate Dei, & triumphales titulos habentes de victoria ſæculi, & Principis hujus mundi, & corporis ſui, de cultu animi, & Domini Dei ſui. Sileant ergò qui in tenebris de luce judicantes; nos arguunt novitatis ex abbundantia malę voluntatis, ipſi potius arguendi vetuſtatis, & vanitatis*. Audiat pariter Divum Hjeronymum hoc idem affirmantem: *Habet unumquodque propoſitum Principes ſuos; Romani Duces imitentur Camillos, & Fabritios, &c.*

Epiſt. ad Fratres de Monte cap. 1.

Epiſt. 13. ad Paulinum.

&c. & ut ad noſtra veniamus: Epiſcopi, & Presbiteri habeant ad exemplum Apoſtolos; &c. Nos autem habeamus propoſiti noſtri Principes, Paulos, Antonios, Hilariones, Macarios; & ut ad auctoritatem ſcripturarum redeam, noſter Princeps eſt Elias, Prepoſitus noſter Eliſeus; noſtri Duces Filii Prophetarum. De his ſunt, & Filii Rechabitæ.

CLXVI. Conſtat igitur ex ſupra adductis Carmelitarum inſtitutum quo ad Eſſentiam, & Subſtantiã ſtatus monaſtici, ſuum ab Elia Propheta ſumpſiſſe exordium in Nubecula parva, quam in ſeptima vice vidit de mari aſcendentem, & quaſi veſtigium hominis præſeferentem, Deiparam Virginem tamquam veram cauſam exemplarem, finalem, & meritoriã præfati monaſtici inſtituti, contemplante, perpetuamque Virginitatem in Monte Carmelo, qui Mons dicitur Circumciſionis, Deo vovente, ac ſe movente quocumque eum ferebat Voluntas ſcilicet Dei, omnibuſq; trãſitoriis, ac mundanis rejectis, perpetuam paupertatem obſervante, in quibus verus quo ad eſſentialia, & ſubſtantialia conſiſtit monachorũ ſtatus, præciſis ſollemnitatibus, & poteſtate clavium. Quem ſtatum uſque ad ejus raptum ſecutus eſt ipſe, & Puer ejus, Cœtus ſcilicet Prophetarũ. Conſtat etiam ſub Eliſeo ejus diſcipulo talem ſtatum fuiſſe notabilitèr propagatum, cum Prophetarum Filii, Eliani inſtituti Sectatores ad Eliſeum accedentes dixerint: *Ecce locus iſte* (Carmelus ſcilicet) *nobis anguſtus eſt, eamus uſque ad Jordanem, & tollant Singuli de Silva materias ſingulas, ut ædificemus ibi nobis locum ad habitandum*. Quorum votis annuens, reſpondit, *ite, & abiit cum eis*. Conſtat pariter hoc Eliæ, & Eliſei Inſtitutum amplexatum fuiſſe à Rechabitis cum Jonadab Eliſei diſcipulus, filius Rechab, Currus ſcilicet Iſrael, hebraicè dictus *Recheb*, præcepiſſet Filiis ſuis, ſpiritualibus ſcilicet non temporalibus, quod à vino ſe abſtinerent, extra Urbes habitarent, non ſererent, nec vineas plãtarent &c. Quibus Deus promiſit, utpotèquia præcepta Patris ſui obſervaverunt, quod non deficeret in ſempiternum Vir de ſtyrpe ejus, ſpirituali ſcilicet in conſpectu ſuo. Hoc pariter Eliæ, Eliſei, & Rechabitarum Inſtitutum ſecutos eſſe Eſſenos, ſeù Eſſeos, aut Aſſideos patet ex Philone, Joſepho Hebræo, Solino, Plinio, Caſſiano, & aliis, quorum Eſſenorum religioſam, & monaſticam vitam diffusè, & clarè deſcribunt, de quibus non eſt difficultas, quod perpetuam Deo dicaverint Virginitatem, cum præfati Scriptores eximii loquantur de Eſſenis, qui tertium philoſophiæ genus obſervabant, & Rechabitarum Inſtitutum amplexati ſunt abſque deviatione à vera fide, ad diſtinctionem Saduceorum, Phariſeorum, & Samaritanorum ab Eſſenis Eliæ inſtitutum ſectantibus, de quibus ſupra ſæpè ſæpius locuti fuimus, & de quorum numero fuit Joannes Baptiſta. Conſtat pariter Joannem Baptiſtam Præcurſorem Domini, *qui venit in Spiritu, & virtute Eliæ*, & utriuſque teſtamenti veteris, ſcilicèt & novi tetigit confinia, eaque colligavit, monaſticum Eliæ, Eliſei, Rechabitarũ, & Eſſenorum inſtitutum ſecutum fuiſſe, imò in lege evangelica ſtatus monaſtici Principem extitiſſe, ut colligitur ex quãplurimis auctoritatibus Sanctorum Patrum à nobis ſupra relatis. Conſtat itidem Monaſticum Eliæ ſtatum fuiſſe à Chriſto in lege gratiæ collaudatũ, ac in omnimoda perfectione inſtitutum cum ſollemnitate, & poteſtate clavium in genere cauſæ efficientis; in lege verò veteri in genere cauſæ exemplaris, & meritoriæ, magno Propheta Elia efficiente in Chriſto, ſub Chriſto, & per Chriſtum, ut cauſa ſecunda; Deo inſpirante, & efficiente, ut cauſa prima, mediis auxiliis ſufficientibus, & efficacibus ad conſilia Evangelica opere exequenda propter Regnum Cœlorum, vitamque æternam conſequendam; in quocumque ſtatu perfectionem conferre intendens. Ait enim noſter Sapientiſſimus Waldenſis: *Quia legi Chriſti perfectæ nihil deeſſe potuit, quoniam Chriſtus* (nota) *perfectionem* *intu-* *tom. 1. doc. Fid. lib. 3. art. 1. cap. 6.*

Digitized by Google

intulit in quocumque ſtatu, ſtatum etiam monachorum, & Religionem perfectorum approbare decrevit in principio naſcentis Ec-
ad Hebr. 12. *cleſiæ, juxta illud Apoſtoli Pauli ad primævos credentes Gentis Hebræorum: Pacem ſequimini cum omnibus, & Sanctimoniam ſine qua nemo videbit Deum, contemplantes ne quis deſit gratię Dei. Non eſt enim minima gratiarum contemplari beneficia divina. Ne ergo gratia contemplationis deeſſet Eccleſiæ, contemplativos Viros, quos* (nota) *Sancti Spiritus incenſio prius inſtituit, ipſa ſupplevit, & perpetuitatis munus, quod ipſi ex ore Dei promiſſum ſub corruptibili lege Filiis Jonadab non accepit, futuræ proximæ fidei*
Ad Hebr. 7. *Chriſti æterna* (nota) *ſucceſſione percepit. Sic enim probat Apoſtolus æternum Sacerdotium ſecundum Ordinem Melchiſedech, ſolum impletum in Chriſto. Christus enim circulus perfectus eſt, in quo rota legis olim colliſa* (nota) *perfectionis integritatem* (non dicit eſſentiam) *accepit. Non tamen fuiſſet rota illa juxta Ezechielis viſionem tanta admiratione digna, niſi fuiſſet impreſſa rota in medio rotæ. In medio ſcilicet Religionis Phriſti publicæ, inſerta Religio vitæ perfectæ. Nam veterana Patrum Religio tàm Rechabitarum, quàm Prophetarum* (ſupple Eliæ, & Eliſei) *in ſolis tabernaculis colebant ſolitudinem, in ſignum peregrinationis ſuæ, & inſtitutionis nondum formatæ.* Nam licet in lege ſcripta Prophetarum, Rechabitarum, eorumque ſucceſſorum peculiare Religionis inſtitutum fuerit verè tale quo ad ſubſtantiam, & eſſentiam, nimirum quo ad tria eſſentialia, & ſubſtantialia Religionis vota, non tamen erat perfectè, & plenè formatum cum omnimoda videlicèt perfectione ſollemnitate, & poteſtate clavium, hoc enim habuit in lege gratiæ, & primordiis naſcentis Eccleſiæ à Chriſto in genere cauſæ efficientis, juxta illud
tit.6. §.4. Divi Antonini de Diſcipulis Eliſei, ità ſcribentis: *Fuerunt renovati à Chriſto, qui Diſcipulos habuit pariter habitantes, & in communi viventes.* Et juxta Divum Iſidorum lib. 2. de offic. c. 15. & Divum Bernardum lib. *ſuo de Amore* ultra medium loquens *de Vita Clauſtrali.* Ac tãdem juxta noſtrum Waldenſem loco ſupracitato, in quo de Apoſtolis, & de Religione perfecta à Chriſto inſtituta ſermonem habens clarè demonſtrat contra Witcleff, Religionem perfectam incępiſſe à Chriſto, & à principio naſcentis Eccleſiæ, & non trecentis annis poſt Aſcenſionẽ Chriſti per hæc verba: ***Ecce Clauſtralis Religio, quæ non à ſemetipſa, ſed à Sanctis Apoſtolis, & Sanctis Fidelibus contemporaneis ejus ſumpſit*** (nota) ***Patrocinium. Undè forſan non omnes iſta tunc temporis facientes Religioſi clauſtrales erant, ſed omnes habentes iſta ſub voto, & ex toto Sacrificantes ſe Deo, & voluntates, & corpora, quales multos tunc fuiſſe non eſt dubium.***

CLXVII. Conſtat igitur ex Divo Iſidoro, Bernardo, Antonino, aliiſq; Sanctis Patribus, eximiiſq; Scriptoribus in lege veteri verũ extitiſſe Monachatũ quoad ſubſtantiã, & eſſentiã, cujus cauſa exemplaris, & meritoria fuit Chriſtus prævifus, ut futurus ab Elia in nubecula parva aſcendente de mari, & veſtigium hominis præſeferente; quem poſtea ſtatum in omnimoda ſua perfectione cum ſollemnitate, & poteſtate clavium inſtituit ipſe Chriſtus in primordiis Eccleſiæ naſcentis in genere cauſæ efficientis, atq; adeo in lege veteri Fideles in Deum, & Chriſtum futurum credentes, nõ elicuiſſe opera ſolummodo propter finem carnalem, temporaleſque divitias, ve-

rum

rum etiam propter Regnum Cœlorum, vitamque æternam, ut ipſis practicè poſſibilem, & aſſequibilem in Chriſto, ſub Chriſto, & per Chriſtum. Divina namque Providentia in vinea ſua, ſeu eccleſia à tempore Adam ſive Seth uſque ad ultimum, qui naſciturus eſt, ſemper eadem fuit, & ęqualiter ſe habuit, ut optimè explicat Divus Gregorius ad illa verba: *Simile eſt Regnum Cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo manè conducere Operarios in Vineam ſuam*; inquiens: *Regnum Cælorum homini patrifamilias ſimile dicitur, qui ad excolendam vineam ſuā operarios conducit. Quis vero patrisfamilias ſimilitudinem rectius tenet, quam Conditor noſter, qui regit, quos condidit: & electos ſuos ſic in mundo poſſidet quaſi ſubjectos dominus in domo? Qui habet vineam univerſalem, ſcilicet Eccleſiam* (nota) *quæ ab Abel juſto uſque ad ultimum electum, qui in fine mundi naſciturus eſt; quot Sanctos protulit, quaſi tot palmites miſit. Hic itaq; paterfamilias ad excolendam Vineam ſuā mane, hora tertia, ſexta, nona, & undecima Operarios conducit: Quia à Mundi hujus initio uſque in finem ad erudiendam Plebē fidelium Prædicatores congregare non deſtitit. Mane etenim mundi fuit ab Adam uſque ad Noè: hora verò tertia à Noè uſque ad Abraham: Sexta quoque ab Abraham uſque ad Moyſen: nona autem à Moyſe uſque ad Adventum Domini: Undecima verò ab Adventu Domini uſque ad finem mundi. In qua Prædicatores SS. Apoſtoli miſſi ſunt, qui mercedem plenam, & tardè venientes acceperunt. Ad erudiendam igitur Dominus plebem ſuam, quaſi ad excolendam Vineam ſuam* (Ecce plebs, & vinea Domini, quæ eſt eadem à Seth uſq; ad Adventum Domini, & in finem mundi) *nullo tempore deſtitit* (inquit Gregorius) *Operarios mittere* (nota) *quia & priùs per Patres, & poſtmodum per legis Doctores, & Prophetas, ad extremum verò per Apoſtolos, dum Plebis ſuæ mores excoluit, quaſi per Operarios in vineæ cultura magnopere laboravit: quamvis in quolibet modulo, vel menſura* (nota) *quiſquis cum fide recta bonæ prædicator actionis extitit, hujus Vineæ Operarius fuit. Operator ergo manè, hora tertia, ſexta, & nona antiquus ille hebraicus Populus deſignatur: Qui* (nota) *in electis ſuis ab ipſo mundi exordio, dum recta fide Deum ſtuduit colere, quaſi non deſtitit in vineæ cultura laborare. Ad undecimam vero Gentiles vocantur, quibus & dicit: Quid hic ſtatis tota die Otioſi?* Igitur juxtà Divum Gregorium in eadem vinea recta fide in Deum, ut conditorem credentes incorporantur, & Deus, ut cōditor ab Abel juſto uſque ad ultimum electum, qui in fine mundi naſciturus eſt præordinavit palmites, & ad culturam prædictæ vineæ, ideſt Eccleſiæ, ac Plebis Dei miſit Operarios, Patres ſcilicèt, Doctores, Prophetas, & Apoſtolos; Qui quidem Operarii ità à Deo in diverſis horis præordinantur, ut in Vinea quiſque laboret; & dum recta fide Deum colere ſtudet, ad Eccleſiam Dei verè pertinet, Regnumque Cœlorum non tā Electis poſt Adventum Domini, verum etiam omnibus Electis ab Abel uſque ad ultimum in fine mundi naſciturum proponitur, & ut membra in Eccleſia incorporantur per fidem, ad Deumque Conditorē, ſe ſubordinant, non ſolum in providentia naturali, ſed etiam ut ad tale Regnū conſequendum præordinati, in eadem enim Eceleſia, ſeù vinea continentur. Malè igitur quidam dicit antiquos, Populum ſcilicet hebræum, & Gentilem, non fuiſſe operatos propter Regnum Cœlorum, & in ordine ad conſequendam vitam æternam, nedùm in jure, ſed etiam in re. Et qui judicat credentes in Deum in antiqua lege non intendere finem æternū ſine Chriſto nato, ac paſſo, audiat quæſo verba Divi Bernardi ad illud Regii Vatis Pſal. 47. *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui. Quidni* (inquit) *reſervaret Poſteris, quam & prærogavit Antiquis, David Rex, & Propheta exultavit, ut videret diem iſtum, & vidit*

hom. 19. ſup c.7. D. Matth.

ſerm. 1. de Purific.

vidit, & gaviſus eſt. Alioquin ſi non videret, unde Pſallebat: Suſcepimus, inquit, Deus miſericordiam tuam in medio templi tui? Suſcepit (nota) *hanc miſericordiam Domini David* (ait Bernardus) *ſuſcepit Simeon, ſuſcepimus & nos, & quicumque ſunt praordinati ad Vitam; Siquidem Chriſtus heri, & hodie, & in æternum.* Ex Divo igitur Bernardo *ſuſcepit David Miſericordiã Domini*: Sed illã nõ ſuſcepit ex Chriſto nato, aut paſſo, cum adhuc Chriſtus nec paſſus, nec natus fuiſſet: Ergo illam ſuſcepit ex Chriſto futuro, & prævifo: *Exultavit, ut videret diem iſtum, & vidit, & gaviſus eſt.* Non quia Chriſtum viderit ut natum, ſed quia Chriſtum in ſpiritu prævidit, ut naſciturum: Ergo ſine Chriſto nato, aut paſſo benè poterant antiquæ legis firma fide credentes intendere finem æternum, æternęque gloriæ conſecutionem per Chriſtum prævifum ut futurum, ut Moyſes qui voluit potiùs improperium Chriſti, quam omnes mundi divitias; Et Elias, qui in nubecula parva de mari aſcendente, & veſtigium hominis præſeferente Chriſtum præintellexit, licèt Chriſtus non eſſet expreſsè omnibus immediatè propoſitus ſicut nunc; Chriſtus enim miſericors eſt *heri, & hodie, & in æternum*, ejuſq; miſericordiam ſuſcepit David, ſuſcepit Simeon Suſcepimus & nos, & quicumque ſunt præordinati ad vitam œternam à tempore Seth, uſque ad ultimum electum, qui naſciturus eſt; Ergo ſine fide ſaltem implicita Chriſti futuri, nullus fuit præordinatus ad vitam ęternam, reſpectu cujus Chriſtus non fuerit præſens, juxtà ſenſum Divi Bernardi: *Chriſtus heri, & hodie, & in æternum.* Ergo vita ęterna non fuit abſcondita, & incompoſſibilis in lege ſcripta, imò ut aſſequibilis omnibus nota per fidem rectam colentium Deum, & per fidem Jeſu Chriſti, in ſenſu quo Divus Bernardus affirmat quod omnes accepimus miſericordiam Domini in medio templi ſui: Ergo nullus miſericordiam Dei ſuſcepit, qui nõ dicatur ſuſcepiſſe per Chriſtum: Ergo ſi illam ſuſceperunt Patres antiquę legis juxtà Divum Bernardum, jam illam ſuſceperunt per Chriſtum pręviſum, ut futurum: Ergo falſum eſt credentes in Deum in lege antiqua non intendiſſe finem ęternum, & glorię conſecutionem ſine Chriſto nato, aut paſſo.

CLXVIII. Conſtat paritèr tale inſtitutum à Chriſto collaudatum, fuiſſe à Deipara ſecutum, & ad ejus exemplum à quampluribus Filiis, & Filiabus cœlibatum profitentibus amplexatum, ab Apoſtolis concupitum, à Divis Matthęo, & Paulo propagatum, necnon à Divo Marco Evangeliſta per Eſſenos, ut ex Philone, notabilitèr auctum in Alexandria Civitate Ægypti, & indè in Paleſtina, Syria, cœteriſque Regionibus medio Apoſtolorum, eorumque Coadjutorum Carmelitarum, in prędicatione Petri ad fidem converſorum, Verbi divini pręconio diſſeminatum, ac diffuſũ ut clariſſimè habetur ex Philone, Joſepho Antiocheno, Joſepho Hebręo, Solino, Plinio, Euſebio Cœſarienſi, Caſſiano, Baronio, aliiſque fide dignis Scriptoribus, & Auctoribus. Conſtat etiam tale Inſtitutum, abſq; aliqua, vel minima interruptione continuaſſe, ac floruiſſe, uſque ad Divi Pauli, Antonii, Hilaronis, Macarii, Baſilii, & aliorum Patriarcharum tempora, qui ad Eliani iſtituti imitationem, ſuos poſtea particulares inſtituere Monachatus, ut ex relatorum Scriptorum auctoritatibus liquido patet perdurante per ininterruptam ſucceſſionem Eliæ inſtituto. Conſtat itidem circa finem quarti ſœculi, & primordia ſubſequentis à Chriſto nato Joannem Patriarcham Jeroſolymitanum 44. ſuum idiomate gręco pro Carmelitarum regula compoſuiſſe librum, cui titulus: *De inſtitutione primorum Monachorum in lege veteri exortorum &c. ad Capraſium*: Talemque librum clarè de Carmelitarum ab Elia exordio ininterrupta Succeſſione diſcurrentem, non eſſe ſuſpectum, aut ſuppoſititium, maximè cum à nullo Carmelita hucuſque in dubium revocatum ſit, & pro Immacu-

maculata Deiparæ Virginis Conceptione, ejuſdemq; veneratione ab omnibus Scriptoribus cum ſingulari reflexione, ut ſupra viſum eſt, citetur. Conſtat ſimiliter à ſœculo quarto, uſque ad ſextum non ſine maxima Chriſtiani Populi utilitate vixiſſe, ac viguiſſe, & ſub implacabili tyrannide Nabuzardam quamplurimos hujus Sacri Inſtituti Alumnos Martyrii coronam adeptos eſſe, inter quos Anaſtaſius Perſa, aliique quamplurimi, qui Montis Carmeli Monaſterium, cœteraque in Paleſtina, ac Syria collegia, ſeu Cœnobia incolebant. Conſtat itidem Carmelitarum Inſti utũ à præfato Joanne uſque ad Aymericum Patriarcham Jeroſolymitanum continuaſſe, & ipſum Aymericum dictum librum ex Græco ad latinum idioma pro Monachorum latinorum intelligentia, & captu tranferri mandaſſe, eiſque unanimi Religioſorum aſſenſu præfeciſſe in primum Priorẽ Generalem latinum Sanctum Bertholdum; ex quo ſatis apertè colligitur quamplurimos Eliani inſtituti Monachos antecedenter ad Aymericũ extitiſſe, cum non futuris, ſed præſentibus, & verè exiſtentibus Religioſis, ex variis Mundi partibus convenientibus præeſſe debuerit, eiſq; de unanimi aſſenſu Sanctum Bertholdum tamquam eorum primum Priorẽ Generalem latinum præficere, cui in munere ſucceſſit S. Brocardus, & huic S. Cyrillus, &c. Conſtat paritèr à ſœculo ſeptimo, octavo, nono, decimo, & undecimo Sacrum hunc Carmelitarum Ordinem nonnullis indulgentiis, & privilegiis à Summorum Pontificum pietate, ac benignitate fuiſſe inſignitum, quarum indulgentiarum Bullæ colliguntur, & referuntur in Diplomate Sixti IV. *Dum attenta meditatione* primo, & ſecundo, dato kal. Aprilis 1477. Quod Sixti IV. diploma confirmarunt Gregorius XIII. in litteris Apoſtolicis: *Ut laudes*, datis 18. Septemb. 1577. & novitèr Clemẽs X. in Bulla *Commiſſa nobis divinitus*, data die 8. Maii 1678. in quibus omnibus recenſentur Indulgentiæ Sacro noſtro inſtituto in prædictis ſœculis conceſſæ à Leone PP. IV. Adriano II. Stephano V. Sergio III. Joanne X. Joanne XI. Sergio IV. Innocentio IV. Clemente III. Alexandro II. Gregorio V. & VII. Clemente IV. Lucio III. Gregorio VIII. &c. Ex quo clarè conſtat prædictarum Indulgentiarum uſum non à ſœculo decimotertio incepiſſe, ut aliqui falſo putant.

CLXIX. Nonnullos quidem torquet hæc Summorum Pontificum Bullarum auctoritas, & Carmelitarum ab Elia hæreditariam ſucceſſionẽ evertere contendentes, aſſerere non erubeſcunt Sixti IV. diploma à cœteris Pontificibus in eorum confirmatoriis Bullis relatum, & confirmatum, fuiſſe ad inſtantiam eorundem Carmelitarum, & pro ipſis petente Priore Generali Chriſtophoro Martignoni falſum in ſenſu ambiguo relato Summo Pontifici repræſentante, conceſſum, & impertitum. At quam à veritate alienum ſit conſimile minus benevolorum aſſertum, conſtat primo ex eo quod ut doctiſſimè probat ſapientiſſimus Lezzana in apparatu annalium cap. 6. nu. 10. ex ejuſdem diplomatis tenore patet non ad inſtantiam, & Carmelitarum petitionem, ſed *motu proprio, & ex certa ſcientia* conceſſum fuiſſe. Deindè dato, & non conceſſo quod tale Diploma fuerit à Sixto IV. Carmelitis impertitum inſtante relato Ordinis Priore Generali; Quis umquam aſſerere audebit talem Ordinis Superiorem, eũque cœleberrimum, probataq; integritate præditum, falſum in ſenſu ambiguo repræſentaſſe, ut tale aſſequi poſſet à præfato Pontifice diploma? Nam certum eſt, quod id quod expoſitum fuit à relato Martignone, in ejuſdẽ diplomatis narrativa recenſetur à Pontifice. Tunc ſic vel id quod expoſuit credibile erat, utpotè deſumptum, aut ex vetuſta Ordinis traditione, aut ex teſtimonio, & auctoritatibus antiquiſſimorum Scriptorum, vel non: Si primum: Ergo neutiquam in ſenſu ambiguo falſum expoſitum fuit, & repræſentatum. Si ſecundum: Ergo nimiæ credulitatis Summum Pontificem accuſare præſumunt: Sed hoc ſecundum aſſerere neutiquam

quam

Digitized by Google

quam audebunt minus benevoli: Ergo nec primum. Nam hoc aſſerere, damnare eſſet traditiones tamquam falſas, auctoreſque ut apocriphos, ac fateri in ſenſu ambiguo talem ab Elia hæreditariam ſucceſſionem expoſitam, ac repræſentatam fuiſſe relato Summo Pontifici; Quod injurioſum, & falſum eſſe ſic oſtenditur. Sixtus IV. floruit anno 1477. quo anno dictum diploma Carmelitis impertiri dignatus eſt: Sed anno 1374. poſt maturum, ac ponderatum eruditiſſimorum Doctorum examen, diſcuſſa in judicio contradictorio in Cantabrigenſis Univerſitate præfata Carmelitarum ab Elia ſucceſſione, ſub die 23. Februarii, pleno tot conſpicuorum ejuſdem Academiæ Doctorum aſſenſu, *Carmelitas Eliæ, & Eliſei Sanctorum Prophetarum fore imitatores, & Succeſſores, cauſa cognitione, & juris Ordine, in ea parte de prærequiſitis ad plenum obſervatis*, deciſum fuit, & decidendo declaratum: ergo non in ſenſu ambiguo expoſitū fuit per relatum Generalem id quod à Sanctiſſimo Domino humiliter expoſcebat, cum inniteretur tàm claræ conſpicuæ litteratorum Catabrigenſis Univerſitatis deciſioni, & judicio; Quocirca omiſſa doctrina ſapientiſſimi Valentiæ ex *cap. ad Abolendum extra, de Hæreticis tom. 1. diſp. 4. quæſt. 1. Punc. 3. §. minor autem*, aſſerentis hæreſis ſuſpectum eſſe negare præſumentem aliquam propoſitionem in conſimilibus Univerſitatibus deciſam, ſolum memorare non omittemus minus benevolis, non ità facile damnandos eſſe tamquam falſarios, Viros integerrimos, doctrina, & ſanctitate præditos, maximè cum deciſa, ac judicata in Univerſitatibus, eiſque celeberrimis repræſentent, ac exponant.

CLXX. Conſtat ſimiliter in relatis illis ſœculis quamplurimos Eliani inſtituti Sectatores Sanctitate, ſapientia, & doctrina conſpicuos floruiſſe, in diverſiſque Orbis terrarum partibus Cœnobia obtinuiſſe, Tyramnorum in Oriente ingraveſcentis crudelitatis fugiendę deſiderio motos, ſanctumvè hoc inſtitutum in Occiduis Regionibus propagandi zelo ductos. Conſtat itidem Divum Albertum Patriarcham Jeroſolymitanum ad inſtantiam, & petitionem Montis Carmeli Religioſorum, eiſdem regulam compoſuiſſe, ac dediſſe ex præfato Joannis Jeroſolymitani libro deductam, & extractam, ut legitur in ejuſdem Divi Alberti officio, adjectis nonnullis cōmunitatis actus concernentibus, ut perfectè in Cœnobitica vivere poſſent diſciplina; nec aliam eſſe regulam à præſcriptis in eodem libro Joannis Jeroſolymitani, legenti patebit, ſi attentè Divi Alberti Regulam, & Joannis librum examinare non dedignabitur; Sunt enim quo ad eſſentiam, & Religioſi ſtatus ſubſtantiam, quo ad univerſalia, & communia utriuſq; præſcripta verè ſinonima. Conſtat ex quamplurimis ſummorum Pontificum Bullis *ex certa ſcientia, & motu proprio* Sacro Carmelitarum inſtituto cōceſſis, hunc Ordinem à magno Propheta Elia Originem habuiſſe, ac uſq; ad præſentem lucem ininterrupta ſucceſſione hæreditaria perdurare, ac in Eccleſia Chriſti effloreſcere, & conſulantur Theologi, Philoſophi, & Juriſtæ quid ſignificet hæreditariam SS. Prophetarum Eliæ, & Eliſei omnibus Gentibus, & nationibus notorum tenere ſucceſſionē. Conſtat deniq; aſſertionē de hæreditaria ab Elia Propheta ſucceſſione, ut moraliter veram ab omnibus ſuſcipiendam eſſe, cum undequaq; ità probetur, & corroboretur ex Summorum Pontificum Bullis; Ex hiſtoriis, & officiis eccleſiaſticis à Sede Apoſtolica approbatis; Ex Kalendariis, & Martyrologiis; Ex probatiſſimis revelationibus, ex continua, & antiquiſſima Ordinis traditione, necnon tot Scriptorum graviſſimorum, non tantum domeſticorum, & doctrina præclariſſimorum, ſed & aliorum tum ſęcularium, tum regularium quamplurimorum auctoritate; & ex antiqua pacifica poſſeſſione, qua tot ſœculis in quibuſcumque Orbis Catholici Dominiis potitus eſt Carmelitarum Ordo titulo, & bonafide, uſucapione, pręſcriptione, & in omni jure irrefragabili; & ſi contradicta, & aliquando diſcuſ-

Digitized by Google

diſcuſſa, & agitata; in judicio contradictorio publicarum Univerſitatum, & etiam Supremi Sanctiſſimæ Inquiſitionis Hyſpaniarum Senatus, ſemel, atque iterum favorabilem meruit obtinere ſententiam; Quapropter ſignũ eſt hoc ſuum aſſertum de ab Elia origine; hæreditariaque ab eodem ſucceſſione, omni prorſus abdicata interruptione, jam tranſiſſe in rem judicatam, ad petramq; lidiam ſuam affrigaſſe, ac comprobaſſe veritatem, taliter ut ſi talis aſſertio non ſit cenſenda moraliter certa, & ſecurè ſuſcipienda, adeoq; abſque temeritatis nota, & ut falſa reiici poſſit; vix ulla hiſtoria Eccleſiaſtica præter fide divina credendam, erit moraliter certa, & à fortiori abſq; ulla temeritatis nota reiici poterit, ut falſa cenſurari; quia paucæ ſunt (exceptis fide divina credendis) quæ tot teſtimoniis ſunt vallatæ, & tam efficacibus probationibus irrefragabiliter munitæ. Quinimò ut rectè Sanchez ſuprarelatus n. 71. ſi pro illa aſſertione: *Nihil ſtaret preter traditionem omni memoria ſuperiorem, ſatis putaretur habere preſidii*. Et meritò, quia communis traditio tot ſœculis continuata, & à Viris Sanctitate, & doctrina conſpicuis ſuſcepta, & à Summis Pontificibus cõfirmata, tanti ponderis, & auctoritatis eſſe debet, ut nihil aliud ſit quærendum, ut dicit Divus Chriſoſtomus hom. 4. in Epiſt. ad Teſſalonic. *Traditio eſt, nihil aliud quaras*. Hinc eximius Auguſtinianę Familiæ Magiſter Gabriel Ernandez apud Joſephum Andres in ſuo decore n. 225. ſcribit. *Carmeliticus Ordo ipſe ſolus multiplex hortus eſt. Marianus, quia à Maria Sanctiſſima plantatus, nominatus, & excultus. Propheticus, ab Elia, Eliſeo Filiiſq; Prophetarum. Apoſtolicus propter Elpidium, alioſque Apoſtolorum Coadiutores, quorum voce, & ſpiritu fides eluxit toti mundo. Eſſenus, propter inſignem Baptiſtam, cæteroſque Eſſenos ante, & poſt Chriſtum Præcones. Eremiticus, ob Paulum, Autonium, Ilarionem, Honuphrium, Anaſtaſium Perſam, de Carmeli ſolitudine ad Martyrii palmam evocatũ, Prothum, Hyacinthum, Gerardũ Ungaria (ultra Antiochenum, & Jeroſolymitanum Hoſpitalis inſtitutorem Principem) Chriſoſtomũ, & alios innumeros, qui (ut loquitur Hieronymus) tamquam verum Patrem, & ſui inſtituti Principem Eliam venerantur. Cænobiticus propter infinita Monaſteria Thebaida, Paleſtina, Syria, & Ægypti, quæ (teſte Leãdro de Granada in vita S. Gertrudis in prologo) ante Parentem noſtrum Auguſtinum, & Benedictum omnia Eliana fuerunt. Hortus quidem arborum adeò ſublimium, ut dederit Eccleſia Papas (juxta Ægidium Galenũ lib. 3. de magnitudine Colonia) Clementem, Teleſphorum, Dioniſium, Silverium, Zachariam, & Benedictum, Patriarchas Alexandrina, & Jeroſolymitana, utrumque Cyrillum, Joannem 44. & alios. Dedit etiam Damaſcenos, Baſilios, Spiridiones, Joannes, totque fortiſſimos Martyres, inclitoſque Confeſſores, ut juxta graviſſimi Trithemii ſententiam, facilius ſit Cœli Stellas, quam Eliana Familia Sanctos dinumerare. Dedit & Palmas, Virginitate Candidas, paſſione purpureas, litteratura inſignes, Sincleticam, Leocadiam, Euphemiam, Febroniam, Euphraſiam, Euphroſinam, Angelam, Cyrillam, Thereſiam, Magdalenam de Pazzi, aliaſque innumeras: Multa prætereo (ait Auguſtinus Pater) quia multum feſtino*.

CLXXI. Ex omnibus facile colligere poterit benevolus lector, quibuſnam fundamentis, ac rationibus innitatur Sacra Carmelitarum Religio adſtruẽdi hæreditariam, ſuamq; ininterruptam à Magno Propheta Elia, eorum Inſtitutore, Fundatore, Patriarcha, ac Patre Succeſſionem; Undè hoc ſuũ Summarium ab Elia deſcendentiæ, & ſucceſſionis Epithome cõcludendo, ſequens proponere argumentum præſumit, & præſumendo confidit in hac forma. Omnis Religio verè & propriè talis approbata ab Eccleſia ſub certa Regula, & determinato Inſtitutore, & Patriarcha, etiam cum officio divino ut tali approbato abſdubiè eſt certum, ex communi Theologorum conſenſu quod Summus Pontifex non poteſt errare in illius approbatione:

Digitized by Google

ne: Sed Religio S. Baſilii, S. Patris Auguſtini, S. Benedicti, & Bernardi, Sanctiſſimorum Patriarcharum Dominici de Guzman, & Seraphici Franciſci de Aſſiſiis, Sanctiſſimæ Trinitatis, Deiparæ Virginis à Mercede, S. Franciſci de Paula, S. Ignatii, ac Deiparæ Carmelitarum Ordinis Matris, ſunt verè, & propriè, &c. Sunt verè & propriè Religiones approbatæ ab Eccleſia ſub certa, & determinata Regula, ac ſub certo, & determinato Patriarcha etiam cum officio divino approbato ut tali: Ergò ſi Summus Pontifex absdubiè non poteſt errare in approbatione Sacrarum Religionum, omnis Religio approbata ab Eccleſia ſub terminis relatis eſt verè, & propriè Religio ſub certa Regula, & determinato Inſtitutore: Sed Religiones S. Auguſtini, Sanctorum Patriarcharum Dominici, Frãciſci, Ignatii, &c. habent certum, & determinatum Patriarcham cum officio divino approbatum ut talem: Ergò & Religio Carmelitarum uti vera Religio, habet certum, & determinatum Patriarcham ab Eccleſia approbatum cũ officio divino: Ergò ſi eſt valdè neceſſarium, & conſentaneum affirmare Sanctum Auguſtinum, SS. Baſilium, Benedictum, & Bernardum, Sanctoſq; Patriarchas Dominicum, & Franciſcum, necnon Divos Franciſcum de Paula, & Ignatium eſſe veros Patriarchas, & Inſtitutores ſuorum reſpectivorum Monachatuum, erit liberum, ac voluntarium affirmare Magnum Parentem Eliam eſſe Inſtitutorem, & Patriarcham Carmelitici Inſtituti? Judicet S. Sedes. Inſuper, ideo in preſenti ſunt verè, ac propriè Inſtitutores ſuarum Religionum præfati Patriarchæ, quia Beati, ac Sancti dictorum Sacrorum Ordinum in vita ſua, ac profeſſione geſta, virtutes, ſuorumque Fundatorum vitam in exemplum, ac prototypum habuerunt, innixi ſuorum Majorum traditionibus; hoc idem approbante Eccleſia in eorum officiis, & declarantibus Summorum Pontificum Bullis, ac privilegiis talibus Religionibus conceſſis, & impertitis, necnon Conſtitutionibus, & Capitulis idipſum firma fide abſque aliqua hæſitatione affirmãtibus, & decernentibus: Sed ſub iiſdem terminis terminantibus ita prorſus contingit in Sanctis, & Beatis tam Religioſis quam Monialibus utriuſque Carmelitarum familiæ: Ergò ſi aliis Inſtitutores ſunt veri, & propriè Patres, & Patriarchæ ſuarum reſpectivarum Religionum, Carmelitarum inſtitutum, quod viget in Eccleſia Dei cum certo, & determinato Patriarcha, erit pro Carmelitis infirma, & nulla conſequentia, quod magnus Parens Elias ſit verè, ac propriè Auctor, & Princeps monaſticæ Carmelitarum vitæ? Judicet S. Sedes; cujus judicio nos ipſos humiliter ſubmittimus.

CLXXII. Itidem eximius Carthagena, Sapientiſſimus Suarez, Cornelius à Lapide, aliique quamplurimi in hoc brevi epithome ſupracitati ita traditionem Carmelitarum venerantur, quod intra limites humani teſtimonii nullam aliam majorem affirment deſiderari poſſe auctoritatem, ut teſtatur expreſſis verbis Doctiſſimus Gaſpar Sanchez in 3. Reg. c. 17. n. 12. inquiens: *Quod ut credam facit non ſolum illius Ordinis, ſed & omniũ penè gentium conſtans, & perpetua traditio; & quidem ſi ab hac mea cogitatione nihil ſtaret præter traditionem omni memoria ſuperiorem, ſatis putaretur habere præſidii, quia communis, conſpiranſque conſentio nullo interrupta tempore eam habet auctoritatem, quam nulla niſi magna fides convellere, aut infirmare poſſet*. Et denique poſt alia addit: *Hæc mihi graviſſima ſunt nec pauca, nec levia*. Undè eximius Idelphonſus de Flores ex floritiſſima, ac venerabili Societatis familia in cap. 24. Eccleſiaſ. n. 1671. poſtquam multa de Sacra Carmelitarum Religione congerere ſtuduit, originem à S. Parente Elia ductam concernentia, ibique traditionem hujus ſacri inſtituti ab Emulis vindicaverit, pluresque Auctores accumulaverit, concludit: *Hæc omnia tã illuſtria Carmeliticæ antiquitatis teſtimonia cum præ oculis haberemus, nempè Summorum Pontificum oracula,*

tula, magnorum ſcriptorum reſponſa, ſepulcra, Epitaphia, lapides, fumoſas imagines, Epiſcopos, Academias, ac deniq; denſiſſimam graviſſimorũ teſtium nubem; haud tutum Conſilium nobis videbatur tanta auctoritati, refragari, illamve ejuſdem Carmelitici Ordinis venerabilem abiicere traditionem; cum eadem licentia, alias ejuſdem notæ liceret aliorum Ordinum antiquare traditiones. Si igitur juxta graviſſima horum ſapientiſſimorum virorum teſtimonia tanta eſt Carmeliticæ traditionis auctoritas, ut illam nulla alia niſi magna fides, quæ divina eſt, convellere, aut infirmare poſſit, & ſi hanc Carmelitici Ordinis venerabilem traditionem abiicere, tutum, ac prudens Conſilium neutiquam arbitratur, ne eadem licentia, aliæ ejuſdem notæ cœterorum Ordinum traditiones antiquentur, & abiiciantur, cur circa cœterarum Religionum Patriarchatum ex earũdem traditionibus deſumptum, & affirmatum, tanta eſſe debet certitudo moralis, & auctoritas, ut intra limites humani teſtimonii nulla major deſiderari valeat, & non circa Carmelitarum ab Elia Patriarchatum, tot antiquiſſimorum ſcriptorum conſtanti, ac perpetua traditione adductum probatum, & confirmatum? Si enim alicui minus benevolo liceret hanc vetuſtam, conſtantemque, ac perpetuam Carmelitarum traditionem reſpuere, reiicere, aut infirmare, certè liceret & Carmelitis, juxtà Sapiẽtiſſimum Idelphonſum de Flores refellere, reiicere, ac infirmare cęterorum Inſtitutorum antiquitatis traditiones, & monumenta, cum eadem prorſus ſint Carmelitarum jura circa eorum ab Elia Patriarchatum, ac cœterorum Ordinum circa ſuum. Abſit tamen quod Carmelitę oppugnare, aut controvertere pręſumant, quod à Summis Pontificibus eorum diplomatibus, bullis, privilegiis, ac officiis divinis, motu proprio ex certa ſciẽtia, ac debito adhibito examine fuit approbatum, & confirmatum. Denique Sapientiſſimus Suarez loquendo de Sacro Auguſtinianorum inſtituto conſtanter aſſerit Sanctum Patrem Auguſtinum verè, ac propriè eſſe eorumdem Fundatorem, ac Patriarcham attentis officiis, Bullis, traditionibus, ac venerationibus eidem SS. Patriarchæ à Religioſis ejuſdem Ordinis exhibitis, & quas quotidiè exhibent, necnon earumdem Bullarum auctoritatibus id affirmantibus, ut videre eſt in tractatu, quem de pręfato Auguſtinianorum Ordine inſtituit: Ergò an hoc idem negare in ſequenti quæſtione de Magno Propheta Elia reſpectu Carmelitarum inſtituti, dum eadem prorſus currunt pro Carmelitis fundamenta, ac jura, liberum, ac voluntarium eſſe poſſit, judicet S. Sedes Apoſtolica, præcipuè cum talis tomus ſit poſtumus, & alias in decretalibus decretali 6. Conciliorum Lugdunenſis, & Lateranenſis in approbatione Sacrorum Ordinum glorioſiſſimorum Patriarcharum Dominici, & Franciſci, loquendo de Eremitis S. Auguſtini, & Carmelitarum, ſic decernere adjudicaverint, ac voluerint illi Venerabiles, doctiſſimique Patres: *Religiones ſcilicet Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum volumus in ſolido* (ſive ut alii legunt in ſolito *Statu permanere*: Sed noluiſſet, nec decreviſſent in ſolido, vel ſolito ſtatu permanere, ſi talia Auguſtinianorum, & Carmelitarum inſtituta cognoviſſẽ acephala, & ſine Inſtitutore, Patriarcha, ac Patre; Ergò verè dignoverunt relatos Auguſtinianorum, & Carmelitarum Ordines eſſe verè, ac legitimè fundatos, Inſtitutoremq; ac Fundatorem habere: Sed nullum aliũ Fundatorem, & Patriarcham venerantur Auguſtinianæ, & Carmelitanæ Familiæ Alumni, niſi illi Sanctum Patrem Auguſtinum, iſti verò magnum Protoparentem Eliam: Ergò ſicut Auguſtinianis Sanctum Patrem Auguſtinum tamquam eorum Fundatorem, & Patriarcham adſcribunt Sũmi Pontifices, & Concilia; ita & Carmelitis Magnum Prophetam Eliam: Ergò cum Summus Pontifex, & Concilia in Religionum approbatione, ex communi Theologorum aſſenſu errare nequeant, verè, ac propriè Sãctus Propheta Elias eſt Carmelitarum Pater, & Patriarcha, ſicut Sanctus

Digitized by Google

Pater Auguſtinus Ordinis Eremitarum Auguſtinianorum Inſtitutor, ac Fundator, cum illum eiſdem in divinis officiis, Bullis, ac privilegiis concedant, & affirment Patrem eſſe, ac Patriarcham.

CLXXIII. Jam ergò impio Witcleff dictum illud fraudulentis Triphonis, ejuſq; ſatellitum, poſtquam dolo concluſit, & occidit Judæorum Principes audacter, ac temere dicenti: *Non habent adjuvantē, nunc ergò expugnemus eos, & tollamus de hominibus memoriam eorum*. Reſpondere poterit clauſtralis Eliſeus, qui grandi fide contemplatur Deum Deorum in Sion, firmaque mente prophetare dicendo: *Quod plures nobiſcum ſunt, quam cum illis*: Nam tot Summorum Pontificum diplomatum, Bullarum, officiorum, necnon revelationum, Univerſitatumq; & Supremorum Tribunalium deciſionum, Sanctorumq; Patrum, & eximiorum Doctorū ſuffulta auctoritatibus humillima Carmelitarum Religio, hæreditariam ejus, ac ininterruptam à Magno Propheta Elia Protoparente, ac Fundatore ſucceſſionem vindicatam videre neutiquam deſperat: *Cum plures nobiſcum ſint, quam cum illis*. Et ſi de Eliſeo teſtatur Eccleſiaſticus c. 48. quod *in diebus ſuis non pertimuit Principem, & potentia nemo vicit illum, nec ſuperavit illum verbum aliquod, & mortuum prophetavit corpus ejus*; Et de Elia quod *dejecit Reges ad perniciem, & confregit facile potentiam ipſorum*, ſicut & pariter quod *irritantes illum invidia ſua paucifacti ſunt*; Et è contra dicit: *Beati ſunt qui te viderūt, & in amicitia tua decorati ſunt*. Deprecamur in viſceribus mortui, ac paſſi eodem loco quo Elias paſſurus eſt, ac moriturus, ut teſtatur Angelicus Præceptor ad illa verba Apoc. c. 11. verſ. 7. *Ubi & Dominus eorum Crucifixus eſt*, ſic exponens: *Ubi ideſt in qua Civitate ſcilicet Jeruſalē, Dominus eorum ſcilicet Eliæ, & Enoch, ſcilicet Chriſtus Crucifixus eſt Corporali Crucifixione, & ita erunt ei conformes, & morte, & mortis loco*: Omnes, & quoſcumque, qui hoc breve perlegerint Epitome, ne humillimi hujus Eliani Carmelitici Inſtituti, pro cujus uſq; in finem ſæculi cōſervatione ſuppliciter tamquā ejus Inſtitutor, in Monte Thabor Chriſtum in Transfiguratione exoravit, juribus, ac rationibus præjudicia inferri patiantur, ut habeat *in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, & cōnciliare Cor Patris ad Filium, & Cor Filiorum ad Patres eorū*: ſicque pax, ac unio, fraternaque Charitas inter S. Sedis Apoſtolicæ non infimos Alumnos, Religioſos ſcilicet, vigeat, ac exardeſcat, rixas, odia, ac contentiones undequaq; excludendo, cum Carmelitæ cū D. Paulo: *Si quis autem videtur contentioſus eſſe*, clamare non omittent: *Nos talem conſuetudinem non habemus, nec Eccleſia Dei*.

in expoſ. aur. in Apoc. impreſ. Floren. an. 1549. & Pariſ. ann. 1641.

1. ad Corinth. 11. verſ. 16.

CLXXIV. Hoc breve Epithome omni poſſibili modeſtia circa Carmelitarum ab Elia ſucceſſionem concinnatū, vigili Sedis Apoſtolicæ oculo, ſuperiorique; judicio humillimè Carmeliticus Ordo ſubiicit, ac ſubmittit, neutiquam deſperans pacificè obtentam hucuſque poſſeſſionē fore ipſi benigniter continuaturam, ac cum patientiſſimo Job, ſuas Sanctiſſimo Domino humillimas porrigens preces, clamare confidit: *Pone me juxta te, & cujuſvis manus pugnet contra me*.

Job. 17.

(*)

Digitized by Google

Digitized by Google

ELENCHUS
AD BREVEM CHRONOLOGIAM
SS. DOM. INNOCENTIO
DIVINA PROVIDENTIA PP. XII.

Per modum libelli ſupplicis oblatam, & Capitum diviſionem non admittentem, per Articulos diſtributus ad faciliorem Lectoris materiarum indagationem.

Quo cum vetuſto Magiſtro Thoma Waldenſi Catholico affectu Monaſtici Status injurias illi ab impio Witcleff illatas, diruptis lacrymis ejuſdem Eccleſiæ queſtus, verbis ex Pſalmiſta deſumptis: *Sæpè expugnaverunt me à juventute mea, dicat nunc Iſrael, ſæpè expugnaverunt me, etenim non potuerunt mihi*: deplorante; Ex lib. 3. Doctr. Fid. in Prologo, queſtione Auctoris, protectione divina cœlitus invocata, & proteſtatione ad tenorem S. P. Auguſtini contra Manichæos, art. 1. à cap. 1. cum ſequentibus; Et in lib. 4. pluribus Capitibus, precipuè cap. 32. in quo vocat Carmelitas Coadjutores Apoſtolorum cum Ioſepho Antiocheno, & Ioanne Ieroſolymitano, non ſuppoſititiis, quia ab ipſo citatis; & de Sacramental. tit. 9. c. 83. cum ſequentibus, & in ſpecie pro Carmelitis cap. 89. oſtenditur contra relatum Witcleff, ejuſque Aſsclas, Martino V. approbante, peculiarem Perfectorum Religionem ſupra communem, & vulgarem gentium extitiſſe, in omni Naturæ tàm, quàm legis Scriptæ, & Gratiæ ſtatu, & ininterrupta Ordinis Carmelitarum hæreditaria ab Elia Succeſſio.

ARTICULUS I.

De Motivo Brevis Chronologiæ Sanctiſſimo Domino exhibitæ.

Motivum Carmelitarum brevis Chronologiæ SS. Domino exhibitæ oſtenditur fol. 1. nu. 1. & 2.

Quiſnam fuerit Thomas Waldenſis, quantæquè æſtimationis penes Sedem Apoſtolicam, Eminentiſſimorum DD. Collegium, & Martinum V. videre eſt nu. 3. 4. & 5.

Argumenta Hæreſiarchæ Witcleff contra peculiarem perfectricem Religionem ſuperadditam vulgari, afferuntur fol. 2. nu. 6.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De Perfectorum Religione peculiari ſupra communem in ſtatu Legis Naturæ.

Perfectorum Religionem ſupra communem, & vulgarem gentium in Legis Naturæ ſtatu extitiſſe, oſtenditur ex Thoma Waldenſi lib. 3. doctr. Fid. art. 1. cap. 1. in Seth, & Enoch, ut in fol. 3. nu. 7. & 8.

Fuiſſe in Philoſophis Gentilibus ſolo naturæ inſtinctu, eruitur ex authoritate D. Hjeronymi, fol. 4. nu. 9. relata ex eodem Waldenſi loco ſupracitato.

ARTICULUS III.

De Peculiari Perfectorum Religione ſupra communem in Lege Scripta, & Moſaica.

In Veteri Teſtamento peculiarem Perfectorum Religionem extitiſſe, oſtenditur ex Waldenſi lib. 3. Doctr. Fid. art. 1. cap. 4. in Samuele, ut ex fol. 5. nu. 10. & 11.

Talem Perfectorum Religionem, ſeu Monachatū perſeveraſſe uſq; ad Achab, qui omnem Populum ad Idolorum cultum coegit, undè penè periit tota Filiorum Prophetarum Religio, videre eſt fol. 5. nu. 12.

Quod Elias Zelans Prophetarum Religionem, occiſis ad Torrentem Ciſon falſis Baal Prophetis, aſcenderit in Carmelum, & in viſione Nubeculæ de mari aſcendentis, & quaſi veſtigium hominis præſeferentis, intuitu Chriſti, & Deiparæ, tamquam cauſarum exemplarium, Carmelitarum Religionem cum tribus votis eſſentialibus inſtituerit, legitur fol. 6. nu. 13. 14. 15. & 16. In quo notanda venit doctrina Waldenſis lib. 3. doctr. Fid. art. 1. cap. 1. & 2.

Eliam intuitu Virginitatis futuræ Deiparæ inchoatum ſuum Inſtitutum eidem Virgini pariturae dedicaſſe, colligitur ex Summorum Pontificum Bullis, ut ex fol. 9. nu. 17. & 18. In quo oſtendit Waldenſis loco ibi citato contra Witcleff, quod Perfectorum Ordines non ſunt facticii à puro homine.

ARTICULUS IV.

De Voto Virginitatis Deiparæ in Lege Scripta.

Deiparam Eliæ ad exemplum (intellige in executione) perpetuam Deo voviſſe caſtitatem, ex Joanne 44. Patriarcha Jeroſolymitano oſtenditur à Waldenſi de Sacramental. tit. 9. c. 89. ut ex Fol. 11. n. 19. & 20. In quo innuitur nullum inferri Deiparæ Virginis privilegijs præjudicium, ex eo quod Propheticus Ordo futuræ Virginis memoriæ dicatus, tot ſeculis ante ejus Nativitatem.

Deiparam in ſui Deſponſatione cum Joſepho à Virginitatis Voto non receſſiſſe, videre eſt ex fol. 12. n. 21. In quo particularis doctrina Waldenſis lib. 3. Doct. Fid. art. 2. c. 22. notanda venit.

In Lege ſcripta verum extitiſſe Caſtitatis Votum, quin Deiparæ Virginis Puritati præjudicium inferatur, colligitur ex fol. 13. n. 22. 23. 24. 25. 26. & 27.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS V.

De Multiplicatione Perfectorum Religionis ſub Elia, & Eliſeo in Lege ſcripta.

Quod Elias Zelans multiplicare Perfectorum Religionem, Eliſeum ad ſuum Inſtitutum vocaverit; Eliſeique ſequela, Paupertas, Obedientia, & Caſtitas ex Waldenſis lib. 3. Doctr. fid. art. 1. cap. 4. oſtenditur fol. 18. nu. 31. & 32.

Eliam, & Eliſeum, Filiorum Prophetarum Collegia viſitaſſe, raptumque Eliæ ab eiſdem Prophetarum filijs præviſum fuiſſe, videre eſt cum Sacra Scriptura fol. 20. n. 33.

Poſt Eliæ raptum Prophetarum Filios Eliſeum videntes Eliæ Pallio indutũ, ac eum in ſignum Obediẽtię pronos in terram adoraſſe, & Eliſeum in Collegiorum Prophetarum viſitatione multa feciſſe prodigia, legitur in fol. 21. n. 34. 35. & 36. ex Sac. Scriptura.

Eliſeum Filiorum Prophetarum Collegia, ſeu Monaſteria in Jordane multiplicaſſe ex 4. Reg. 6. oſtenditur in fol. 22. n. 37. Cui addimus Eliam, ac Eliſeum veri ſtatus Monaſtici, Inſtitutores, ac Duces fuiſſe, conſtare ex ipſomet D. Eliſei officio, in antiquo Carmelitarũ Breviario, Venetijs à ducẽtis, & ultra annis impreſſo, & in Archivio Tranſpontinæ aſſervato, in quo ad Capitulum ad Sextam legitur illud D. Pauli: *Jam non eſtis hoſpites, & advenæ, ſed eſtis Cives Sanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu.* Ex quibus D. Pauli verbis ad Eph. 2. conſtat, Eccleſiam, ſtatumque monaſticum fundatum eſſe in Apoſtolis, & Prophetis per Chriſtum, in Chriſto, & ſub Chriſto; ut fuſius, & clarius conſtabit ex infrà dicendis in hac Chronologia.

Item ad Matutinum in Hymno, ſequentia leguntur,

Congratuletur Curia Cœleſtium Spirituum,
Et omnis Terra jubilet de Eliſei gloria,
Carmelitarum Principis, Propheta quem inſtituit
Magnus Elias Thesbites nutu divini Numinis.

Et in Oratione dicitur: *Omnipotens ſempiterne Deus qui in Electis Prophetis mirabilis prædicaris; præſta quæſumus, ut ſicut Spiritum Eliæ in S. Propheta Eliſeo Carmelitarum Duce Secundo, ad miracula facienda duplicaſti, &c.*

ARTICVLVS VI.

De vero Statu Monaſtico in Lege ſcripta cum tribus Votis eſſentialibus, & Conſiliorum Evangelicorum obſervantia, ejuſdemque ſtatus Inſtitutoribus adducimus.

In Lege ſcripta verè fuiſſe Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ vota, & Eliam, ac Eliſeum primos extitiſſe monaſticæ vitæ cum tribus votis eſſentialibus Duces, & Inſtitutores ex Sanctis Patribus legitur fol. 22. n. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. & 44.

In lege ſcripta fuiſſe evangelicorum conſiliorum obſervantiam, & quid ſit conſilium, præceptum, & votum colligitur ex fol. 28. n. 45. 46. 47. & 48.

In lege ſcripta non extitiſſe præceptum accedendi ad nuptias, nec fuiſſe prohibitum caſtitatem ſervare, videre eſt in fol. 29. n. 49. 50. & 51. In quo ſpecialiter notetur ratio Waldenſis lib. 3. doctr. fid. art. 2. c. 17.

Patres antiquæ legis in Chriſtum futurum firma fide credentes fuiſſe filios

Digitized by Google

adoptivos Dei, habetur ex D. Thoma, & Auguſtino, ut in fol. 33. n. 52. 53. 54. & 55.

Eliſeum, Filioſque Prophetarum emiſiſſe Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ Vota oſtenditur in fol. 38. n. 56. 57. & 58. in quibus notentur verba Waldenſis contra Witcleff lib. 3. art. 1. c. 20. & loco cit. art. 1. c. 4.

ARTICVLVS VII.

De Rechabitis in Lege veteri.

Jonadab filium Rechab monaſticam filiorum Prophetarum diſciplinam ab Elia inſtitutam amplexatum fuiſſe, legitur in fol. 40. n. 59. In quo ex Waldenſi lib. 3. doct. fid. art. 1. c. 5. explicatur Rechabitarum deſcendentia, & diverſitas.

Rechabitas alios eſſe genere, & ſtyrpe, alios diſciplina tantum, & inſtituto, ſic dicti à Recheb greco vocabulo, Curru, ſcilicet, Iſrael, quo nomine nuncupabantur Elias, & Eliſeus; hoſque Rechabitas fuiſſe veros Religioſos in veteri teſtamento, & in duplici genere, videre eſt in fol. 42. n. 60. 61. 62. 63. & 64.

ARTICULUS VIII.

De Eſſenis, Eſſeis, ſive Aſſideis veteris teſtamenti.

Eſſenos, ſive Eſſeos, ſive Aſſidæos, quod idem ſonant, ab aliquibus Rechabitas nuncupatos non per temporalem generationem à Rechab, ſed per ſpiritualem à Recheb, filiorum Prophetarum Monachatum ab Elia inſtitutum ſecutos fuiſſe, triaque extitiſſe Eſſenorum genera, & quinam ex his Eliæ Inſtitutum ſectati ſint, oſtenditur fol. 46. n. 65. 66. 67. 68. 69. & 70.

Eſſenos tria eſſentialia pro Statu Monaſtico vota Deo dicaſſe colligitur ex fol. 51. n. 71. 72. 73. 74. (in quo notanda veniunt verba Waldenſis lib. 3. doctr. fid. art. 1. c. 4.) 75. 76. & 77. In quibus duobus ultimis de Eſſenorum à Rechabitis inſtitutione poſt judaicam captivitatem per Mathatiam, & Socios fit ſermo.

ARTICULUS IX.

De Emerentianæ Virginis particulari notitia, ejuſq; cum Eſſenis, & Carmeli Montis Eremitis converſatione.

Ex Emerentiana Virgine quæ floruit ſeculo antecedenti ad Chriſti Nativitatem, Elianum Inſtitutum ab Eſſenis amplexatum ininterrupta ſucceſſione uſque ad Chriſti Adventum perduraſſe, habetur ex fol. 55. n. 78.

Deiparam Virginem Carmeli Montem, ejuſdemque Incolas ſua non tam decoraſſe, quam conſecraſſe præſentia, videre eſt fol. 57. n. 79. & 80. In quo de Nubecula parva cum Joanne 44. iterum fit memoria.

ARTICULUS X.

De Joanne Baptiſta Eſſenorum Principe.

Divum Joannem Baptiſtam à pueritia Eſſenorum monaſticam vitam ab Elia inſtitutam cum D. Eliſabetha ejus Matre ſecutum fuiſſe, & verè, ac realiter, & non tantum figuraliter fuiſſe Monachum, & Religioſum, ex

Ange-

Digitized by Google

Angelico Doctore cum D. Benedicto oſtenditur fol. 59. n. 81. 82. & 83. Joannem Baptiſtam in ſpiritu, & virtute Eliæ veniſſe, & utriuſque Teſtamenti veteris ſcilicet, & novi confinia tetigiſſe, eaque colligaſſe, ſuiſq; temporibus verum Eliæ Prophetæ extitiſſe Monachatum cum tribus votis eſſentialibus Religionis, & talis Monachatus Inſtauratorem, Innovatorem, ac Principem fuiſſe, colligitur ex fol. 62. num. 84. 85. 86. 87. 88. 89. & 90.

ARTICVLVS XI.

De Peculiari Religione addita vulgari in omnimoda perfectione cum ſollemnitate, & poteſtate clavium à Chriſto inſtituta.

Chriſtum Dominum in naſcentis Eccleſiæ primordiis, Monaſticum Eliæ Inſtitutum approbaſſe, ac in omni perfectione cum ſollemnitate, & poteſtate Clavium inſtituiſſe, adeòque Monaſtica Inſtituta non eſſe ab hominibus factitia, contra Witcleff, nec vacare Scripturis ex Waldenſi lib. 3. Doctr. Fid. art. 3. cap. 32. & de Sacramental. tit. 9. cap. 83. cum Sanctis Patribus evincitur, ex fol. 67. num. 91. 92. 93. & 94. & in num. 91. fit memoria, (ut in Officio Beatiſſimæ Virginis de Monte Carmelo) quod *Viri plurimi, qui veſtigiis Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Eliſei inſtiterant, & Joannis Baptiſtæ præconio ad Chriſti Adventum comparati fuerant, rerum veritate perſpecta, Evangelicam Fidem confeſtim amplexati ſunt.*

Monaſticam Perfectorum Religionem in Lege veteri, quoad ſubſtantiam, & eſſentiam ab Elia fundatam, & à Chriſto Domino in Lege Evangelica in genere cauſæ efficientis, & principalis in omnimoda ſua perfectione inſtitutam, primò profeſſos fuiſſe in gloriam Monialium, more clauſtrali, Deiparam Virginem; & in gloriam Dei, & Chriſti, futurorumq; hominum exemplum, Sanctum Apoſtolorum cœtum, conſtat ex D. Hieronymi Epiſtola, ut in fol. 72. num. 95.

Carmelitas poſt ſuam ad Chriſti converſionem, ſingularis devotionis affectu Deiparam Virginem venerari cœpiſſe, patet ex Eccleſiæ teſtimonio in Officio Deiparæ Virginis de Monte Carmelo, aliiſq; auctoritatibus, præcipuè Waldenſis de Sacramental. tit. 9. cap. 89. num. 9. contra Witcleff, in quo oſtendit Eliam ſuam inchoaſſe Religionem ad Sanctæ Virginis Patronatum, ut in fol. 73. num. 96. 97. & 98. & in n. 97. pariter oſtenditur Carmelitas Deiparam Virginem in ſui Ordinis tutelarem Patronam pariter elegiſſe.

ARTICVLVS XII.

De Perfectorum Religione ab Apoſtolis, & Carmelitis ipſorum Coadjutoribus in primo à Chriſto nato ſæculo inſtituta, & aucta.

Sanctos Apoſtolos fuiſſe Monaſtici, & Religioſi ſtatus Inſtitutores in Lege Gratiæ, ad Chriſti imitationem, Regulam ipſis ab eo datam, cæteris communicando, Sanctorum Patrum auctoritatibus, graviſſimorumque Scriptorum teſtimoniis, legitur de Apoſtolis, Matthæo, Paulo, & aliis, & de Divo Marco Evangeliſta. Et Carmelitas Deiparæ Virginis hortatu primos Eliani, & Prophetici Inſtituti Alumnos in naſcentis Eccleſiæ primordiis ſtrenuè, & imperterritè, tanquàm Apoſtolorum Coadjutores in Evangelii, & Nominis Jeſu promulgatione, & prædicatione, uſque ad mortem collaboraſſe; tantamque fuiſſe Carmelitarum ergà Deiparam Virginem, cujus familiaribus colloquiis, & converſatione fruebantur,

tur, venerationem, ut in ejuſdem honorem primum dictæ Virgini extruxerint Sacellum, colligitur ex fol. 75. num. 99. 100. 101. In quo verba Waldenſis lib. 3. Doctr. Fid. art. 1. cap. 7. contra Witcleff ex auctoritate Philonis contemporanei D. Petri deſumpta, ſpeciali aliqua reflexione notanda ſunt. Et ex num. 102. in quo cum Chronica Romana antiqua fit ſpecialis notitia de Enoch Amatin Carmeli Incola D. Marci Coadjutore, de quo in Summorum Pontificum Bullis fit mentio. Et tandem ex num. 103. 104. & 105. in quo ſingularis notitia de Sacello Deiparæ Virgini, & de loco à Carmelitis extructo cum Lezzana tom. 1. annal. ad an. 3220. ex verbis Armacani in ſermone Conceptionis, relatis à Waldenſi de Sacramental. tit. 9. cap. 89. notanda venit.

Monaſticam Perfectorum Religionem non trecentis annis, & ultra poſt Aſcenſionem Chriſti, ſed ab exordio naſcentis Eccleſiæ, originem ſumpſiſſe, ſolidis Scripturæ fundamentis, & Sacrorum Scriptorum authoritatibus oſtenditur cum Waldenſi lib. 3. Doctr. Fid. art. 1. cap. 6. contra Witcleff fol. 83. num. 106. 107. & 108. in quo Hilarionis primitas, & Actorum Verba pro Carmelitis cum ſingularitate notentur.

Carmelitas Eliani Inſtituti Alumnos anno, quo Chriſtus aſcendit in Cœlum, ad habitationem, ſeù hoſpitium propè Cœnaculum conſtructum (ut mos erat ter in anno ad Æncenia celebranda) deſcendiſſe, & in die Pentecoſtes Sanctum recepiſſe Spiritum, ob cujus beneficii memoriam, ante Miſſam Conventualem, Antiphonam: *Veni Sancte Spiritus* quotidiè canunt, habetur ex fol. 87. num. 109.

Corollarium peculiare pro Carmelitis, in quo Waldenſis lib. 4. Doctr. Fid. art. 2. recenſet teſtimonia Joſephi Antiocheni, & Joannis Hieroſolymitanis, neutiquàm penès ipſum ſuſpectorum, ac per conſequens, nec à benevolo Lectore, ut ſuſpecti cenſendi, Carmelitaſque Apoſtolorum Coadjutores cognoſcit, vide in fol. 88. num. 110.

Carmelitas Apoſtolorum Coadjutores fuiſſe à D. Jacobo in Hiſpania miſſos, ut Chriſti Fidem in ea diſſeminarent, legitur ex teſtimonio Luitprandi fol. 89. n. 111. In quo etiam habetur anno 42. à Paſſione Domini Titum, & Veſpaſianum Hieroſolymam venientes, Eliæ Succeſſores ob reverentiam Chriſti muneribus honoratos, illeſos dimiſiſſe, Veſpeſianumque Baſilidem Sacerdotem Montis Carmeli Incolam conſuluiſſe; de cujus Baſilidis Religionis integritate nullatenus ambigendum eſt ex eo, quod Tacitus, & Svetonius, Etnici illum referant, ut ex num. 112.

Hoc eodem primo noſtræ ſalutis ſæculo Martham, Magdalenam (D. Dionyſium Areopagitam, & inſignem Matronam Damarim in prædicatione Pauli ad Fidem converſos) alioſque quamplurimos Monaſticum Eliæ Inſtitutum ſecutos fuiſſe, videtur in fol. 93. num. 113. & 114. Et hæc de primo ſæculo.

ARTICULUS XIII.

De ininterrupta Carmelitarum ab Elia ſucceſſione in ſecundo, & tertio à Chriſto nato ſaculo.

In ſecundo ſalutis noſtræ ſæculo Elianum Inſtitutum ininterrupta ſucceſſione continuaſſe, quamplurimoſque ejuſdem inſtituti Alumnos Martyrii palmam adeptos fuiſſe, conſtat ex fol. 95. num. 115. 116. & 117. in quo fit ſpecialis memoria de S. Veneranda, ejuſque admirabili martyrio hujus Ordinis jubari præclariſſimo.

In tertia Legis Evangelicæ centuria ininterruptè perſeveraſſe, oſtenditur ex celebri Epiſtola Urbani I. Chriſtianis, & Religioſis illius temporis ſcripta, & ex D. Dionyſio à Sac. Rit. Congregatione huic Ordini tanquàm ejuſ-

Digitized by Google

ejuſdem Alumno in ipſius Officio approbato, ut in ſol. 100. num. 118. in quo etiam de S. Teleſphoro, Amatore, aliiſque Anachoretis, fit memoria.

In hoc paritèr ſæculo floruiſſe D. Antonium Abbatem, Elianiq; inſtituti Sectatorem fuiſſe, necnon Divos Spiridionem, Julianum, Baſiliſſam, alioſque ejuſdem Inſtituti Alumnos, videre eſt fol. 102. num. 119. in quo circa Hilarionem ex Sozomeni auctoritate ſpecialis reflexio habenda eſt. Et hæc de ſecundo, & tertio à Chriſto nato ſæculo.

ARTICVLVS XIV.

De ininterrupta Carmelitarum ab Elia ſucceſſione in quarto à Chriſto nato ſæculo.

In hoc ſalutis noſtræ ſæculo Eliæ Monachatum viguiſſe conſtat ex Euſebio Cœſarienſi, ut ex fol. 104. num. 120. & 121. in quibus nonnulli hujus Sacri Inſtituti Sancti recenſentur, inter quos S. Chariton. Et oſtenditur Helenam Conſtantini Matrem Crucis Inventionis deſiderio motam, Hieroſolymam veniſſe, nonnullaſque Carmelitici Inſtituti Alumnis tùm Viris, tùm Mulieribus magnificè erexiſſe, & inſtauraſſe Eccleſias.

Huic Elencho addimus, quæ omiſimus in Brevi Chronologia ſub hoc ſæculo, nempè Magnum Baſilium, ſuorum Religioſorum, quorum Patriarcha fuit, præſcripſiſſe regulam, attemperando priſcorum Monachorum vitæ auſteritatem, ut habetur ex ejuſdem officio multoties à Sac. Rituum Congregatione approbato, in quo Lectione tertia ſecundi nocturni, ſequentia leguntur. *Primus duriorem illum antiquorum Monachorum Ritum ad meliorem formam redegit, magiſq; Religioni congruentem*. Ex quibus verbis clarè conſtat antecedentèr ad D. Baſilium verum Monachatum extitiſſe, qui quidem nullus alius eſſe poterat, quam Elianus. Pro ſuis enim Religioſis, quorum Pater fuit, duriorem illum antiquorum Monachorum Ritum ad meliorem formam redegit.

Hoc eodem ſęculo Divum Antonium Abbatem à quodam Monacho Eſſeno inſtructum, ex Inſtituto magni Prophetæ Eliæ exemplum ſumentem, eiuſque imitatorem exiſtentem, ſecreta Eremi ſectatum fuiſſe comperies ex Divo Athanaſio ejus vitam ſcribente fol. 107. nu. 122. & 123. in quo etiam de Hilarione, Porphyrio, Gregorio, relato Baſilio, alijſq; Eliani Inſtituti Sectatoribus; & cum Sozomeno, Eliam Status Monaſtici cœterorum exemplum fuiſſe comperies; & nota argumentum de exemplo, & exemplato.

Hoc itidem Sæculo floruiſſe Ioannem Carmelitam 44. Patriarcham Hieroſolymitanum, librumq; compoſuiſſe de Inſtitutione Monachorum in lege veteri exortorum, & in nova perſeverantium ad Capraſium, ejuſdem ſucceſſorem, in quo ſingularitèr de Carmelitarum ininterrupta ſucceſſione ab Elia vſque ad ſuum tempus diſtinctam memoriam, & atteſtationem mirabilitèr prębet, conſtat ex fol. 109. nu. 124. in quo pręfatus Ioannis liber vindicatur ab aliquorum ſuſpicione. Et in n. 125. oſtenditur Sanctas Euphraſiam, & Euphroſinam, ac Sanctum Cyrillum Epiſcopum Alexādrinum Montis Carmeli Cultorem claruiſſe, qui poſtea in Epheſina Synodo unanimi Patrum conſenſu, Neſtorium condēnauit, Deiparamq; Virginem Matrem Dei appellandam eſſe definiuit.

Vnde in Breviario Carmelitarum antiquo ſupra relato in ultima lectione legitur; *Conſcripſit propterea librum, decem capitulis diſtinctum contra Neſtorium: definiens cum prædicto Concilio, temerarium eſſe: dicendo Beatam Virginem Mariam non eſſe veram Dei Matrem: Quod in Decretis diſtinctione ſextadecima. Capitulo* Sexta: *manifeſtè reprobatur.*

Digitized by Google

tur. Et quamuis (nota) *ſucceſſores Eliæ, & Eliſei Prophetæ poſt Incarnationem Domini noſtri Ieſu Chriſti Fratres Ordinis Glorioſiſſimæ Dei Genitricis, ſemperq; Virginis Mariæ de Monte Carmelo per privilegia Apoſtolica vocarentur: Ex eo quod in prædicto Monte iuxta Fontem Eliæ in honorem Beatiſsimæ Dei Genitricis Virginis Mariæ Oratorium primi conſtruxerunt: tam quia Beatus Cyrillus pro ipſa Dei Genitrice contra Neſtorium ita audactèr, & ſcientificè diſputavit: & validis argumentis ſuperavit, fortiſſimiſque rationibus illam verè eſſe Dei Genitricem probavit. Tunc in eodem Concilio ſancitum fuit, quod Fratres Ordinis ſui ſpecialius titulo Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmelo non immeritò, ſed laudabiliùs deberent inſigniri, & glorioſiùs decorari.*

Hoc eodem ſęculo ſacrum hunc Ordinem claruiſſe oſtendunt exterorum teſtimonia maximè inſignis Juris-Conſulti Caroli de Tapia in Capraſio, Euthitio, Miletio, Cæſareo Arelatenti Epiſcopo, & aliis, ut in fol. 111. n. 126. & 127. & hæc de quarto à Chriſto nato ſæculo.

ARTICVLVS XV.

De ininterrupta Carmelitarum ab Elia ſucceſsione in quinto, & ſexto à Chriſto nato ſæculo.

Sacrum Eliæ Inſtitutum ab anno 500. uſq; ad 600. noſtræ ſalutis annum ininterruptè continuaſſe, conſtat ex Anaſtaſia, Jacobo Porphyrionita, aliiſq; Carmelitici inſtituti Alumnis, ſanctitate claris, & ex Concilio Conſtantinopolitano de anno 536. cui interfuere nonnulli Eliani Inſtituti Monachi; ſicut & paritèr ex quodam vetuſto monumento Campanæ Carmelitici Ordinis ſtegmate, & Prioris nomine, ſub quo formata fuit, ſignatæ, ut ex fol. 115. n. 128 129.

Floruiſſe in ſexto paritèr ſęculo conſtat ex perſecutionibus, quas Coſdroas Perſarum Rex huic Sacro Ordini intulit, itaut Carmelitæ pluribus hinc indè devaſtatis ſui Inſtituti Monaſteriis, innumeriſq; martyrio coronatis eorundem Alumnis, ſolummodò in Eremis Carmeli, Jordanis, Montis Neroy, Quarantenæ, pauciſq; aliis ſolitudinibus retinere potuerunt loca, ut cum Arnoldo Boſtio, & Joanne Palæonydoro videre eſt fol. 116. n. 129. Et hæc de Quinto, & Sexto à Chriſto nato ſęculo.

ARTICVLVS XVI.

De ininterrupta Carmelitarum ab Elia ſucceſſione in ſeptimo, & octavo à Chriſto nato ſæculo.

Hunc Sacrum Ordinem in ſeptimo legis Evangelicæ ſęculo continuaſse ex Divo Anaſtaſio, quem nonnulli Scriptores, & Sacra Rituum Congregatio in Oratione ejuſdem Officij confirmati ſub Paulo V. & Vrbano VIII. Carmelitam eſſe affirmant; Et ex Perſecutionibus, ac Tyramnide, quas Carmelitæ paſsi fuere ab Humar Arabiæ Rege, à quo coacti fuerunt Pallia, ſeu Cappas, quas albas deferebant, dimittere, barrataſque aſſumere; Et ex eo quod Mahomętus adſtrictus fuerit pacem inire cum Chriſtianis, illamque concludere in Monaſterio Religioſorum Montis Carmeli; Et ex quodam antiquo monumento, quod extat in Hyſpalenſi Civitate, colligitur ex fol. 117. nu. 130. & 131.

In octavo verò ſęculo ininterruptè continuaſſe oſtendunt Ægidius Galenius Canonicus Colonienſis: Senenſe Carmelitarum Cœnobium: Quidam lapis ſepulchralis in noſtro Piſarum Clauſtro oppoſitus: Toletanum Car-

Carmelitarum Monaſterium. Quamplurima beneficia á Carolo Magno Carmelitis Hieroſolymis præſtita, ut ex fol. 119. n. 132. & 133. Conſtat paritèr ex Concilio Niceno vndecimo hoc ipſo ſeculo anno 787. celebratum, cui Eliani Inſtituti Monachos interfuiſſe conſtat ex eorum ſubſcriptionibus, ut in eodem n. 133.

Huic Elencho addimus, quæ omiſimus ſub hoc ſœculo in brevi Chronologia, fundationem nempè Eremitorii noſtri Ordinis propè Florentiã ſecutã anno 743. per Carmelicolas fugitivos à facie perſequentium Saracenorum, ut ex ſequentibus ejuſdem Florentiæ Civitatis Epiſcopi litteris.

Nos Thomas miſeratione Divina Florentiæ Epiſcopus, proteſtamur expreſsè ad perpetuam rei memoriam, & poſteris futuram fidem, quod ad honorem Dei, & Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, & omnium Cæleſtium Civium in cœleſtibus triumphantium, præſentibus Mauritio Cionio Corterio, Ardighio à S. Geminiano, & Gotifredo Cuſſa, omnibus Eccleſiæ Florentinæ Presbyteris, necnon, & præſentibus Eremitis ejuſdem Carmeli Montis Geneſio, Baſilide, Cyrillo, Enoch, Fronto, Onuphrio, & Elpidio ex eodem S. Monte ab Arabiæ iniquo Mahometti Succeſſore, & diſcipulo Humar Rege fugientibus, & in hanc Provinciam decurſis, hac præſenti die infraſcripta primum lapidem parvæ Eccleſiæ in remoto loco pro eiſdem Eremitis Carmeli, ad totius Populi Florentini placitum, & concurſum, propriis noſtris manibus, Deo dante, poſuimus propè Civitatem, juxta Piſanam viam, & fluvium Arni. Acta ſunt hæc Florentiæ in Palatio Epiſcopali teſtibus ad omnia vocatis Joſepho à S. Vivaldo, Balduino Balduini, de Colle Valliſelse, & Gualterio quondam Vicedomino Florentino ſub anno Domini 743. Menſe Majo, ejus vero die prima, Indictione XI. &c. Ego Raynerus Symeonis à Signa Apoſtolica, & Imperiali Auctoritate Notarius Florentinus, rogatus mea manu confeci, & ſignum mei tabellionatus appoſui. Locus ✝ Signi. Hæc in perennem memoriam marmori inciſa in Clauſtro cernuntur. Et hæc de ſeptimo, & octavo, à Chriſto nato ſeculo.

ARTICULUS XVII.

De Ininterrupta Carmelitarum ab Elia ſucceſſione in Nono, & Decimo à Chriſto nato Seculo.

Ab anno Chriſti nati 800. uſque ad milleſimum continuatè extitiſſe ac viguiſſe Elianam Sobolem, patet ex Indulgentiis Leonis IV. magni (teſte Anaſtaſio) Religioſorum amatoris, qui conſecratus anno 848. profugis compatiens Carmelitis, omnibus Chriſti-fidelibus illorum ſubvenientibus neceſſitati, conceſſit. Item ex Indulgentiis eidem Ordini impertitis ab Adriano II. anno 855. & Stephano V. anno 885. ut ex fol. 123. n. 134. Pariter ex fundatione Conventus Leontini, ut ex n. 135. Item ex fundatione Eccleſiæ & Monaſterii Sancti Martini in Montibus, ut ex fol. 125. n. 136.

Conſtat pariter ex Sacello Eliæ in Monte Carmelo conſtructo, à Baſilio Imperatore reſtituto, & renovato, ut ex fol. 126. n. 137.

Ab anno noſtræ ſalutis 900. uſque ad 1000. hunc Sacrum Ordinem ininterruptè extitiſſe, & viguiſſe, conſtat ex Indulgentiis eidem conceſſis à

 Sergio

Digitized by Google

Sergio III. circa annum 907. & à Joanne X. circa annum 913. De quibus fit memoria in Bulla Sixti IV. ſicuti & de cœteris in antecedenti ſeculo recenſitis, quæ incipit: *Dum attenta meditatione*: Et in Bullis Gregorii XIII. Clementis X. & aliorum. Pariter conſtat ex fundatione Conventus Dinckelſpulienſis in Germania, ut ex fol. 127. n. 138. Item ex quadam Peruſii vicina Eremo à Carmelitis habitata. Et ex Benedicto V. Pontifice Maximo, quem non tàm intranei, quàm extranei Scriptores Carmelitano adſcribunt Ordini. Tandem ex S. Gerardo, cujus Officium Sacra Apoſtolica Sedes, tanquam ſui Ordinis Alumni Carmelitis conceſſit, ut ex fol. 128. n. 139. & hæc de nono, & decimo à Chriſto nato ſeculo.

ARTICULUS XVIII.

De ininterrupta Carmelitarum ab Elia ſucceſſione ab Vndecimo vſque ad Decimumtertium à Chriſto nato ſeculo.

Hunc pariter Ordinem abſque interruptione continuaſſe in undecimo noſtræ ſalutis ſeculo, patet primo ex Indulgentiis Summorum Pontificum Alexandri II. anno 1061. & Gregorii VII. anno 1074. recenſitis, & relatis cum cœteris antecedentibus à Sixto IV. Julio II. Gregorio XIII. & Clemente X. Carmelitis conceſſis, & ex Monaſterio Bopardiæ juxta Rhenum Fluvium, aſſentiente Henrico Imperatore à Carmelitis anno 1045. conſtructo, & ex Monaſterio Venetiarum; ut ex fol. 129. n. 140.

Pariter floruiſſe in duodecimo ſalutis noſtræ ſeculo colligitur ex Jacobo de Vitriaco Cardinali, Joanne Trithemio, Arnoldo Boſtio, & Guillelmo de Sanvico, ut ex fol. 131. n. 141. & ex fundatione Conventus Burdigalenſis veteris in Aquitanica Gallia, ut ex Daniele à Virgine Maria in vita S. Simonis Stoch n. 745. in ejus Vinea Carmeli videri poteſt.

Hoc pariter ſeculo Sacrum Eliæ Inſtitutum ininterrupta ſucceſſione continuaſſe conſtat ex Aymerico Patriarcha Antiocheno qui Joannis 44. librum grecè ſcriptum in latinum transferri juſſit, ad notitiam Religioſorum, qui ex Europa venientes talem linguam grecam ignorabant, Ordinemque multum promovere ſtuduit, Carmelitiſque de communi Gremialium aſſenſu in primum Priorem Generalem inter Latinos prefecit S. Bertholdum, ut legitur in lectionibus ſecundi nocturni in officio ejuſdem Sancti ab Eccleſia ſæpius approbato, ut in fol. 132. n. 142.

Similiter patet ex fundatione Conventus Dantiſci in Polonia ſecuta anno 1136. per Subislaum I. Pomeraniæ Ducem Chriſtianum, ut ex authentico fundationis inſtrumento, quod refertur fol. 133. n. 143. Conſtat pariter ex reſtitutione Carmelitis facta Eccleſiæ Toletanæ S. M. de Alſizen ſub anno 1133. per Alphonſum VI. cum liberaliſſima donatione pro Conventu, ut ex ipſo Regis Diplomate in prefato n. 143. relato. Ex quibus conſtat Carmelitarum Ordinem ante Patriarchatum Aymerici plenè formatum extitiſſe, & ab eo neutiquam exordium ſumpſiſſe, ut aliqui putant. Patet itidem ex fundatione Conventus Colonienſis, ſecuta anno 1198. vel 1199. opera nobilis Militis, ac Patritii Colonienſis Domini Brunonis de Bonerhoff, qui eo anno Carmelitas ex ipſo Mõte Carmelo Coloniam Agrippinam adduxit, ut ex relato n. 143. & ex Daniele à Virgine in Vinea Carmeli, & vita S. Simonis Stoch n. 745.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS XIX.

De Ininterrupta Carmelitarum ab Elia ſucceſſione ab anno 1200. *uſque ad annum* 1300.

Sacrum Eliæ Inſtitutum viguiſſe in tertiodecimo ſalutis noſtræ ſeculo eruitur primo ex authentico inſtrumento Bononiæ dato ſub die 22. Menſis Maii 1202. rogato per Dominum Oliverium de Scudellis, cujus exemplum authenticum extat in Archivio S. Mariæ Tranſpontinæ, & in Conventu Carmelitarum Congregationis Mantuanæ Civitatis Parmæ; ex quo apparet venditio medietatis unius domus, facta à Domino Jacobo filio qu. Domini Henrici, & Fratre Dominæ Hugolinæ, Patri F. Benvenuto filio qu. Domini Petrezuoli Ordinis Fratrum S. Mariæ de Carmelo Civitatis Bononiæ, ementi pro ſe, & ſuis ſucceſſoribus; Ex quo inſtrumento conſtat antea extitiſſe talem Ordinem Carmelitarum.

Conſtat pariter ex fundationibus Monaſteriorum Petrelatenſis in Catalonia ſub anno 1206. Patavienſis in Italia; Herbipolenſis in Germania; loci receptione in Cantia Comitatu Angliæ ſub anno 1212. In Apulia; In Campania; In Sicilia ſub anno 1219.; Leocatenſis in Sicilia; Dinakſpulenſis in Germania Superiori ſub anno 1221. Valencenenſis in Belgio ſub anno 1235. Forcanienſis, & Famaguſtani in Cypro ſub anno 1238. Meſſanenſis, Panormitani, Drepanenſis in Sicilia ſub eodem anno. Alveuvicenſis, & Eylesfordienſis in Anglia 1239. Nerbendenienſis, Burnhamienſis, Londinenſis in Anglia ſub anno 1241. Bolthonienſis itidem in Anglia, comitatu Eboracenſi S. Ivonis dicti circa annum 1242. Fundatore Richardo Grey de Cotnor; Maſſilienſis in Gallia Narbonenſi ſub anno 1244. Et aliorum quampluriorum in Gallia, Hyſpania, Britannia &c. hoc eodem ſeculo a Carmelitis obtentorum, ut in Vinea Carmeli in Chronologia vitæ S. Simonis Stoch, Patris Danielis a Virgine num. 745.

Conſtat itidem ex receptione ad habitum Eliani Inſtituti S. Simonis Stoch; & ex Martyrio S. Angeli Carmelitæ Leocatæ in Sicilia ſecuto ſub anno 1220. Qui ex Hieroſolymis ad Siciliam commeaturus *Romam perveniens, à Sanctis Franciſco, & Dominico agnitus, in honore habitus, & familiariter tractatus, Beato Franciſco Stygmatum impreſſionem prædixit, à quo & ſui Martyrii prædictionem accepit*. Huncque *inſignem Sanctitatis Virum Patribusq; ſuis Eliæ, & Eliſeo perſimilem, miraculis Deus ſimilibus illuſtravit*; ut legitur in ejus officio quarta, & ſexta lectione, à Sac. Rit. Congregatione, pluries approbato, & à Summis Pontificibus confirmato. Hunc fuiſſe Eliani Inſtituti Alumnum præter id quod teſtatur Sac. Rit. Congregatio illis verbis: *Patribusq; ſuis Eliæ, & Eliſeo perſimilem*, conſtat ex eo quod tàm apud Venerabiles Divi Dominici, quàm Seraphici Franciſci Patriarcharum Alumnos, ſicut & apud Nos in præfata D. Franciſci Stygmatum, ejuſque Martyrii mutua prædictione, Habitu Carmelitico indutus in tabellis depictus conſpicitur.

Conſtat etiam ex deceſſu S. Alberti Patriarchæ Hieroſolymitani Ordinis Carmelitarum Legiſlatoris Latini, ſecuto ſub die 8. Aprilis 1214. Et ex promotione D. Simonis Stoch in Vicarium Generalem per omnes Occiduas Europæ Provincias, in quibus hic Sacer Ordo refloreſcere cæperat, ut ex eodem Daniele à Virgine loco citato num. 730. & 731.

Conſtat ſimilitèr ex Regula ſub anno 1209. à D. Alberto Patriarcha Hieroſolymitano tradita S. Brocardo Priori Generali, ejuſque Fratribus Carmelitis obſervanda, juxtà Lezzanam eodem anno 1209. licèt aliqui ſub an-

Digitized by Google

anno 1199. velint traditam fuiſſe, fortaſſe decepti ex numerorum efformatione, ab Honorio III. per ſuum Breve Apoſtolicum de die 30. Januarii 1226. Deiparæ Virginis juſſu confirmata, ut ex relato Daniele à Virgine loco ſupracitato num. 736. Et ex Officio Deiparæ Virginis de Monte Carmelo lectione quinta, in qua legitur: *Ac demùm cùm olim in Europa Ordo eſſet ignotus, & ob id apud Honorium III. non pauci pro illius extinctione inſtarent, adſtitit Honorio noctu puriſſima Virgo Maria, pleneque juſſit, ut Inſtitutum, & Homines benignè complecteretur*. Quod officium multoties examinatum à Sac. Rit. Congregatione fuit approbatum. Quam poſtea S. Simone Stoch inſtante, ut Ordinem ſibi commiſſum à novis ſubtraheret perſecutionibus, iterùm approbavit, & confirmavit Gregorius IX. Honorii III. Succeſſor, dato Diplomate de die 6. Aprilis 1230. ut in Speculo Ordinis Venetiis impreſſo anno 1507. fol. 32. Et ex Lezzana in Annalibus ad annum 1230.

Conſtat ſimilitèr ex alio Brevi Apoſtolico Gregorii IX. quo relatus S. Simon curavit Ordinem ſuum ſuſcipi ſub protectione Sedis Apoſtolicæ, ac tempore Interdicti, poteſtatem Divina celebrandi, de die 9. Aprilis ejuſdem anni 1230. ut ex locis ſupracitatis.

Conſtat pariter ex quatuor privilegiorum Bullis, quas enunciatus S. Simon ante inchoationem Concilii Generalis Lugdunenſis, ab Innocentio Papa IV. impetravit, unam ſcilicèt de die 8. duas de die 13. & unam de die 20. omneſque Menſis Junii anni 1245. ut in Speculo, & Bullario Ordinis fol. 61. & 62. in quibus extant tales Bullæ. Sicut ex aliis privilegiis, ſeù indultis Apoſtolicis ab eodem Innocentio Ordini noſtro impertitis ſub die 13. & 27. Julii 1246. locis ſupracitatis recenſitis.

Conſtat etiam ex eo quod cum Sacer noſter Ordo à ſuæ Inſtitutionis primordiis peculiaritèr ſolitudini, & contemplationi addictus eſſet, & ab Innocentio IV. cum aliis tribus unus ex quatuor Mendicantibus deſtinatus fuiſſet, D. Simon Stoch à præfato Pontifice de Conſilio Capituli Generalis mitigationis Bullam obtinuerit ſub die prima Octobris 1247. quæ Bulla extat in Speculo Ordinis lib. 8. cap. 8. & iterùm fol. 74. & 75. & in Annalibus Ordinis ad annum 1247. & apud Cherubinum tom. 1.

Item conſtat ex tribus Privilegiorum Bullis ab Innocentio IV. in Ordinis favorem obtentis à relato S. Simone Stoch, omnibus ſub eadem die 27. Septembris 1250. datis; quæ extant in Speculo, & Bullario Ordinis fol. 63. & de quibus Lezzana in Annalibus ad annum 1250.

Conſtat itidem ex eo quod cum Carmeliticus Ordo infenſiſſimas ſuſtineret perſecutiones, præſertim in Europa, S. Simoni ad Supremum Deiparæ Virginis adjutorium confugienti, ipſamque depræcanti; prout ipſemet Vir Sanctus fatetur in Epiſtola hac de re, per ſemetipſum dictata ſuo Confeſſario Petro Swayngtono Anglo, ac per Ordinem mox divulgata; in quo poſt alia ſic ait: *Cum effunderem animam meam in conſpectu Domini, quamvis ſim pulvis, & cinis, & in omni fiducia Dominam meam Virginem Mariam depræcarer, quod ſicut volebat nos appellari Fratres ſuos, monſtraret ſe Matrem, eripiendo Nos de caſu tentationum, & aliquo ſigno gratiæ Nos recommendando ergà ipſos, qui nos perſequebantur, dicendo illi cum ſuſpiriis.*

Flos Carmeli,	*Mater mitis,*
Vitis Florigera,	*Sed viri neſcia,*
Splendor Cœli,	*Carmelitis*
Virgo Puerpera,	*Da Privilegia,*
Singularis	*Stella Maris.*

apparuit mihi cum grandi comitatu, & tenendo Habitum Ordinis,

di-

Digitized by Google

dixit: *Hoc erit tibi, & cunctis Carmelitis privilegium. In hoc moriens æternum non patietur incendium*. Inſupèr eadem Virgo Deipara tunc quoque ipſi Beato Simoni in mandatis dedit, ut mitteret ad Innocentium Papam IV. qui de præfatis gravaminibus Ordini inflictis, remedium præſtaret. Nàm mox ſubdit in ſua Epiſtola idem Vir Sanctus. *Et quia ſua glorioſa præſentia me lætificabat ultra captum; nec ego miſer Majeſtatem ejus ſuſtinere poteram, diſparendo dixit, quod mitterem ad Dominum Innocentium benedicti Filii ſui Vicarium, qui de gravaminibus remedium præſtaret, &c.* Hæc ipſemet S. Simon Generalis.

Alteri quoque, videlicèt Venerabili Nicolao Gallico Deiparam apparuiſſe, ac mandaſſe, ut in hoc eodem negotio præfatum Innocentium accederet, teſtatur Arnoldus Boſtius in ſuo Patronatu Mariano cap. 9. dicens poſt alia: *Virgo Benigniſſima Maria ſuper-altiſſimæ Trinitatis Speculum, Tricliniumque delitioſum, Carmelitanique Populi honorificentia peculiaris à tàm chariſſimè dilectis amicis humilitèr invocata, Beato Viro Nicolao Gallo Priori Generali Gregis Carmeli, Reginæ tàm ſublimi visitatione prædigno, inter alia familiaritèr, & amicè dixit, ut ad Pontificem Maximum Innocentium accederet intrepidè, qui juxtà nominis ſui indicium nemini nocendo, partem foveret Innocentium: Sic quoque ſalubre remedium ab eo, contra præmiſſa gravamina reportarent*. Hujus etiam legationis Marianæ copioſè meminit Abbas Trithemius lib. 1. de laudibus Carmelitarum, dignus, ut hac in parte legatur.

Ob præfatum tàm nobile, ac magnificum Deiparæ Virginis apparitionis prodigium Confirmatum legitur à Sac. Rit. Congregatione in ejus Officio Lectione ſexta, & à Summis Pontificibus approbato, hocque ſublime privilegium Sacri Habitus, ſivè Scapularis, quod Deipara Virgo S. Simoni tradidit; per quod etiam mox eodem die illuſtria patrari cæperunt miracula, & vetuſtiſſimi hujus Ordinis Confraternitas, hactenus *Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo*, nuncupata, renovari, propagari, ac novo titulo *Sacri Scapularis* inſigniri cæpit. Multi verò Reges, ac Principes, præter vulgus innumerabile, ſucceſſivé eidem Confraternitati ſeſe incorporarunt: Quos denique ipſi quoque Summi Pontifices, Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & alii ex Clero plurimi ſunt imitati. Suprarelata Deiparæ Virginis apparitio contigit Cantabrigiæ in Anglia ſub nocte diei 16. Julii 1251.

Conſtat paritèr ex Bulla de die 13. Januarii 1252. qua Innocentius Papa IV. cunctis Epiſcopis, & Archiepiſcopis juxtà relatum Deiparæ Virginis mandatum ſeverè præcipiebat, ut Fratribus Carmelitis in præfatis gravaminibus pium favorem impenderent, & moleſtatores ipſorum per cenſuram Eccleſiaſticám appellatione poſtpoſita compeſcerent; quæ Bulla extat in Speculo Ordinis lib. 9. cap. 7.

Similitèr conſtat ex quatuor Bullis Apoſtolicis, quas ſub eadem die 26. Auguſti 1253. ad inſtantiam utique S. Simonis Stoch in hujus Ordinis favorem conceſſit Innocentius IV. ut in Speculo Ordinis fol. 61. ac in annalibus ad annum 1253.

Conſtat paritèr ex litteris binis Apoſtolicis à præfato Innocentio IV. de die 26. Auguſti, & 9. Septembris de anno 1254. datis in favorem aliquot Monaſteriorum Angliæ.

Conſtat etiam ex eo quod Nicolaus Gallicus anno 1254. ac deinceps, in Paleſtina preſertim in Monte Carmelo degebat, ubi ipſa Deipara Virgo Maria rurſùs apparuit, præmonens eum de Adventu S. Ludovici Regis Franciæ in Montem Carmelum. Hic quippè S. Rex repatrians in Franciam (annum præſentem notant Gordonus, Spondanus, & alii) ad

Digitized by Google

ad radices Montis Carmeli, evidens naufragii incurrit periculum. Undè voto facto ad ejuſdem Montis, & Ordinis Patronam Deiparam, quod ejus Eccleſiam inviſeret, periculum patrocinio ejus evaſit, Montem aſcendit, Matri Virgini gratias egit, Fratres ejus inviſit, eorumque ſex numero ſecum ſumpſit, Monaſterium ipſis Pariſiis ante *portam barratam* (ſic à *Barratis* Fratrum Palliis deinceps appellatam) fundavit: Habitum privilegiatum Sacri Scapularis aſſumpſit, Ordiniſq; hujus Confrater effectus, in eodem Sacro Habitu (quem quidam deridens, miraculosè punitus eſt) ſanctè obiit, Carmelitiſque Pariſienſibus aureum ſuper albo ſerico (ut Boſtius loquitur) ornamentum, cum omnibus ſua plenitudine perfectum, ad decoranda Deiparæ Virginis ſollemnia donavit.

Conſtat ſimilitèr ex B. Franciſco natione Cremonenſi, Carmelitica verò profeſſione Senenſi, qui cum prædicaret Cremonæ contra peſſimum Blaſphemiæ vitium in Deum, & Sanctos ſuos, in publico Foro, in quo frequentèr eſſe ſolebat, à concitata Plebe ad Columnam quamdam in medio Fori ligatus, lapidibus, ut alter Stephanus obrutus, in pace quievit anno 1257. ut ex Daniele à Virgine ex Benedicto Gonono in Chronico ſuo Mariano.

Conſtat itidem ex quatuor Bullis ab Alexandro IV. Ordini noſtro conceſſis, videlicèt tribus ſub die 13. Februarii, & una ſub die 18. Martii 1259. ut ex ſpeculo Ordinis fol. 68. & 71. & in Annalibus ad annum 1259.

Similiter ex ſex aliis diverſis Bullis ab eodem Alexandro IV. in Ordinis profectum conceſſis, ſcilicèt una ſub die 7. Martii; tribus ſub die 8. ejuſdem, una ſub die 11. & alia ſub die 29. ejuſdem Martii. Item ex Breve Apoſtolico, quo Urbanus IV. conceſſit, quod Fratres hujus Ordinis pia Fidelium legata recipere poſſint, ſicut & bona injuſtè quidem acquiſita, neſcitur tamen cui illa reſtitui debeant, & omnes ſub anno 1261.

Conſtat etiam ex ſeptem aliis diverſis Bullis, quas præfatus Vrbanus Papa IV. expediri juſſit, ſcilicet una de die 22. Februarii: duabus de die 15. & 19. Martii; duabus de die 15. & 16. Maii, & duabus de die 28. Auguſti, omnibus ſub eodem anno 1262.

Hæc in Elencho addere duximus, ut ſingularia beneficia à Sede Apoſtolica, præcipuè ab Innocentio IV. Ordini conceſſa benevolo Lectori innoteſcant; non ſine ſpe firma, quod hic humilis Ordo conſimilia ab Innocentio Divina Providentia Papa XII. ſit conſecuturus, quæ à tot Summis Pontificibus incipiendo à Leone IV. Adriano II. Stephano V. Sergio III. Joanne X. aliiſque ſuprarelatis conſecutus eſt, quorum Bullas Sixtus IV. in ſua de anno 1477. ſeptimo Kalendas Aprilis, ejuſdem Pontificatus anno ſexto, quæ incipit: *Dùm attenta meditatione* recenſet, ac confirmat; Et in alia dicta Mare Magno, quæ paritèr incipit: *Dùm attenta meditatione* de anno 1476. quarto Kalendas Decembris, Pontificatus ejuſdem anno ſexto, quamplurimas alias ſuorum Prædeceſſorum Bullas, huic Ordini conceſſas, de verbo ad verbum inſerit, inquiens: *Quas Bullas in Cancellaria noſtra diligentèr inſpici, quarumque tenorem de verbo ad verbum præſentibus inſeri fecimus, cum incipiant vetuſtate conſumi, & quas, & earum tenores innovamus, confirmamus, & approbamus, ac præſentis ſcripti Patrocinio perpetuo communimus, &c.* Et infrà. *Quorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, qui Ordinem prædictum variis Privilegiis non immeritò decoraverunt, inhærentes veſtigiis, motu proprio, non ad eorum Chriſtophori Generalis, aut dicti Ordinis Fratrum Glorioſiſſimæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ*

Digitized by Google

ria de Monte Carmeli, Profeſſorum, vel alterius pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis, inſtantiam, ſed de noſtra mera voluntate, & deliberatione, & ex certa noſtra ſcientia, &c. Vt fuſiùs legenti dictam Bullam patebit. Hunc Sixti IV. Bullarum tenorem confirmarunt Innocentius IX. in ſuis litteris Apoſtolicis, quarum initium: *Dùm attenta meditatione* de anno 1484. tertio Kalendas Februarii, in quibus eadem, quæ reperiuntur in Bulla Sixti IV. pro Indulgentiis, & ſucceſſione hæreditaria Eliæ, & Eliſei leguntur. Item Julius II. in Bulla *ad Sacrum Ordinem*: data anno 1504. duodecimo Kalendas Maii. Item Gregorius XIII. in Bulla cujus initium eſt: *Vt laudes* data anno Domini 1577. Item à Clemente X. quæ incipit: *Commiſſa Nobis divinitùs* data die 8. Maii 1678.

ARTICULUS XX.

De Carmelitici Ordinis exiſtentia, ejuſque plena formatione ante Aymericum.

Quod Carmelitarum Inſtitutum antecedentèr ad Aymericum plenè formatum extiterit in Europa, conſtat ex fol. 135. num.144.Item ex amiſſione Montis Carmeli, & expulſione Carmelitarum ex Terra Sancta, à Deipara antecedentèr prædicta, Prioremque admonente, quod ſuis Religioſis permitteret, ut ad Occiduas transfretarent Regiones, ibique ſuum propagare, ac diffundere poſſent Inſtitutum, ut ex fol. 136. num. 145.

Conſtat ſimilitèr ex eo quod anno 1287. (quamvis in Brevi Chronologia impreſſionis errore dicatur anno 1387.) Carmelitæ in Capitulo Generali in Conventu Montis Peſulani celebrato, Pallia, ſeù Cappas barratas, quibus Humar Arabiæ Rege cogente ab anno 639. uſi fuerunt, dimiſerunt, & purè albas, ut antea, ſuorum priſcorum Fundatorum more, reaſſumpſerunt, ex Bonifacii VIII. Bulla, confirmatoria vivæ vocis Oraculo Honorii IV. cujus Bullæ initium eſt: *Juſtis petentium deſideriis*, & habetur in Laertio Cherubino, & in Speculo antiquo Ordinis fol. 27. & 70. Item ex duabus Litteris ab Achon ſub anno 1272. & 1284. Summo Pontifici ſcriptis; quibus innuitur Carmelitarum Ordinem in Ciſmarinis partibus extitiſſe *à tempore cujus non extat memoria* in prima, & in alia *à tempore cujus memoria non exiſtit*, licèt Achon diſtet à Monte Carmelo ſolum per tria, vel quatuor milliaria, ut ex fol. 137. num. 146.

ARTICULUS XXI.

De Elia Propheta Carmeliticæ Religionis Fundatore, & Inſtitutore.

Carmelitarum Ordinem in Lege veteri à Magno Propheta Elia inſtitutum fuiſſe oſtenditur ex quadam Viſione, quam habuit Joannes XXII. Pontifex Maximus, & quam ſuo inſeruit Privilegio, quod varii Summi Pontifices ſuis in Bullis confirmarunt, & præcipuè Alexander V. per ipſum viſum, & diligentèr examinatum in ſua Bulla, quæ incipit: *Tenore cujuſdam Privilegii*, ut ex fol. 138. num. 147.

Item ex quadam Revelatione facta S.Petro Thomæ in ejus Officio à Sac. Rit. Congregatione approbato inſerta, ut ex fol. 139. num. 148. & 149. Aliiſque revelationibus Seraphicæ Thereſiæ, Venerabilibus Matribus Annæ à S. Bartholomæo, & Franciſcæ à Sanctiſſimo Sacramento, aliiſq;

Car-

Digitized by Google

Carmelitici Inſtituti Alumnis, factis, ut ex fol. 140. num. 150.

Conſtat paritèr ex dicto ſæpiùs repetito Seraphicæ Thereſiæ, & ex raptu S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, fol. 141. num. 151.

Item ex Summorum Pontificum Bullis, & Diplomatibus, in quibus expreſsè aſſeritur, Carmelitarum Ordinem ab Elia Propheta in Monte Carmelo inchoatum eſſe, & ab eo Carmelitas hæreditariam tenere ſucceſſionem, ut ex fol. 141. num. 152.

Paritèr ex Hiſtoriis, & Eccleſiaſticis Officiis, quæ in Carmelitico Breviario à Sac. Rit. Congregatione ſæpiùs approbato, & à Summis Pontificibus confirmato, diſſeminata conſpiciuntur, ut ex fol. 143. num. 153. In quo Hiſtorias in Breviario approbato contentas, ut maximè veras ab Eccleſia venerari, & ut canonizatas cenſeri oſtenditur.

Item ex Martyrologiis, & Kalendariis, quæ ut Sanctorum Officiorum, & eorundem hiſtoriarum veluti brevia compendia in veneratione haberi ſolent, ut ex fol. 144. num. 154.

Conſimilitèr ex continua, & antiquiſſima Carmelitici Ordinis traditione, quæ neutiquàm rejici poteſt; quemlibet enim de aliqua Communitate teſtem admitti debere, & fidem facere, quando non agitur de eorum particulari commodo, communitèr tradunt Doctores, ut ex fol. 144. n. 155. & num. 156. referuntur vetuſtiores ejuſdem Ordinis Scriptores, Sapientia, integritate, & Sanctitate conſpicui, qui talem ab Elia ſucceſſionem affirmant.

Item ex Exterorum Scriptorum teſtimoniis, & Auctoritatibus, fol. 147. num. 157. diſtinctè recenſitis.

Paritèr ex publicarum Academiarum deciſionibus, & Univerſitatum teſtimoniis, ut ex fol. 150. num. 158.

Similitèr ex graviſſimis Venerabilium Societatis Jeſu Doctorum, & Scriptorum aſſertionibus, fol. 151. num. 159. recenſitis. Et ſpecialitèr ex Doctiſſimis Divinarum Scripturarum Expoſitoribus Gaſparo Sanchez, Cornelio à Lapide, & Sapientiſſimo Suarez, fol. 153. num. 160. relatis.

Item ex decreto quod habetur in libro 6. Decretalium can. 12. *de Religioſis domibus* capitulo *Religionum diverſitatem*, *§. cæterum*, ubi ſic dicitur: *Cæterum vero Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum Ordines: Quorum Inſtitutio dictum Concilium Generale præceſſit, in ſtatu ſolido volumus permanere*. Ubi Cardinalis exponendo textum ſic dicit: *Hic Papa Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum Ordines conſolidat.* Cui Archidiaconus in Gloſſa concordat, dicens ſuper eodem textu: *Hæc littera mutat antiquam, ubi dicebatur: in ſuo ſtatu: & ſic iſti duo Ordines ſunt totaliter confirmati*. Et quia aliqui non in *Solido*, ſed in *Solito* ſtatu legere præſumpſerunt, ideo Fratres Auguſtinianenſes ſupplicarunt Domino Bonifacio, qui Sextum librum edidit ſuper intentione ſua illius verbi Solido, vel Solito, qui intentionem ſuam declarans in quodam Privilegio ſcripſit eis dicens: *Ad Sacrum Ordinem veſtrum ſpecialem devotionem gerentes; quem olim voluimus, & volumus in Solido, & firmo, & ſtabili ſtatu permanere*: Unde cum ille textus, quem dictus Dominus Papa ſic interpretatur æqualiter reſpiciat Ordines Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum; ex illo textu, uterque illorum Ordinum verè confirmatur. Præter quamquod pro Carmelitis eſt ſpeciale Breve Joannis XXII. datum Avinionis idibus Martii Pontificatus ſui anno primo fol. 154. n. 161. recenſito; Et idem Clemens VI. confirmat per ſuum Breve datum Avinionis decimoquarto Kalendas Auguſti Pontificatus ſui anno Sexto.

Conſtat etiam ex decreto ſupremæ Inquiſitionis Hyſpaniarum in favorem veri Status Monaſtici cum tribus votis eſſentialibus, Paupertatis ſcilicet, Caſtitatis, & Obedientiæ in Lege veteri, bis prolato, anno videlicet

cet

Digitized by Google

cet 1639. die 9. Decembris, & anno 1673. die 6. Martii, ut ex eodem folio 254. n. 161. & 162.

Evincitur ſimiliter ex pacifica Poſſeſſione, Bonafide, & juſto titulo, Uſucapione, & Præſcriptione, quibus Carmeliticus Ordo præfato ab Elia exordio, hæreditariaque ininterrupta ſucceſſione tali Patriarcha, & deſcendentia gaudet, non per centuriam, aut ſęculum, ſed plura ſęcula, & centurias, & quamnam vim penes Juriſtas habeat pacifica poſſeſſio, Uſucapio, &c. dicant Juriſtæ, ne in Meſſem alienam falcem mittamus, eorum allegationibus, quæ conſequenter ad hæc apponentur. Et etiam ex fol. 156. n. 163. & 164.

Tandem conſtat ex Sapientiſſimi Armachani Auctoritate, qua ex noſtro Waldenſi 3. de Sacramental. tit. 9. cap. 89. confunditur Impius Witcleff, toti Religioni perfectæ antiquitatis titulos invidens, ut ex fol. 159. nu. 165. & 166. In quo etiam ad ejuſdem confuſionem adducitur D. Bernardi Auctoritas, qua contra ipſum demonſtratur Eliæ Inſtitutum, quod Carmelitæ profitentur, novellam non eſſe vanitatem; In quibus notentur verba Waldenſis, tam pro Joanne Jeroſolymitano, quam pro Alberto Patriarcha, Elia, & Eliſeo.

Ex quibus omnibus in hoc Elencho diſtinctè recenſitis Carmeliticus Ordo ſuum Inſtitutum ab Elia fundatum eſſe, & ab Eliſeo, Filiis Prophetarum, Rechabitis, Eſſenis, & Joanne Baptiſta amplexatum eſſe ſummariè demonſtrat, à Chriſto Domino in lege gratie collaudatum, & in omnimoda perfectione inſtitutum, ab Apoſtolis propagatum, & per ininterruptam ſucceſſionem uſque ad tempus præſens continuatum; humiliter ſupplicans Sedem Apoſtolicam, cujus omnia recenſita correctioni libenter, & humiliter ſubiicit, pacificam hucuſque poſſeſſionem fore ipſi benigniter continuaturam, ut ex fol. 161. à num. 156. uſque ad ultimum. Et Benevolus Lector attendat Syllogiſmos n. 171. & 172. contentos, finemque hujus Brevis Chronologiæ perpendere, ac concedere non dedignetur.

Digitized by Google

EXISTENTIA ORD. CARMELITARVM

ab immemorabili, ejuſdemq; ſucceſſio Hęreditaria.

Decretum Vniverſitatis Cantabriggiæ de origine, ac titulo, & confirmatione Ordinis Carmelitarum ſub Inſtrumento publico, quod eſt in Domo noſtra Londonijs.

IN Nomine Domini amen. Per præſens publicum Inſtrumentum cunctis appareat evidentèr, quod anno ejuſdem ſecundum curſum, & computationem Eccleſiæ Anglicanæ MCCCLXXIIII. Indictione XIII. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Gregorii digna Dei providentia Papæ Undecimi Anno quinto, Menſe Februarii, die vigeſimatertia, in quadam Cappella Eccleſiæ Beatæ Mariæ Cantabriggiæ in fine Occidentali retrò oſtium boreale ejuſdem Eccleſiæ Elienſis Diæceſis, Venerabilis, & circumſpectus vir Magiſter Joannes de Donevvico Canonicus Londonienſis: Decretorum Doctor, Cancellarius Univerſitatis Cantabriggiæ in Provincia Anglicana: una cum Venerabilibus, & diſcretis viris Magiſtris Guilielmo de Goothm: Fratre Rogero de Falesley Confratre Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini, Fratre Joanne Barnebagh Confratre Ordinis Fratrum Minorum Sacræ Paginæ Profeſſoribus, Guilielmo Grambii Licentiato in Theologia, Waltero de Folſtede Decretorum Doctore, Rectore Eccleſiæ Parochialis de Hennuyngforde Lincolnienſis Diæceſis, Nicolao de Bothishm Magiſtro in Artibus, & utriuſque Juris Baccalaureo Rectore de Cappell, Joanne Kent, Magiſtro in Artibus, ſibi ad infraſcripta videnda, & audienda ex parte Univerſitatis prædictæ aſſignatis, ſeù deputatis, ut tunc ibidem dicebatur in mei Notarii publici ſubſcripti, teſtimoniumque infraſcriptorum præſentia conſtitutus, dixit expreſſè, & aſſeruit juxtà, & ſecundum quædam allegata, & exhibita coràm eo, & præfatis Venerabilibus Perſonis per Reverendum, & Religioſum virum Fratrem Joannem de Horneby Confratrem Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmeli Sacræ Paginæ Profeſſorem in dicta Univerſitate Regentem, tùm videlicèt per Jura, & Doctores in unum, & idem conſonantes, tùm per Litteras Apoſtolicas, Regulam, & Privilegia dicti Ordinis continentes, tùm per Chronicas antiquas, & alias Scripturas antiquitùs, & à tempore cujus hominum memoria non exiſtit compilatas, evidentèr ſibi liquere prædictum Ordinem Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli in Jure communi confirmatum, & titulo Glorioſæ Virginis Beatæ Mariæ Dei Genitricis ſpecialitèr fore inſignitum; Fratreſque ejuſdem Ordinis, proùt eidem Cancellario per prædictas Scripturas antiquas apparuit, Imitatores, & Succeſſores eſſe Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Eliſei. Unde præfatus Dominus Cancellarius per eundem Fratrem Joannem de Horneby ipſius Juriſdictioni ſe in hac parte ſubmittentem pro declaratione præmiſſorum rogatus inſtantèr, & requiſitus ſæpè-dictum Ordinem Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli in Jure communi confirmatum, tituloque Glorioſæ Virginis Beatæ Mariæ Dei Genitricis ſpecialitèr fore inſignitum, & Fratres dicti Ordinis Imitatores, & Succeſſores eſſe Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Eliſei pronunciavit, decrevit, & declaravit in hunc modum: Nos Ioannes de Donevvico Cancellarius Univerſitatis Cantabriggiæ, auditis rationibus, & allegationibus, viſiſq; pri-

vilegiis

Digitized by Google

vilegijs, lectis, & examinatis, una cum Chronicis, & Scripturis antiquis, Ordinem Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli in Jure communi, ac ſpeciali confirmatum, tituloq; glorioſæ Virginis Beatæ Mariæ Dei Genitricis ſpecialiter fore inſignitum, ac Fratres dicti Ordinis, proût Nobis apparuit per Chronicas, & alias ſcripturas antiquas, Imitatores, & Succeſſores eſſe Sanctorum Prophetarum Eliæ, ac Eliſei; pronunciamus, decernimus, & declaramus: De quibus verò declaratione, decreto, & pronunciatione, idem Dominus Cancellarius, & ſæpè-dictus Frater Ioannes de Horneby, rogauerunt me publicum conficere Inſtrumentum. Acta fuerunt hec ſub Anno, Indictione Pontificatus, Menſe, die, & loco ſupradictis, preſentibus diſcretis Magiſtris Guilielmo Redvvynter, Guilielmo de Elinbm Magiſtris in Artibus, & dictæ Univerſitatis Procuratoribus, & Thoma Godmecheſtre, Clerico Norvvicenſis Diœceſis Notario Apoſtolico ad premiſſa vocatis, & ſpecialiter rogatis: Et Ego Joannes de Brandoeſerie, Clericus Norvvicen, Diœceſis.

Decretum alterum Univerſitatis Cantabriggiæ de origine, ac titulo, & Confirmatione Ordinis Beatæ Mariæ Genitricis Dei de Monte Carmeli.

VNiverſis Sanctæ Matris Eccleſiæ Filiis præſentes Litteras inſpecturis, Joannes de Donevvico Cancellarius Univerſitatis Cantabriggiæ, ſalutem in Domino ſempiternam. Cùm nupèr à nonnullis Univerſitatis prædictæ ſtudentibus Inſtitutio, Intitulatio, & Confirmatio Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli nimis præſumptuosè revocabantur in dubium; undè diſcordiæ, ac rixæ quamplurimæ inter Scholares ejuſdem Univerſitatis fuerant ſuſcitatæ, necnon magna perturbatio invaleſcebat in eadem. Eaproptèr Religioſus Vir Frater Joannes de Horneby Sacræ Paginæ Profeſſor dicti Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmeli Confrater in ipſa Univerſitate Regens. Nobis in Congregatione Regentium, & non Regentium humilitèr, & devotè pro remedio opportuno per nos ordinando in præmiſſis inſtantèr ſupplicavit. Nos verò Joannes Cancellarius antedictus cupientes materias diſſentionum, ac Jurgiorum amputare, & veritatem præmiſſorum indagare, ac proùt ad nos attinet quietem ipſius Univerſitatis Scholaribus reparare, præfiximus certum diem dicto Religioſo viro Fratri Joanni de Horneby ad comparendum coràm Nobis, ac aliis Venerabilibus per Univerſitatem Regentium, & non Regentium unanimi aſſenſu eorumdem nominatis, electis, & ad aſſiſtendum Nobis deputatis, & omnibus quorum intereſt in hac parte legitimè præmunitis exhibituro, ac propoſituro evidentias, & munimenta quæcumque dictas Inſtitutionem, Intitulationem, & Confirmationem ipſorum Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli concernentia. Quo quidem die idem Frater Joannes comparuit, & quædam privilegia Sedis Apoſtolicæ, ac Regulam eorum per eandem Sedem approbatam, ac etiam alia munimenta, & antiquas ſcripturas coràm Nobis Cancellario, & Deputatis antedictis exhibuit, conſenſu, & aſſenſu dicti Ordinis Confratrum prahabitis, & cum inſtantia nos requiſivit, ac rogavit nomine ſuo, ac Ordinis ſui, & Confratrum ſuorum prædictorum, ut auditis rationibus, & allegationibus, viſiſque privilegiis eorum, Regula, & aliis hujuſmodi munimentis, & antiquis ſcripturis, ac diligentèr rimatis, ac diſcuſſis, ſuper præmiſſis veritatem decideremus, & declararemus. Nos verò Cancellarius memoratus attendentes præmiſſa conſona eſſe Juri, & rationi, auditis rationibus, & allegationibus, viſiſque privilegiis

Digitized by Google

lectis, & examinatis una cum nonnullis aliis munimentis, & Scripturis antiquis, de conſilio, & conſenſu diſcretorum, & Juriſperitorum dictæ Univerſitatis Nobis aſſiſtentium in ea parte, & per eandem deputatorum, dictum Ordinem Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli in Jure communi, ac ſpeciali confirmatum, & titulo Beatæ Mariæ Dei Genitricis fore ſpecialiter inſignitum, ac Fratres dicti Ordinis, prout ſufficienter apparuit per præmiſſa exhibita, producta, & allegata, Eliæ, & Eliſei Sanctorum Prophetarum fore imitatores, & Succeſſores, cauſæ cognitione, & Juris ordine in ea parte de jure requiſitis ad plenum reſervatis, reputamus, decidimus, & decidendo declaramus in his ſcriptis: inhibentes quibuſcumque noſtris, & dictæ Univerſitatis ſubditis, nè contra has deciſionem, & declarationem noſtras in ipſorum Fratrum præjudicium, & dictæ Univerſitatis vituperium, & ſtudentium in eadem inquietationem venire temerè præſumant, ſub pœnis, & cenſuris noſtro, & Succeſſorum noſtrorum arbitrio debitæ in contravenientes ferendis. In quorum omnium, & ſingulorum teſtimonium præmiſſorum præſentes Litteras Decretum noſtrum continentes, Sigilli Officii noſtri appenſione fecimus communiri. Datum Cantabriggiæ vigeſimotertio die Menſis Februarii Anno Domini MCCCLXXIIII.

HUIC

Digitized by Google

HVIC NOSTRÆ BREVIS CHRONOLOGIÆ ELENCHO

Sequentia addimus, quibus beneuolo Lectori veritas eorum, quæ in dicta Chronologia afferuntur, innoteſcere valeat; Cum non à Carmelita, ſed ab Extraneo in eorum confirmationem adducantur, videlicèt

A IOANNE LVDOVICO GOTOFREDO

in Archontologia Coſmica, ſiue Imperiorum, Regnorum, Principatuum, rerumque publicarum omnium per totum terrarum Orbem, libro 3. de Origine Ordinum fol. 45. ſub ſequenti titulo, videlicèt:

ORDINES ECCLESIASTICI

Qui fuerunt tam ſub Lege Naturæ, quam ſub Lege Scripta.

I. Enoch, ſeptimus ab Adamo, cæpit, ut ſcriptura refert, invocare Nomen Domini: Quod Rabbini ita explicant, ipſum fuiſſe primum, qui cœtum piorum, & religioſorum hominum congregarit, ad invocandum Nomen Dei certis horis. Hanc autem veram hujus loci interpretationem eſſe, neceſſe eſt; quoniam Adam, Abel, & reliqui uſq; ad ipſum invocarunt, & adorarunt Deum, ſicut liquet ex textu ſacro. Atque etiam Patres noſtræ Eccleſiæ ſtatuunt, quando Capite 6. Geneſis dicitur: *Filios Dei videntes Filias hominum, &c; per Filios Dei*, non alios denotari, quam eos, qui ſe cultui Divinitatis peculiariter conſecraverunt.

II. Abraham, primus omnium Patriarcharum, nonnè primus fuit, qui Ordinibus Eccleſiaſticis formam, & initium dedit? Nonnè enim, juſſu Dei à Terra ſuæ Nativitatis abiit, & cognationem ſuam, atque Familiam Patris ſui deſeruit, ut in eum locum ſe reciperet, quem Dominus ipſi oſtendit?

III. In lege Moſaica Nazaræi primum locum tenent, quorum lex, & inſtitutum fusè deſcribitur Numer. 6. qui certa vota concipiebant, certa ſacrificia offerebant, & vinum non bibebant. Talis fuit Samſon, Elias Propheta, S. Joannes Baptiſta, & Chriſtus ipſe.

IV. Elias Propheta cujus Ordo hodieque viget, & à quo Carmelitæ originem ſuam trahunt, peculiarem vitæ rationem obſervabat, & veſtitum à vulgari diſcrepantem gerebat; utrumque notat ſcriptura per ipſius Solitudinem, & Zonam pelliceam.

V. Eliſeus, & Filii Prophetarum in cœnobio vivebant à Vulgo ſejuncti, ut videre eſt 3. & 4. libris Reg.

VI. Ordo Rechabitarum cap. 35. Hier. ſub obedientia Jonadabi, filii Rechabi, qui non bibebant vinum, nec domos habitabant, ſed ſub Tentoriis degebant, omnibus diebus vitæ ſuæ, neque ſeminabant frumentum, nec Vineas colebant: Ex quibus orti ſunt Scribæ habitantes in Jabez, qui cantabant, & cultum divinum exercebant 1. Paralipom. 11. In quibus omnibus Archetypum habemus, à quo Eccleſiaſtici Ordines inter Chriſtianos ſua inſtituta hauxerunt. Nam à Nazaræis, & Propheta Elia puritatem, & auſteritatem Vitæ, à filiis Prophetarum contubernium, & convictum, à Rechabitis obedientiam, & à Scribis ſacrificia, & cantum didicerunt. Præter hos tres alii Religioſorum Ordines inter Judæos fuerunt.

VII. Primum Phariſæi, ſic dicti, quod veſtitu, & genere vitæ ab aliis differrent, cum magni obſervatores legis videri vellent. Hinc eſt, quod Phi-

la-

lacteria geſtabant, quorum fit mentio Matt. 12. quaſi dicas Præſidia, ſeu arma ſalutis. Verum ipſorum hyppocriſis, & malitia à Domino noſtro detecta fuit: Ob quam cauſam ſumma in ipſum invidia inflammati, cum Judæis in caput ipſius conſpirarunt: Credebant Reſurrectionem mortuorum, & ſuperioribus ſuis diſtrictè parebant. Deinde Sadducæi, qui reſurrectionem mortuorum negabant, nec credebant eſſe Angelos, aut Spiritus, ſed Animas cum corporibus interire putabant. Tertio Eſſæi, hoc eſt Sancti, qui auſterum vitæ genus ſequebantur, & inimici erant voluptatum, divitias contemnebant, hoſpitalitatem magno ſtudio exercebant, domi in ſummo ſilentio vivebant, nihil ſine permiſſu propinquis dabant, jusjurandum averſabantur; Religionem ipſorum Profeſſos ad fidem in Deum, juſtitiam erga homines, & obedientiam erga Principes, & Magiſtratus obſtringebant, Sabbathum accuratè obſervabant, omnia habebant communia, in Urbibus numquam habitabant, & quamvis ipſorum plures eſſent quam quatermille diverſis locis diſperſi: tamen ipſorum fundi, pecunia, opes, veſtes, cibus, & omnia ad hanc vitam neceſſaria ipſis erant communia. Præcipuum ipſorum Templum in colle ſitum erat propè Stagnum Mariæ, quod hodie Palus Mariæ appellatur. Hæc Palus fuit magnum illud Deſertum, in quo poſtea celebres illi Scytharum, Nitriæ, & Thebaidis Eremitæ vixerunt.

VIII. Verè etiam dici poteſt eum, qui fuit ampliùs quam Propheta, quo non ſurrexit quiſquam major inter eos, qui gignuntur è Mulieribus, nempè Sanctum Joannem Baptiſtam fuiſſe Auctorem Vitæ Monaſticæ. Nàm è teneris annis Parentes, & divitias deſeruit, ut viveret in Solitudine. Veſtimentum habebat è pilis Camelorum, & Zonam pelliceam circa lumbos ſuos: Alimentum ejus erat locuſtæ, & mel agreſte. Quamplures habebat Diſcipulos, qui ipſum ſequebantur, & prædicabat Pœnitentiam omni Populo, qui ad ipſum audiendum veniebant, baptizans eos cum Aqua.

IX. Sed antequàm à veteri Teſtamento ad novum tranſeamus, nonnè Sacrilegium eſſet ſi Sacratiſſimam, & Glorioſiſſimam Matrem Dei ſilentio præteriremus? Nàm illa vixit antequàm conciperet de Spiritu Sancto, nimirùm tempore Legis Moſaicæ, vitam perfectiſſimam, & Religioſam: & poſt Nativitatem dilecti ſui Filii Domini noſtri, in eo Vitæ genere uſque ad mortem perſeveravit, & in tanta ſemper puritate, ac Sanctitate perſtitit, quantam humana creatura unquàm potuit conſequi. Illa (inquàm) verè fuit exemplar, & Archetypus Vitæ Religioſæ, quæ primò Deo conſecravit ſuam Virginitatem puriſſimam, & immaculatam, & perfectiſſimè ſervavit votum Caſtitatis, itaùt nec minima quidem cogitatione mundana, ab eo deficeret: Adeò ut nullus unquàm repertus fuerit tàm prophanus, qui aliam de ipſa opinionem habuerit, quàm quod fuerit, pia, pudica, & honeſta. Quoad Paupertatem ipſius attinet, quamvis ab Illuſtriſſimis Patriarchis, & potentiſſimis Regibus genus duceret: tamen dilectus ipſius Filius non habebat, ubi caput reclinaret, & labore manuum cum ipſa victum quærebat. Obedientia autem ipſius tàm eximia, & tanta cum ſimplicitate conjuncta fuit, ut poſt Filium ipſius nemo ad eam pertigerit. Atque hæc ad Religionem votivam ſpectant. *Ex quo confirmantur ea, quæ de Beata Virgine diximus in gloriam Monialium more Clauſtrali in Brevi Chronologia, fol. 72. num. 95. 96. & 99.*

OR-

Digitized by Google

ORDO ECCLESIASTICVS.

Ab Adventu Domini Noſtri Jeſu Chriſti in hunc Mundum.

Primus Auctor Ordinis Eccleſiaſtici, & Vitæ Monaſticæ fuit Dominus noſter; & qui deinceps Monaſteria fundarunt, Regulas ſuas ab ipſo acceperunt. Nàm cum congregaſſet ſuos duodecim Apoſtolos, legem ipſis dedit, quàm obſervare deberent, eos monens, quod quicumque vellet ſuus eſſe diſcipulus, eum oporteret renunciare Mundo, & omnibus, quæ haberet in Mundo, in primis autem propriæ ſuæ voluntati. Voluit etiam, ut ſe mutuo diligerent, dicens, ex hoc omnes cognoſcent, vos eſſe diſcipulos meos, ſi charitatem habueritis alii in alios. Oſtendit illis formam perfectæ obedientiæ, docens ipſos humilitatem, & eos exhortans ad patientiam: quod qui vellet eſſe ſuus diſcipulus, deberet omnibus voluptatibus huius Mundi valedicere, & ſe comparare ad perferenda quævis incommoda, & perſecutiones: quod mandata Dei obſervanda eſſent corde puro, & ſincero, præſcribens ipſis modum, quo ſuas preces Deo offerre deberent, & Beatos prædicans Pauperes Spiritu, mites, miſericordes, amantes Juſtitiæ, & Pacis, puros corde, & qui patiuntur propter Juſtitiam, & Regnum Cœlorum. Nihil prætermiſit, quod eos inſtitueret, & imbueret omni virtute, quâ fierent perfecti, & immortales: Deniq; Evangelium ſuum ipſis commiſit; nempè præcepta, tanquàm iis, qui eſſent Chriſtiani, & conſilia, tanquàm hominibus perfectis. Ab hac Regula omnes antiqui Patres eas hauxerunt, quibus ſuos Ordines, & Inſtituta formarunt, & quibus tria ipſorum vota nituntur. Nàm Sanctum ipſius Collegium erat inſtar parvi Conventus, quoniam ex quo Apoſtolos in ſuam ſocietatem receperat, illi cum eo ambulabant, cibum ſumebant, juxtà eum ſomnum capiebant, ipſum Dominum, & Magiſtrum appellabant, & in omnibus ipſi obtemperabant.

Hæc à Nobis proponuntur, ut quæ diximus in Brevi Chronologia de peculiari perfectorum Religione ſuperaddita communi, & vulgari in ſtatu Legis Naturæ, & Scriptæ cum Thoma Waldenſi confirmata conſpiciat benevolus Lector ab hoc luculentiſſimo, & diligentiſſimo Scriptore, nentiquàm Carmelita, ſed extero; Et ab eodem confirmantur ea quæ de Carmelitarum Ordine à Nobis dicta ſunt in relata brevi Chronologia, de illo peculiarem inſtituens Sermonem, ſicut de cæteris Religioſorum Inſtitutis, eorumque origine dilucidè, & in particulari ſcribit. Libro enim 5. de origine Ordinum Militarium, tàm Regularium, qui à S. Sede ſub aliqua Regula, & diſciplina approbati fuerunt, quàm Sæcularium ab Imperatoribus, Regibus, & Principibus Chriſtianis inſtitutorum cum eorum inſignibus, & ſimbolis. Pag. 56. num. 26. ſequentia habet, videlicet.

DE ORDINE CARMELITARUM.

Quamvis Ordo Carmelitarum initium, & originem ducat à Propheta Elia, cuius ſupra mentio facta eſt: tamen ſeries temporum fecit, ut eum in hunc locum rejecerimus. Hic Propheta vivebat in Mundo 915. annis ante Adventum Domini noſtri, & igneo turbine in Cœlum raptus fuit anno ætatis 50. Patri Sabach nomen fuit ex Terra Arabin, & Styrpe Aaronis. S. Hieronymus putat eum fuiſſe primum mortalium, qui perpetuo celebs manſerit. Ordini ſuo initium dedit non in Territorio Carith, ſed in Monte Carmel, in quo ſolitariam, & Religioſam vitam

agebat,

agebat, tria præcipua Religionis capita obſervans, Paupertatem, Obedientiam; & Caſtitatem.

Inter quamplures, quos habuit diſcipulos, quatuor eximii reperiuntur, qui omnes Prophetæ fuerunt: Eliſeus, Jonas, qui in Urbe Ninive vaticinatus eſt, Micheas filius Jemla, qui ante Eliam, & poſt ipſius raptum in Iſraele Prophetam egit, & Abdias Sichemita natus in Bethacoron.

Eliſeus habitavit in Monte Carmel cum multis filiis Prophetarum, qui in horto frondes arborum putarunt, ex quibus caſulas ſibi cum intrico extruxerunt. Jonas cum diſcipulis Sareptæ habitavit: Abdias Samariæ: Quidam alii Galgalæ, Jerichuntæ, & in Ephraim.

Hæc refert Liber Concordantiæ Veteris, & Novi Teſtamenti, qui tradit Vitam Propheticam ab Elia in Eliſeum translatam fuiſſe, & hunc cum maximè floreret, inſtituiſſe Ordinem Cœnobitarum: Nec Eliam tantum, ſed etiam Eliſeum, & ipſius diſcipulos Caſtitatem ſervaſſe. Hæc prima fuit hujus Ordinis Conſtitutio.

Idem renovatus fuit à S. Joanne Baptiſta, & Diſcipulis ejus, qui frequentabant loca propè Jordanem, quique poſt hujus S. Viri mortem converſi fuerunt ad profeſſionem Evangelicam, Eccleſiam conſtantèr cum Apoſtolis defendentes, cum illa adhùc eſſet in cunabilis, & Inſtitutis magni Eliæ firmitèr inſiſtentes. Hi Templum in Monte Carmelo in honorem Virginis Mariæ condiderunt, quam Protectricem elegerant: Et hoc Templum primum fuit, quod Chriſtiani Virgini Mariæ conſecrarunt, perſeverantes in hoc genere vitæ quadringentis annis.

Verùm anno 412. aut circitèr Joannes Doctor Græcus, & 44. Patriarcha Hieroſolymitanus, qui priùs fuerat Superior Fratrum Montis Carmeli, inſtante Capraſio, qui ipſius in hoc officio Succeſſor fuit, Fratribus hujus Ordinis Regulam præſcripſit, quàm ab Inſtitutione magni Eliæ, & Regula S. Baſilii hauxit. Tunc Carmelitæ diverſis Nominibus appellabantur: quidam nominabant eos Religioſos, alii Eremitas, aut Carmelitas, & Fratres Virginis Mariæ.

Qui Eliam pro Auctore ſui Ordinis habebant, duorum generum erant. Quidam volebant ſequi Vitam Monaſticam, & Propheticam inſtitutam ab Elia, & ſeveros ipſius Succeſſores in Monte Carmelo ſub Protectione Virginis Mariæ venditabant: Alii vitam ipſius ſolitariam imitari ſtudebant, qui non tantum in Deſertis, ſed etiam locis habitatis degebant.

Hoc duravit uſque ad annum 636. quo Homar Saracenorum Princeps magnis copiis ſuccinctus, cum multa loca Chriſtianorum in Aſia diruiſſet, & magnum numerum Religioſorum morte affeciſſet, Carmelitas Habitum ſuum relinquere coegit, offenſus eos candido veſtitu amictos, quod is color proprius eſſet Satraparum, & Magnatum. Poſtea anno 1099. cum Chriſtiani Latini Terram Sanctam occupaſſent, quam 84. tenuerunt, Carmelitis Cœnobiarche Latini præfuerunt: Ideòque Regulam, quàm Joannes Patriarcha priùs ipſis dederat, ex Græco in Latinum convertit Aymericus Patriarcha, Octoginta poſt annis Albertus Patriarca Hieroſolymitanus homo magni nominis, Regulam conſcripſit, quàm ex Vita Eliæ, & Libro Patriarchæ Joannis, ac Regula S. Baſilii Magni excerpſit, quàm propria auctoritate obſervandam dedit Brocardo, homini Sanctæ Vitæ, & Cœnobiarchæ Montis Carmeli, ipſiuſque Eremitis. Atque hæc Regula Alberti ea eſt, quàm poſteà ſemper obſervarunt, quæ poſtea fuit confirmata à Papa Honorio III. Ex iſta Regula apparet, Carmelitas fuiſſe Eremitas. Nàm Patriarcha Albertus præſcribit iis, qui legere neſciunt, ut certum numerum Orationum Dominicarum recitent. Et quoniam Beata Virgo Patri cuidam ex hoc Ordi-

ne

Digitized by Google

ne apparuit, Epomidem ipſi offerens, & dicens: *Accipe mi dilecte hanc Epomidem, quæ data eſt à me tuo Ordini, in ſignum meæ Confraternitatis*, Papa Honorius IV. ipſis viva voce permiſit, ut poſſint gerere alba Cappicia. Anno 1287. Monpeſſuli in Generali Capitulo ſancitum fuit, ut omnes, qui eſſent hujus Ordinis, ea geſtarent: quod Nicolaus IV. approbavit.

Cœterum non licebat ipſis veſci carnibus ex Regula Patriarchæ Alberti: ſed Pontifices Eugenius IV. & Pius II. gratiam illis fecerunt hujus Legis, & moderationem quorundam jejuniorum valdè ſtrictorum, ad quæ ſe obligaverant, ipſis conceſſerunt. Sed Joannes Soretus, homo pereruditus hunc Ordinem reformavit, & obtinuit à Papa Nicolao V. ut omnes, qui reformationem illam impedirent, excommunicarentur. Hinc Ordo iſte in duas veluti Familias diviſus fuit, Conventualium, & Obſervantiæ, &c.



Digitized by Google

DICTIONES,

Quæ per errorem irrepſerunt Vulgari charactere adnotatæ.

CORRIGE,

Prout Curſivis litteris deſcribuntur.

Fol.3.Deprecari *Deprecari*. ibid. Deprecaretur *Deprecaretur*. Ibid. Depræcandum *Deprecandum*. Ibid.Abhundaret *Abundaret*. 4.Popoli *Populi* 5 Xendochia *Xenodochia* 6 Illudiſſet *Illuſiſſet* 8 Compræhenſum *Comprehenſum*.Ibid.Nuquam *Vnquam* 9 Requiſitę *Requiſita*,Ibid.Singlariter *ſingulariter*.Ibid. Equivalenti *Æquivalenti* 10 Præcibus *Precibus*. Ibid. Prætioſiſſimum *Pretioſiſſimum* 12 Colende *Colendo* 13 Cotinentiam *Continentiam*. 15 Caſtitats *Caſtitatis* 17 Omitiſſent *omiſiſſe* 21 Superabbundanter *Superabūdanter*.23 Noaly *Nota ly* 24 Enuchis *Eunuchis* ibid.Enuchus *Eunuchus* ibid.Accepiſtis *Accepiſtis* 26 Longeuus *Longaevus* ibid.Nanziazenus *Nanzianzenus* ibid.Amplectabatur *Amplectebatur* 27 Preſertim *Præſertim* 28 Non fuiſſe impoſſibilia *Non fuerint impoſſibilia* ibid. Interpræcum *Interpretum*. 29 Avt do *Autem do*.ibid.Illeſum *Illæſum* ibid. Adhererendi *Adhærendi*.30 Bedictionem *Benedictionem* 31.Amplectabantur *Amplectebantur* 35 Abrabm *Abraham* ibid.Cęcinit *Cecinit* 37 Inpediebar *Impediebat* ibid.Matetia *Materia* 40 talis habere patronos *tales habere &c*.ibid.Tam mirabilis Eliſei ſignis *tam mirabilibus &c.* 41 Indeffeſenter *Indifferenter* ibid. in preſenti *in præſenti* 43 propinqunm *propinquum* 44 Elicitæ *Eliacitæ* 45 teſtimomonium *teſtimonium* ibid.obſtinebant *abſtinebant* ibid.ex texù *ex textù* 47 Profitentur *Profitentur* 48 equé *æque* 50 Interpræctationes *Interpretationes* 51 prætii *pretii* ib. Eeſſeni *Eſſeni* 52 Panpertatis *Paupertatis* 54 afferent *offerrent* 55 ſiculo *ſęculo* 58 perſepé *perſępe* ib.precipuè *precipue* 59 Emerēntię *Emerētianæ* 60 Riligioſis *Religioſis* 61 Accintus *accinctus* 62 ſatisfecit *ſatisfacit* 67 Aduque *Adeoque* 69. homininibns *hominibus* ib. ſive hi ſi illi *ſive hi, ſive illi* 71 quot anuis *quotannis* ibid. & ut concincantur *& ut convincantur* 72 dicnes *dicens*. 76 omnes ille *omnes illæ* 87 Maximæquæ *maximaque* ibid Proculcubio *Proculdubio* 83 Barmelitas *Carmelitas* ibid nullam umquam adverſa *nulla unquam adverſa* ibid.Vniuſcuiſque *Vniuſcujuſque* 88 beneficij memoria *memoriam* 90 Sapiētelſimus *Sapientiſſimus* 92 uſquaqua *uſquequaque* ibid.Equibus *Ex quibus* ibid.advexna *advena* 94 Sauċti *Sancti* ibid.hiſtoriagraphus *hiſtoriographus* 97 ominò *omninò* ibid.noſtros paſſus eſſe *noſtros paſſus eſſe* 98 non terrant *non terreant* 100 perſecerut *perſecerunt* 103 iu ejus vita *in ejus vita* 105 nonullos *nonnullos* 107 monaſtetium *monaſterium* 108 ut ſingulis ex pelle *ut ſinguli ex pelle* 113 perculſa *percuſſa* 114 oſtendi *oſtendit* ibid. degenteſt *degentes* 116 ſubiegit *ſubiecit* 118 Ieroſulymum *Jeroſolymam* ibid.ad proria *ad propria* 119 Arabibus *Arabis* 124. affllicti *afflicti* ibid. Dectractores *Detractores* 130 da qua *de quà* 133 Reliſos *Religioſos* 135 communis obſervantiæ *communi obſervantiæ* 137 anno ſcilicet 1387 *anno ſcilicet 1287* ibid.ignoorare *ignorare* 138 de Reiigioſis Dominibus *de Religioſis Domibus* 144 int.cętera *inter cętera* ibid.toti Mundi *toti Mundo* 150 temeré pręſumat, *temerè præſumant* 151 Inprimis *In primis* 152 Batæ *Beatæ* ibid. Contifices *Pontifices* 153 puraretur *putaretur* 154 refente *referente* ibid. non ſit removiturus *non ſit remoturus* 156 ictus *dictus* 157 Hunc de bona fide, *Hinc de bona fide* 159 Barmelitarum *Carmelitarum* 161 & virtutæ *& virtute* 162 Phriſti *Chriſti* 166 Catabrigenſis *Cantabrigenſis* 170 dictnm *dictum* ibid.ad pernicem *ad perniciem*.

Præter prædicta Errata, nunnulla alia ſunt quæ leviora benignus Lector corriget; tria tamen advertimus in calce foliorum 14.40.& 135 particulam citatoriam non correſpōdere cum dictione ſequentis paginæ.Sed error eſt tantum in citatione, non in connexù verborum præcedentis cum pagina ſubſequenti.

Errata comperta in Elencho,eorumque Correctiones.

pag.1.in tit.Naturæ tam *tam Naturæ* 6 Ioa:Hierſolymitanis *Hieroſolymitani* 8 oppoſitus *appoſitus* 10 Pontiſicum *Pontificum* 13 Ob prefatum *Hoc præfatum* 20 debitę *debite* 24 Cunabilis *Canabalis*.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by